Digitized by Google

NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
8
30 G
26
ROMA

Bald. Ven conc. in lucany. Jett.

V

Coll. Rom. Soc. Jesu Cat. Inscr. B. 8, 30. 4. 2

V. P. F.

BALDVINI IVNII

Ordinis S. Franciſci

DE OBSERVANTIA

CONCIONES

SVPER

EVANGELIA FESTORVM

TOTIVS ANNI.

BIBLIOTECA NA ROMA VITTORIO EMANUE

ANTVERPIAE,
Apud heredes Martini Nutij,
CIƆ IƆC XIII.
Cum Gratia & Priuilegio.

Digitized by Google

SANCTISSIMO PATRI

FRANCISCO

Ordinis Minorum

FVNDATORI

SERAPHICO

F. BALDVINVS

IVNIVS

æternam gratulatur felicitatem.

ROMANORVM olim Ducum, sanctissime Pater, militaris fortitudo enituit. Peruicacissimi enim Latinorũ Æqui & Volsci fuêre, & quotidiani Romanorum hostes. Hos L. Quinctius domuit, ille Dictator ab aratro, qui obsessa, & penè iam capta L. Minucij Con-

 sulis

ſulis caſtra, egregia virtute ſeruauit. Medium erat fortè ſementis, cùm patricium virum innixum aratro ſuo lictor in ipſo opere deprehendit. Inde in aciem profectus, ne quid à ruſtici operis imitatione ceſſaret, victos more pecudū ſub iugum miſit. Sic expeditione finita, rediit ad boues rurſum triumphalis agricola. Deus bone, qua velocitate! Intra ſexdecim dies cœptum, peractúmque prorſus eſt bellum, vt feſtinaſſe Dictator ad relictum opus videretur.

Galli Senones faces tectis iniecerunt Romanis, & totam Vrbem igne, ferro, manibus, ſolo exæquarunt. Septem menſibus barbari (quis crederet?) circa montem vnum pepēderunt, nec diebus modò, ſed noctibus

omnia

omnia experti: quos tandem Manlius noctesubeuntes, clangore anseris excitatus, à summa rupe deiecit; & vt spem hostibus demeret, quanquã in summa fame, tamen ad signum fiduciæ panes ab arce iaculatus est. Eosq; subitò à tergo aggressus Camillus adeò cecîdit, vt omnia incendiorum vestigia Gallici sanguinis inundatione deleret.

At fortior tibi fuit pugna, Beatissime Pater, in terris degenti, cum mundo, carne, sanguine, dęmone, teipso, & gloriosior de illis palma. Nam quid palatium illud speciosum, & magnum sibi voluit, cum militaribus armis crucis Christi signaculo insignitum, à diuina tibi clementia in somnis ostensum?

Digitized by Google

ſum? Tua illa fore, militumque tuorum, ſuperna fuit aſſertione reſponſum. Quid ergo? An vt in Apuliam proficiſcereris, & mundanæ dares nomen militię? Nequaquam. Cur enim relinqueres pro ſeruo dominum, pro paupere homine diuitẽ Deum? Sed viſio illa ſpiritualem præfigurauit effectum, non humana, ſed diuina in te diſpoſitione complendum. Hinc nimirum ex equo delapſus, ad leproſum, cuius inopinatus occurſus non mediocrem tibi incuſſerat horrorem, deoſculandũ adcurriſti. Sed leproſus nequaquam fuit, qui ſubitò non cõparuit. Hinc loca quæſiuiſti ſolitaria, amica mœroribus, quæ lacrymis quotidianis rigaſti, & inenarrabilibus inceſſanter gemitibus impleſti.

pleſti. An ſine fructu?

Tunc apparuit tibi in Deum abſorpto Chriſtus Ieſus, veluti cruci confixus, ad cuius conſpectum anima tua liquefacta eſt. Imò memoria paſſionis eius adeò viſceribus cordis tui impreſſa medullitùs, vt quoties ab illa hora in mentem veniret, lacrymas, & ſingultus excuteret.

Tunc humilitatis omnia, & humanitatis leproſis præſtitiſti obſequia, quorum longinquum etiam horrere ſolebas aſpectum. Quanta hæc pugna! Domos eorum frequenter viſitare, largiſſimas eis erogare eleemoſynas, ſumma animi ſubmiſſione manus eorum oſculari, & ora. Scilicet Chriſti militia à ſuiipſius victoria eſt inchoanda: & Veritas docet: *Si quis vult poſt me venire,* Matt. 16

niuibus plenam deiecerunt, dicentes: Iace ruſtice, præco Dei. Ruſtico enim amictus eras pallio, cæmentali cruce obſignato. At tu è fouea exſilire, & altiore voce per nemora laudes omnium Creatori perſonare. Tunc eleemoſynas medicorum more humiliter cœpiſti petere, leproſis inſeruire: ipſorum pedes lauare, ligare vlcera, & oſculari, plagarum putredinem educere, & ſaniem abſtergere: ideò & morbos meruiſti ſanare.

Quid enim? Spoletano cuidam os pariter, & maxillã morbus horribilis depaſcendo corrodebat, cui nullo medicinæ remedio ſubueniri poterat. Is Apoſtolorũ ſalutatis liminibus tibi cùm occurreret, pedũ tuorum oſculari veſtigia geſtiebat:

at

at tu illi osculũ dedisti oris, quo perfectæ recepit beneficium sanitatis. Nescio, quid horum sit meritò magis admirãdum: humilitatis profunditas in osculo tam benigno, an virtutis pręclaritas in miraculo tam stupendo.

Post hæc ad S. Damiani ecclesiam reparandam te contulisti; inter quos abũdare solebas, mendicare nõ erubuisti; corpus debile, attritum ieiuniis, oneribus lapidũ supposuisti. Alteram etiam S. Petri renouasti: & in tertiam Beatissimæ Virginis incidisti, in qua Angelicarum sentiens visitationum frequẽtiam, pedem fixisti, & mentem. Hic etenim humiliter cœpisti, hic virtuosè profecisti, hic feliciter consummasti. Hic aliquãdo visi sunt innumeri homines cęcitate percussi,

percuſſi, facie in cælum directa, & genibus flexis in Eccleſiæ huius circuitu: qui omnes protenſis in altum manibus, lacrymabiliter ad Deum clamabant, miſericordiam poſtulantes, & lumen. Et ecce ingens de cælo ſplendor aduenit ſe per omnes diffundens, qui lumen vnicuique tribuit, & ſalutem deſideratam conceſſit.

Inter illos vtinam & ego! Cæcutit in me ratio, friget affectus. Cæcutit ratio in diuinis rebus, & in propriis: friget affectus erga ſpiritualia, & æterna. Quid quòd adhuc in medio fallacis huius ſæculi mari hæreo, & diuerſis ſæpe aduerſitatum obruor fluctibus? Sæpe faciem meam ad te, Beatiſſime Pater, eleuo: ſæpe genua & cor totum

Digitized by Google

coram te flecto: sæpe manus meas fidenter ad te extendo. Si tu es pater meus, *iube me ad te venire super aquas* huius mundi: si tu es pater meus, vide, ne immergar: pater meus, & *Domine, saluum me fac.* Agnosce me, rogo, rogo, inter filios tuos in viuis: agnosce me inter filios tuos, iterum rogo, in hora mortis; agnosce me, rogo, rogo, inter filios tuos in gaudio regni cælestis.

Matt. 14.

Ordinis S. Francisci indignus alumnus,

F. BALD. IVNIVS.

BALDVINI IVNII CONCIONES.

INteger ille animi, quem non de limite recto
Aut præsens ætas, populi aut contagia flectunt:
Non iter erroris legit, auditórue cathedræ
Sacrilegæ patulam facit illusoribus aurem:
Sed tritam iuuat ire viam, qua Pastor ouilis
Christi ducit oues, Petri virtute propago:
Quam indigetes strauere olim, fideíque magistri,
Liligeraq; acies, roseisque ornata coronis
Agmina: queis vitæ, Domini indulgentia, spondet
Elysium fore nunc æterna in secla tenorem.
Ceu pulsa feßi gaudent formidine nautæ,
Vt laceræ à pelago portum tenuere carinæ.
Quo duce, forte roges? præsto est de sanguine claro,
Virtutis, neque stirpis egens Balduinus honestæ:
Est aliquid, pulchris dignum natalibus esse.
Palantes animas angusto ducere calle
Diuorum in patriam, longè plus iudice Christo est.

Ergo

Digitized by Google

IN FESTO S. ANDREÆ.

Exordium:

OLIM apud Romanos in Seruio Tullio rege fortuna vires ſuas oſtēdit. Verna enim natus Vrbi rex datus eſt: cui diutiſsimè imperium obtinere, quater luſtrū condere, ter triumphare contigit. Ad ſummam autem vnde proceſſerit, aut quò peruenerit, ſtatuæ ipſius titulus abundè teſtatur, ſeruili cognomine, & regia appellatione perplexus.

Ita etiam Chriſtus abiectos elegit piſcatores, quos ouibus ſuis præficeret, & primos Eccleſiæ ſuæ rectores conſtitueret.

Euangelium:

Ambulans Ieſus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocabatur Petrus, & Andream fratrem eius mittentes rete in mare. Matth 4.

Thema:

Relictis retibus ſecuti ſunt eum.

Occaſione horum verborum oſtendemus licere filiis, inuitis parentibus ad religionem tranſire, duabus ſeruatis conditionibus. Vna, quod ad annos pu- Ibid.

bertatis peruenerint. Pubertas autem in viris est anno XIV. vt habemus *c. 1. de regularibus in Sexto.* in feminis autem anno XII. vt habemus *can. puella*, 20. q. 2. Altera est, vt parentes non sint in tali necessitate, vt sine filiorum auxilio viuere non possint. Tunc enim tenentur ex præcepto Dei parentibus adesse.

Prob. primò ex Script. quæ etsi hoc disertè non doceat, ei tamen valdè conforme est. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui.* Et: *Qui dixit patri suo, & matri suæ: Nescio vos: & fratribus suis: Ignoro vos: & nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum seruauerunt.* Vbi Moyses in laudibus Leuitarum ponit, quòd parentes, & fratres deseruerint, vt Deo liberiùs vacarent. Item: *Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet rex decorem tuum.* Et: *Qui amat patrem, aut matrem plus quàm me, non est me dignus.* Vnde cùm quidam diceret Iesu: *Sequar te Domine: sed permitte mihi primùm renuntiare his, quæ domi sunt: ait ad illum Iesus: Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.*

Gen. 12. Deut 33. Psal 44. Matt 10. Lucæ 9.

Prob. secundò sacris canonibus: 20. q. 2. *can. Puella.* item *cap. eum virum, de regularibus.* Idem docetur in Conc. Tolet. x. *c. vlt.*

Prob. tertiò testimoniis Patrum, inter

quæ

quæ illustre est illud S. Hieronymi *epist. 1. ad Heliodorum: Licet paruulus ex collo pendeat nepos, licet sparso crine, & scißis vestibus vbera, quibus te nutrierat, mater ostendat, licet in limine pater iaceat, per calcatum perge patrem, siccisq; oculis ad vexillum crucis euola: solum pietatis genus est hac in re esse crudelem.*

Prob. quartò ratione D. Ambrosij *l. 3. de virginibus: Cui licet,* inquit, *maritum eligere: cur non liceat Deum præferre?* At licet filiis, inuitis parentibus, matrimonium contrahere: cur non liceat etiam iisdem inuitis continentiam profiteri? Præterea licet viro, vxore inuita, ad religionem transire, quando matrimonium de præsenti quidem contractum erat, sed nondum consummatum: *c. Verum, & c. Ex publico, de conuers. coniugat.* Ergo multò magis licebit inuito patre.

Præterea quilibet ingenuus post annos pubertatis est sui iuris, quantum ad ea, quæ ad personã, & statum suum pertinent. In hoc enim serui à liberis differunt. Denique, *Obedire magis oportet Deo, quàm hominibus.* Act 5. Matt. 19. Deus autem consulit perfectam vitam omnibus in genere; & in particulari interna inspiratione vocat quosdam. Ergo si parentes resistant, audiendi non sunt.

Obiicitur 1. Apostolus iubet obedire

 paren-

Ephes. vl. parentibus, & eos honorare. *Filij, obedite parentibus vestris in Domino.*

Resp. parentibus duo à filiis deberi, obedientiam, & honorem, id est, temporalia subsidia. Quantum ad primum, dico ex Chrysostomi, Theophylacti, Hieronymi, & aliorum expositione in eum locum, ideo Apostolum addidisse, *in Domino,* vt intelligamus, non esse iis obediendum, nisi in iis, quæ non impediunt pietatem.

Quantum ad alterũ dico, præceptum illud, vt omnia alia affirmatiua, non obligare, nisi in casu necessitatis, cùm videlicet pater sine filij opera viuere non potest. Si enim diues sit, vel habeat alios, à quibus alatur, filius non tenetur ei adesse. Vnde Dominus: *Sine vt mortui sepeliant mortuos suos.* Nam qui dicebat illi: *Domine, permitte mihi primùm ire, & sepelire patrem meum:* non volebat dicere, Pater meus mortuus est, debeo eum sepelire: sed, Sine, vt maneam cum patre meo vsque ad mortẽ eius; cùm autem obierit, & eum sepeliero, tunc sequar te. Luc. 9.

Obiicitur 2. Vxor non potest ingredi religionem sine consensu viri, nec seruus sine consensu domini. Ergo nec filius sine consensu patris.

1. Cor 7. Resp. Vxor *non habet sui corporis potestatem*

tem, sed vir: & ideo non potest vxor de persona sua disponere sine consensu viri. Filij autem quoad personam suam liberi sunt post annos pubertatis. Pari ratione seruus non habet personæ suæ potestatẽ, sed dominus eius, & ideo de ea non potest disponere. Cùm enim subiectio seruilis sit pœna peccati, non autem subiectio filialis, mirum videri non debet, si seruis adimitur aliquid, quod antea eis competebat, & id filiis non adimatur.

Morale.

Secuti sunt eum.

Videndum erit, quare quilibet Christianus meritò sequi debeat Dominum, & in quibus. Matth 4.

Quantum ad primum, ob triplicem rationẽ debet quilibet sequi Dominum. Prima est, quia hoc ipsum honorificum est: *Gloria magna est sequi Dominum: longitudo enim dierum assumetur ab eo.* Eccli 23. Et: *Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus, qui in cælis est.* Ioan. 12. E contrario dicitur: *Qui me erubuerit, & meos sermones: hunc filius hominis erubescet, cùm venerit in maiestate sua, & Patris, & sanctorum Angelorum.* Luc. 9.

Secunda ratio est: quia sequi Christum

Digitized by Google

Ioan. 8. vtile est. *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.*

Tertia ratio est: quia omnis Christi
Ioan. 13. actio nostra est instructio. *Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis: ita & vos faciatis.*

Quantum ad secundum, septem sunt, in quibus Christum imitari debemus.

Primũ est in abstinentia carnis: nam à natiuitate vsque ad mortem duram vitam sustinuit. Media hieme natus est, &
Lucæ 2. media nocte: *pannis reuolutus, & reclinatus in præsepio.*

Secundò eum in humilitate imitari
Matt. 11. debemus. *Discite à me, quia mitis sum, & hu-*
Ioan. 19. *milis corde.* Tunicam gerebat inconsutilem: nudis pedibus, & aperto ambulabat
Matt 21. capite: insidebat asino: & *baiulans sibi cru-*
Ioan. 19. *cem exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ, locum.*
Psal 21. Vermi etiam comparatus est: *Ego sum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Ex humilitate pro nobis ca-
Luc. 23. ptus est, & ligatus funibus: *alba veste ab Herode indutus est: chlamyde coccinea à Pilato circumdatus,* spineam in capite coronam
Ioan 19. sustinuit: & tandem *inclinato capite spiritum emisit.*

Tertiò Christum imitari in paupertate debemus: qui pauper fuit in natiuita-
Luc. 2. te, & *reclinatus fuit in præsepio, quia non erat ei locus*

Digitized by Google

locus in diuersorio., Pauper vixit, quia pro-
priam numquam domum habuit: pau-
per etiam obiit, quia nudus in cruce pe-
pendit.

Quartò eum imitari debemus in abstinentia cibi, & potus. Nam *cùm ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit*. Matth. 4. Ipse *vinum cum felle mistum gustauit, & spongiam aceto plenam*. Matt. 27. Anne durum erit in his sequi Dominum? Audi Apostolum: *Si secundùm carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis*. Rom. 8. Viuetis, inquã, spiritualiter, & corporaliter: quia scriptum est: *Qui abstinens est, adiiciet vitam*. Eccli 37. Quid viuetis? *Esurientes etiam impleuit bonis*: Luc. 1. & *Beati, qui nunc esuritis: quia saturabimini*. Matth. 5.

Quinto in patientia Christum imitari debemus: nam patienter iniuriosa audiuit verba, & dura sustinuit verbera. De ipso dicebatur: *Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus*. Matt. 11. Et iterum: *Tu de te ipso testimonium perhibes: testimonium tuum non est verum*. Ioan 8. Item: *In principe dæmoniorum eiicit dæmones*. Matth. 9. Sed quid? *Cùm malediceretur, non maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur*. 1. Pet 2. Sed patienter tulit verbera: captus, & ligatus est; alapis, & colaphis cæsus; consputus, & velatus; flagellatus, & coronatus; ad Annam du-

ctus, Caipham, Pilatum, Herodem, & Caluariæ locum; tandem cruci affixus est; & in omnibus istis ouis similitudinem gessit,

Sextò Christum in verbis imitari debemus: qui veritatem in illis habuit:
Ioan. 14. *Ego sum veritas:* & veritatem dilexit: *Ecce*
Psal. 50. *enim veritatem dilexisti.* Nam qui mendax
Ioan 8. est, imitatur diabolum, *qui mendax est, & pater eius.* Habuit & in verbis vtilitatem.
Matt. 12. *Omne* autem *verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.* Habuit discretionem: nam coram Cai-
Matt. 27. pha, Pilato, & Herode tacuit: & *cùm accusaretur à principibus sacerdotum, & senioribus, nihil respondit.* Quare bene monet Sapiẽs:
Eccli 32. *Adolescens, loquere in causa tua vix. Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum.*

Septimò Christum imitari debemus,
Matt. 26. qui tristis fuit, & honores fugit. *Tristis,* ait, *est anima mea vsque ad mortẽ.* Et iterum:
Matth. 5. *Beati, qui lugent; quoniã ipsi consolabuntur.* De-
Ioan. 6. nique *cùm cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.*

IN FESTO S. NICOLAI.

Exordium:

LEuauit Abraham oculos suos, viditq́ post tergum arietem inter vepres hærētem cornibus. Quem assumens obtulit holocaustum pro filio. Gen. 22.

Moraliter:

Aries ille iustum quemque significat, qui quamdiu ærumnas huius vitæ sustinet & in duris pœnitentiæ laboribus se exercet, quasi cornibus inter vepres hęret. Quòd autem post tergum Abrahæ aries hæreat, absentiam significat Domini, qui se iustum videre, & curare aliquando dissimulat, quem tamen maximè amat. Vnde assumens eum offert in holocaustum, quando charitate ardentem, & in gratia Dei morientem suscipit in cælum. Talis etiam fuit S. Nicol.

Euangelium:

Homo quidam peregre proficiscens vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua. Matt. 25.

Thema:

Vni dedit quinq; talēta, alij autē duo, alij vnum. Ibid.

Ostendemus aliis maiorem, aliis minorem dari gratiam secundū propriam cuiusque dispositionem.

Et quidem Iouinianus omnes iustos existimabat, sanctitate & iustitiâ esse pares. Sectarij huius temporis, quoniam pertinaciter contendunt, homines iustos,& gratos esse, non suâ vnumquemque iustitiâ, & gratiâ sibi inhærente, sed ipsa gratia,& iustitia Christi, quę vna est, & eadem, necessario negare coguntur inæqualitatem gratiæ eius,quæ homines gratos, & iustos facit; & consequenter huiusmodi gratiã pro inæqualitate dispositionis inæqualiter infũdi,& donari.

Vnde Lutherus in concione quadam de Natiuitate B. Mariæ huiusmodi blasphemiâ vsus est: *Omnes nos æquè iusti, & sancti sumus, atque B.Virgo.* Quam blasphemiam abundè redarguit illud Archangeli: *Aue, gratia plena.* Et illud Elizabeth: *Benedicta tu inter mulieres.* Atque illud item ipsius B. Virginis: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna, qui potens est.*

Luc. 1.

Nos autem ex Orthodoxâ doctrinâ in Concilio Trident. *sess.* 6. *c.* 7. positâ, & à D.Thoma 1.2.*q.*112.*art.*4. explicatâ, contra istos asserimus, gratiam iustificãtem esse posse, & solere in diuersis hominibus inæqualem, secundùm mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis, prout vult, & secundùm propriam cuiusque

iusque dispositionẽ, & cooperationem; vt rectè Concilij Tridentini Patres, & B. Thomas explicarunt.

Ac 1. quidem id probamus ex Scriptura sacra; idque tripliciter.

Nam 1. in sacris litteris instituitur sæpe quarundã personarum laudatio cum comparatione, quòd ad gratiam, & iustitiam attinet. *Nunquid considerasti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra, homo simplex, & rectus,* &c. Et de Saule: *Non erat vir de filiis Israel melior illo.* Et de Ioanne Baptista: *Inter natos mulierũ non surrexit maior.*

Iob 1. 1. Reg. 9. Matt. 11.

2. Nam Apostolus in suis epistolis ea passim disputat, quæ, nisi gratia inæqualis esse possit, intelligi commodè non queunt. Dicit enim se habuisse *primitias spiritus.* Et: *Vnicuique datur gratia secundum mensuram donationis Christi.* Et: *Tanquam paruulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam.* Comparat etiam Ecclesiam Dei cum domo, in qua sunt *vasa aurea, & argentea, & lignea, & fictilia.*

Rom 8. Ephes. 4. 1. Cor 3. 2. Tim. 2

3. Quia constat ex sacris litteris, gratiam, & iustitiam posse, & solere augeri in hominibus iustis, prout quisque adiuuante Deo, magis, aut minus salutis suæ studiosus est: nec dubium est, quin possit, & soleat inæqualitas contingere in eo, quod augeri solet, & proinde iam esse

esse maius, aut minus. Id autem patet
2.Cor.9. his locis: *Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis.* Et infrà: *Augebit*
1.Pet.2. *incremẽta frugum iustitiæ vestræ.* Et: *Sicut modò geniti infantes rationabiles sine dolo lac cõcupiscite, vt in eo crescatis in salutem.* Et: *Crescite verò*
2.Pet.3. *in gratia, & cognitione Domini nostri, & Salua-*
Apoc.22 *toris Iesu Christi.* Et: *Qui iustus est, iustificetur adhuc; & sanctus, sanctificetur adhuc.*

Prob.2.inæqualitas gratiæ ex Patribus, Irenæo *l.4.c.22.*S.Cyrillo Hieros. *catechesi 16.*S.Chrysostomo *hom.13.in Ioan.*S.Cypriano *l.2.epist.2.ad Donatũ.*S. Hieronymo *l.2.contra Iouin.& l.2.cõment.in epist.ad Ephes. c.4.* S. Augustino *epist.29.ad Hieron. & epist. 57.ad Dardanum: Deus,*inquit,*etiam in quibus habitat, non æqualiter habitat. Nam vnde est illud, quòd Elizæus poposcit, vt dupliciter in eo fieret Spiritus Dei, qui erat in Elia?*

Prob.3.optima ratione D.Thomę 1.2. *q.112.ar.4.* Nam, vt Deus voluit vniuersum hoc esse perfectum quod ad bona naturalia attinet; ita etiam voluit perfectam esse suam Ecclesiã, quòd attinet ad dona gratiæ omnis generis. Sed ad perfectionẽ vniuersitatis rerũ naturalium pertinuit, vt faceret Deus diuersos, & inęquales earũ gradus. Ergo similiter ad perfectionẽ Ecclesiæ spectat, vt inæqualiter dona gratię fidelibus distribuat, quo

ex

ex diuersis gratię gradibus maior, & illustrior Ecclesiæ perfectio existat. Quam rationē etiā Apostolus attigisse videtur: Nam cùm dixisset, *vnicuiq; datā esse gratiam secundùm mensurā donationis Christi*: enumeratis diuersis gratiæ donis, & gradibus, quasi ostendens finē, cuius causa Deus inæqualiter gratiā distribuat, subiunxit, hoc fieri *ad consummationem Sanctorum, in ædificationem corporis Christi*. Est enim hæc ratiocinatio Apostoli etiam accommodanda ad diuersos gradus gratiæ gratum facientis, sicut etiam D. Thomas *loco citato* accommodat. Ephes. 4.

Porrò gratiæ mensurā iuxta proportionē etiam dispositionis proprię Deum partiri, vt diximus, patet ex testimoniis Concilij Trident. Cypriano, & Hieronymo. Et præterea ratione: Nā, cùm Deus communicet gratiā suauiter, iuxta modum humanæ naturæ, qui est, vt homo ipse gratiæ munus acceptet; ac propensissimus etiam Deus sit ad hoc munus iuxta dispositionem, & capacitatem hominis communicandum; non est ambigendum, quin ei maiorem impertiat gratiam, qui per conuersionem perfectiorem reddit se capaciorē huius doni. Cōfirm. id ex illo principio Philosophi. cui nemo non naturaliter assentitur:

Sicut simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis: i. si quæ res valet, vt absolute aliquid obtineatur, aut fiat, eam rem, cùm fuerit præstantior, procul dubio etiam valituram, vt illud perfectiùs etiam fiat, aut obtineatur.

Atque hoc quidem esse diuinæ legis decretum, Scriptura etiam indicat iis locis, ex quibus licet colligere, Deum respicere ad modum, seu perfectionem nostræ cooperationis in impertiendis cuiusque generis beneficiis, atque adeò etiam in tribuendo beneficio remissio-
Luc 7. nis peccatorum, & gratiæ. *Remittuntur ei peccata multa, quoniã dilexit multùm. Cui enim minùs dimittitur, minùs diligit.* Et de patrefa-
Matt. 25. milias dicitur, quòd *peregrè proficiscens vni dederit quinque talenta, alij duo, alij verò vnum, vnicuique secundùm propriã virtutem.* Quâ parabolâ significatur Dei consiliũ, qui gratię talentũ, quo inprimis necesse est nos in hac vita cælũ lucrari, iuxta propriam virtutem. i. iuxta mensuram propriæ cooperationis, inæqualiter distribuit.

Sed animaduertendum est, quod rectè notauit D. Thomas, quòd sicut gratia Spiritus S. nos excitans, & adiuuans efficaciter, prima, & pręcipua caussa est dispositionis nostræ, atque adeò perfectioris dispositionis; ita etiã inæqualitatem gratiæ

Digitized by Google

gratiæ iustificantis ad gratiam excitantem,& adiuuantem efficaciter, tanquam ad primam, & præcipuam causam, esse referendam.

Neque obstat hoc tamen, quo minùs adiuuante Deo,in nostra potestate situm sit, maiorem gratiam iustificantem obtinere, si scilicet adiuti diuinitùs liberè in Deum feramur per conuersionẽ perfectiorem. Quemadmodum licet Spiritus sancti inspiratio, & auxilium præcipua causa sit,cur absolutè gratiam iustificantem acquiramus; tamen adiuuãte Spiritu S.in nostra potestate situm est, absolutè gratiam acquirere. Vtrumque enim est cum adiutorio diuino similiter in nostra libera potestate, scilicet conuerti,& conuerti perfectiùs.

Quare quod D. Thomas in ratione, quam antea fecimus,sumit, idcircò gratiæ iustificantis mensuram inæqualiter distribui, quia Deus vult inæqualibus gratiæ donis Ecclesiam suam, eiusque statum perficere, non ita est intelligendum, quasi hoc Deus velit nullo respectu habito ad cooperationem vniuscuiusque propriã ex adiutorio gratiæ procedentẽ: sed sensus est, Deum iis,qui inæqualiter cum diuino adiutorio cooperantur, velle inæqualiter mensurã grati-

tiæ iustificantis partiri, vt ea ratione status Ecclesiæ sit perfectior.

Considerandum est enim, quamcunque gratiam vocantem, & excitantem homini sufficere, vt cum adiutorio Dei (quod præsto est) possit non modò conuerti, sed etiam perfectiùs conuerti, atque adeò gratiam perfectiorem acquirere. Quanquam negandũ non est, quin peculiaribus inuitamẽtis, & inspirationibus gratiæ vocãtis, & excitantis, Deus pro suo beneplacito cũ aliquibus agat, vt perfectiùs conuertantur.

Porrò fundamentum Iouiniani pro contrario errore fuit, quia constat duos
Matt. 25. tantùm ordines hominũ in iudicio extremo futuros: Alterum bonorum, qui collocabuntur ad Christi dexteram: alterum malorum, qui erunt ad sinistram. Ex quo Iouinianus colligebat, omnes bonos bonitate esse pares; & omnes improbos similiter pares improbitate. Sed hoc fundamentum nullius ponderis est. Nam, vt rectè respondet D. Hieron. *l. 2. contra Iouinianum*, nihil impedit, quò minùs in vtroque ordine, bonorum scilicet, & malorum hominum varij gradus sint. Alioqui, vt rectè obiicit D. Hieron. non esset differentia inter Apostolum *Paulum, & incestuosum illum hominem,*

minem, qui in Ecclesiam post pœnitentiam est receptus; sed quia simul à dextris est, in eadem cum Apostolo claritate fulgeret : quod absurdum est.

Morale.

Vni dedit quinque talenta. Matt. 25.

MVLTA talenta S. Nicolaus à Domino accepit. Primum fuit, quòd Nicolaus illustri loco Pataræ in Lycia natus sit. Sed parum prodest locus natiuitatis illustris, si non adsit nobilitas mentis. Ita cùm Eleazarum multi rogarent, vt simularet se manducasse carnes porcinas, *ille cogitare cœpit ætatis, ac senectutis suæ eminentiam dignam, & ingenitæ nobilitatis canitiem, atque à puero optimæ conuersationis actus, & respondit citò dicens, præmitti se velle in infernum. Non enim ætati nostræ dignum est, inquit, fingere: vt multi adolescētium, arbitrantes Eleazarum nonaginta annorū transisse ad vitam alienigenarum: & ipsi propter meam simulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur; & per hoc maculam, atque execrationem meæ senectuti conquiram.* 2. Machab. 6.

Secundum talentū fuit, quòd parentes Nicolai steriles à Deo ipsum precibus impetrarint. In hoc comparandus est S. Ioanni Baptistæ, quo *maior non surrexit* Matt. 11.

rexit inter natos mulierum: Nam Angelus de
Luc 1. eo ad Zachariam: *Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua: & vxor tua Elisabeth pariet tibi filium.*

Tertium talentum fuit, quòd sanctitas huius viri iam ab incunabilis apparuit. Nam infans, cùm reliquos dies lac nutricis frequens sugeret, quarta, & sexta feria semel dumtaxat, idque vesperi sugebat: quam ieiunij consuetudinem in reliqua vita semper tenuit. Ita Angelus Domini dixit ad Manue de Samsone:
Iudic. 13. *Quicquid ex vinea nascitur, non comedat: vinum & siceram non bibat, nullo vescatur immundo.* Quid ita? *Erit enim puer Nazaræus Dei ab infantia sua, ex vtero matris suæ vsque ad diem mortis suæ.*

Quartum talentum fuit, quod adolescens parẽtibus orbatus, facultates suas pauperibus distribuit. Cuius illud insigne est Christianæ benignitatis exemplum, quòd cùm eius ciuis egens tres filias iam nubiles in matrimonio collocare non posset, earumque pudicitiam prostituere cogitaret, re cognita Nicolaus noctu per fenestram tantum pecunię in eius domum iniecit, quantũ vnius virginis doti satis esset: quod cùm iterum, & tertiò fecisset, tres illæ virgines honestis viris in matrimoniũ datæ sunt.

An non tres illæ virgines comparandæ sunt cum tribus mulieribus pauperculis statura, ætate, & facie per omnia similibus, quæ S. Francisco inter Campilium, & S. Quiritium occurrerunt? Nouum sanè salutationis munusculum offerebant, dicentes: *Bene veniat domina paupertas*. Quo audito, verus paupertatis amator indicibili repletus est gaudio. Ita S. Bonauentura *c.7. vita eius, §.6.*

Quintum talentum fuit, quod in Palæstinam profectus sit, vt loca sancta viseret, & præsens veneraretur. Qua in peregrinatione nauem conscendens sereno cælo, & tranquillo mari, horribilem nautis tempestatem prædixit, moxque ortam, cùm essent omnes in summo periculo, orans mirabiliter sedauit. An non in eo comparandus est S. Paulo? Prædicebat nauigantibus: *Viri*, aiebat, *video, quoniam cum iniuria, & multo damno, non solùm oneris, & nauis, sed etiam animarum nostrarum incipit esse nauigatio.* Et paulo pòst: *Neque autem sole, neque sideribus apparentibus per plures dies, & tempestate non exigua imminente, iam ablata erat spes omnis salutis nostræ.* Tunc Paulus: *Et nunc suadeo vobis bono animo esse. Astitit enim mihi hac nocte Angelus Dei, dicens: Ne timeas, Paule, Cæsari te oportet assistere: & ecce donauit tibi Deus omnes, qui nauigant tecũ.*

Act. 27. Ibid. Ibid.

Sextum talentum fuit, quòd, cùm domum reuersus singularis sanctitatis omnibus documenta præberet, Dei admonitu Myream, quæ Lyciæ metropolis erat, venerit. Quo tempore eius vrbis Episcopo mortuo, prouinciales Episcopi de successore diligendo consultabãt. Itaque in ea deliberatione diuinitus admoniti sunt, vt eum eligerent, qui Nicolaus nomine postridie manè primus in Ecclesiam ingrederetur. Qua obseruatione adhibita, in Ecclesiæ ianua deprehensus est Nicolaus, & summo omniũ consensu Myreę Episcopus creatur. 1.Reg. 9. Ita *Dominus reuelauerat auriculã Samuelis ante vnam diem, quàm veniret Saul, dicens: Hac ipsa hora, qua nunc est, cras mittam virum ad te de terra Beniamin, & vnges eum ducem super populum meum Israel. Cumq; aspexisset Samuel Saulẽ, Dominus dixit ei: Ecce vir, quem dixeram tibi, iste dominabitur populo meo.*

Septimum fuit, quòd in Episcopatu castitatem, quam semper coluerat, grauitatem, orationis assiduitatem, vigilias, abstinentiam, liberalitatem, & hospitalitatem, in adhortando mansuetudinem, in reprehendendo seueritatem perpetuò adhibuerit. Viduis, & orphanis pecunia, consilio, opera non defuit. Oppressos adeò subleuauit, vt etiam tres

Tribunos

Tribunos per calumniam à Constantino Augusto condemnatos, qui se propter famam eius miraculorum orationibus longissimè absenti commendauerant, adhuc viuens cùm Imperatori, minaciter eum terrens, apparuisset, liberauerit. Ita S. Paulus monet Episcopum, dicens: *Nemo adolescentiam tuam contemnat: sed exemplo esto fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate.* 1 Tim. 4.

Octauum talentum fuit, quòd contra edictũ Diocletiani, & Maximiani Christianæ fidei veritatem Myreæ prædicauerit. Ideo & ab Imperatorum satellitibus comprehensus, & longissimè abductus, in carcerem coniectus est. Vbi fuit vsque ad Constantinum Imp. cuius iussu ex custodia ereptus, Myream rediit; mox ad Nicænum Concilium se contulit: vbi cum trecẽtis illis decem & octo patribus Arianam hæresin condemnauit. In hoc cum S. Petro comparandus est: qui cùm ab Herode missus esset in carcerem, *ecce Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo: percussoq; latere Petri, excitauit eum dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus eius. Et exiẽs sequebatur eum.* Act. 12.

Vltimum talentum fuit, quod reuersus inde ad Episcopatum, non ita multo pòst, instãte morte, suspiciens in cælum,

 cùm

cùm Angelos ſibi occurrentes intueretur, illo Pſalmo pronunciato: *In te Domine ſperaui*, vſque ad eum locum: *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum*, in cæleſtem patriam migrauit octauo Idus Decembris, anno ſalutis humanæ treceteſimo quadrageſimo tertio. Referunt hæc Ioannes Diaconus, & Metaphraſtes de vita S. Nicolai.

Pſal. 30.

IN CONCEPTIONE B. MARIÆ.

Exordium:

Exod. 25

LOcutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Arcam de lignis ſetim compingite, cuius longitudo habeat duos, & ſemis cubitus: latitudo cubitum, & dimidium: altitudo cubitum ſimiliter, ac ſemiſſem. Et deaurabis eam auro mundiſsimo intus & foris: facieſq; ſuprà, coronam auream per circuitum.

Moraliter:

Arca illa B. Virginem Mariam ſignificat, quæ ex lignis incorruptibilibus conſtructa eſt, quia caro eius non computruit: intus, & foris auro mundiſſimo deaurata fuit, quia miris gratiarum donis

nis in anima, & corpore ornata fuit: & per circuitum coronã habuit auream, quia multis præfulgida virtutibus sine macula concepta fuit. Vnde Psalmista: *Sanctificauit tabernaculum suum altissimus.* Psal.45.

Euangelium:

Liber generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abraham. Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob. Matth. 1.

Thema:

Virum Mariæ, de qua natus est Iesus. Ibid.

Occasione huius festi quæritur, primò Vtrum B. Maria fuerit sanctificata in vtero matris?

Resp. Veritas certa est, B. Virginem fuisse sanctificatam, priusquam ex vtero matris nasceretur. In qua consentiunt omnes Theologi cum D.Thoma *p. 3. q. 27. art.* 1. & Magistro *in 3, dist.* 3.

Prob. ratione D.Thomæ, quæ in hoc principio fundatur: quia priuilegium gratiæ, & sanctitatis ad maiorem puritatem, & gratię excellentiam pertinens, quod quibusdam hominum concessum est, non est negatum B. Virgini. Sed sanctificari in vtero concessum est aliquibus. Ergo.

Minorẽ probat D. Thomas ex sanctifi-

catione Ieremię,& Ioannis Baptistę. Nec desunt, qui priuilegium hoc ad alios extendunt: sed sine probabilitate, & fundamento. Imò de Ieremiæ sunt, qui dubitent: nam licet de illo dicatur: *Antequam te formarem in vtero, noui te; & antequam exires de vulua, sanctificaui te, & Prophetam in gentibus dedi te:* existimant tamen hoc explicari secundum diuinam electionem, & prædestinationem. Ita sentit Abulensis *Iud.* 13.*q.*17. quia ibi etiam Samson dicitur *Nazaræus ex vtero matris suæ*, id est, sanctificatus. Et Paulus se dicit fuisse *segregatum ex vtero matris suæ*. Quod necessario secundum prædestinationem intelligendum est. Et tamen Hieron. *Ierem.* 1. videtur inter se conferre, & æquiparare illa duo loca, Pauli, & Ieremiæ: quod etiam facit Irenæus *l.*5.*c.*15. vnde Bernardus *epist.* 174. dictam expositionem probabilem esse existimat. Cui multùm fauet August. *epist.* 57.*q.*2. & Anastasius Nicenus *in quæst. sacræ Script. q.*59.*tom.*6.*Bibliot.* Et suaderi potest: nam eodem modo dicitur Ieremias sanctificatus in vtero, & effectus propheta: certum est autem non accepisse donum prophetiæ in vtero matris, sed ex illo fuisse deputatum, & electum in Prophetam. Ergo eodem modo potest dici sanctificatus in vtero.

Ierem. 1. Iud. 13. Gal. 1.

Sed

Sed de Ioanne Baptiſta nulla poteſt eſſe dubitandi ratio,quanquam Auguſt. nonnihil dubitare videatur:tamen verba Euangelij ſunt adeò expreſſa,vt nullam aliam commodam expoſitionẽ admittant. Dicit enim Angelus: *Spiritu ſancto replebitur adhuc in vtero matris ſuæ.* Et ita docent omnes Patres ibi, Ambroſius, Theophylact.Origen.*hom.*4.Chryſ.*ſerm.* *2.de Ioanne Baptiſta*, Hieronymus,Bernardus,& alij. Luc. 1.

De Ieremia tamen etiam verius, ac ferè certum eſt, fuiſſe in vtero ſanctificatum,vt D.Thom. docet,ac ferèTheologi *in 3. diſt.* 3. Eſt enim hæc ſententia magis conſentanea textui Script. Nam illud primum verbum: *Antequam te formarem in vtero, noui te*, prædeſtinationem ſignificat, & ideo dicitur eſſe ante formationem in vtero.

Secundum autem verbum ſignificat executionem,ſeu iuſtitiæ infuſionem;vt patet,tum ex proprietate verbi: tum ne idem iterũ repetatur: tum denique,quia propterea dicitur facta, nõ ante formationem, ſed ante natiuitatem ex vtero.

Tertium autem illud: *Et prophetam in gentibus dedi te*,cùm ibi non ſignetur tempus, poteſt ſatis commodè ad illud referri, in quo factum eſt: vel, ſi intelli-

gatur in vtero factum, dicendum esset, donum prophetiæ non esse habituale,& permanens; & ideo non dici aliquem constitui prophetam per huiusmodi donum: nec per actuale; aliàs non diceretur propheta, nisi cùm actu prophetat. Dicetur ergo constitui per specialem Dei deputationem, & fortasse per aliquam sanctificationem ad hoc ordinatam, cum parato Dei auxilio pro tempore oportuno.

Sed quæret aliquis: Quàm sit certa hæc assertio? Quidam solum piam, & probabilem illam appellāt, vt Caietan. *tom.2. opusc. tract.1.c.1.* Alij verò hoc reprehendunt, & existimant simpliciter esse de fide, vt Catharinus *l.4. contra Caiet.* Sed media via videtur incedendum. Est itaque, vt minimum, temeraria contraria sententia, cùm sit contra omnium Catholicorum sensum, nullo contradicente, & non possit habere vllum probabile fundamentum, nisi fortasse, quòd non habetur in Script. ac si sola illa essent credenda, quæ in Script. habentur; quod est hæreticum dogma.

Deinde; Quamuis non sit aperta hæresis, hoc negare, quia hæc veritas non est expresse definita, aut tradita, tanquam de fide, esse tamen censeo erroneum,

neum, vel errori proximum: quia est contra communem sensum Sãctorum; & quia Ecclesia celebrat festum Natiuitatis B. Mariæ; vt patet ex Concilio Lugdunensi, *in c. 1. de consecrat. dist.* 3. Non celebrat autem, nisi quod sanctum est. Est autem huius festi celebritas antiquissima: nam Petrus Damianus, & Germanus Constantinopol. ante mille annos conciones in hoc festo habuerunt.

Quæritur 2. Vtrum B. Virgo peccauerit in Adamo, & ideo ex vi suæ conceptionis fuerit peccato originali obnoxia?

Primum omnium statuendum est, B. Virginem fuisse à Christo redemptam, quia Christus fuit vniuersalis redemptor totius generis humani, & pro omnibus hominibus mortuus est. *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ.* Et: *Si vnus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt.* Et: *Vnus est mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Et sæpe aliàs. Ab hac autem generali Scripturæ regula aliquem excipere, contra fidem esse censet Augustinus *l. 1. de peccat. merit. & remiss. c. 27. 28. & l. 3. c. 3. & l. 6. contra Iulian.*

Rom. 5.
2. Cor. 5.
1. Tim. 2

Iulian. c. 8. Et videtur planè communis Ecclesiæ sensus. Nā Script. docet, totam humanam naturam collapsam esse in Adamo, & per Christum esse instauratam: & ideo simpliciter Mediator Dei, & hominum appellatur. Denique, ab hac redemptione Virginem eximere, esset aliquo modo dignitati Christi derogare.

Hoc posito difficultas est: An B. Virgo indiguerit hac redemptione, quia peccauit in Adamo, & de se fuit obnoxia originali peccato; an verò sine his possit stare vera redemptio?

1. sententia negat Virginem peccasse in Adamo. Ita tenet Catharinus *l. de peccat. origin. c. vlt. & l. de concept. ad synod. Trident. p.* 1. *c.* 1. *& Galat. l.* 7. *c.* 10. & Viguerius *in institutionibus, c.* 18. § . 5. Ad quam sententiam intelligendam supponendum est, vt omnes posteri Adæ dicantur in illo peccasse, nō satis esse, vt omnes fuerint in illo contenti, tanquam in primo parente, & naturali principio hominum futurorum omnium: quia hæc sola ratio per se sumpta non satis est, vt peccatum parentis deriuetur ad filium, neque vt filius in parente peccare dicatur. Oportuit ergo, vt Deus speciali lege, & pacto voluerit constituere Adam quodam

dam modo, vt caput ceterorũ; & in eius voluntate, posterorum voluntates ponere, vt velut omnium nomine præceptum impositum seruaret, aut transgrederetur; ita vt eo in diuinâ obedientiâ perseuerante omnes posteri quasi hæreditario iure iustitiam, & gratiam Dei obtinerent; illo autem peccante omnes essent Deo inuisi, & inimici. Potest ergo intelligi, Deum in hoc pacto B. Virginem excepisse, propter merita Christi præuisa: quia nullam inuoluit repugnantiam, quo minùs hoc Deus facere potuerit; quia sicut liberè voluit hoc pactũ cum Adamo inire, ita eadem libertate potuit matrem suam iam præuisam illa lege liberare. Quòd si hoc potuit, verisimile est fecisse: quia prædestinatio Christi, & matris eius, pręscientiam origenalis culpæ antecessit, & totum hoc priuilegium, dignitasque consentanea est dignitati matris. Sicut Assuerus dixit Esther: *Non morieris: non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.* Ex hoc autem principio sequitur dictorum auctorum sentẽtia, scilicet B. Virginem non peccasse in Adamo: quia licet in illo fuerit contenta, tanquam in naturali parente, non tamẽ fuit in eo pacto comprehensa. At sine pacto nullus peccasset Esth. 15.

in

in Adamo. Ergo. Et confirmatur quia ſentiẽdo hoc modo de Virgine,& Chriſti, & matris eius dignitas illuſtratur: quia & ipſa purior eſſe intelligitur, magiſque à peccato aliena,& maiori gratiæ priuilegio præuenta;& Chriſti meritum oſtenditur efficacius; quia non ſolùm poſt lapſum vel in ſe; vel in parẽte matrem liberare, ſed etiam præuenire potuit, ne in ipſo parente caderet. Vnde non fit, vt non ſit eius redemptor, ſed potiùs vt altiori modo illam redemerit. Sicut ſi quis, cùm mulier aliqua in ſeruam venditur, in ipſo contractu quempiam eius filium exciperet, ne ſeruus naſceretur, meritò diceretur illũ à ſeruitute liberaſſe. Sic igitur dicetur Virgo à Chriſto redempta, etiamſi in Adamo nõ peccauerit, quia ex meritis eius præuiſis ita exempta eſt, vt in illo peccare non potuerit. Et hinc vlteriùs ſequitur in hac ſententia, B. Virginẽ in re ipſa,& de facto nõ fuiſſe reuerà obnoxiã originali peccato .i. non habuiſſe debitum cõtrahendi illud,ex vi cõceptionis ſuæ: quia nullus habet hoc debitum, niſi quantùm in Adam peccauit: in hoc autem ſenſu poteſt dici obnoxia, quia niſi propter Chriſtum fuiſſet exempta in illo pacto, ex vi modi,quo eſt concepta,

origi-

originale peccatum contraheret. Hæc ſententia licet ſpeciem quandam pietatis prȩferat, tamen nec Script. ſacræ, nec Patribus videtur conſentanea.

Dicendum ergo cenſeo 1. abſolutè, & ſimpliciter fatendum eſſe, B. Virginem in Adam peccaſſe.

Prob. 1. quia Paulus abſolutè dicit, omnes peccauiſſe in Adam, & ideo indiguiſſe redemptione. Ergo non poteſt B. Virgo magis ab vna, quā ab alia clauſula excipi. Et ita vtramque exceptionem æque falſam reputat Auguſtin. *l.2. de peccat. merit. c.20.21. & 35.* Et hoc planè conuincit locus Pauli: *Si vnus pro omnibus mortuus eſt; ergo omnes mortui ſunt.* Vbi neceſſe eſt, vtramque partem diſtributionis æquè eſſe vniuerſalem. Sicut ergo certum eſt, Chriſtum mortuum eſſe pro B. Virgine (aliàs non redemiſſet illam, quia per mortem nos redemit) ita certum eſt B. Virginem fuiſſe mortuam ſaltem in Adamo. Et eandem vim habent illa verba Pauli: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur.* Sicut ergo B. Virgo in Chriſto vitam habuit, ita & in Adam fuit mortua. Et ſimilia ſunt illa: *Sicut per vnius delictum in omnes homines, &c.* Quæ teſtimonia in hunc ſenſum ſæpe tractat Auguſtinus *de natura & gratia*

Rom. 3. & 5.

2. Cor. 5.

1. Cor. 15.

Rom. 5.

gratia c.4. & l.6. contra Iulian. c.1. & 8. & alibi.

Confirm. quia aliàs sequitur, B. Virginem non fuisse à Christo redemptam, neque eum fuisse pro illa mortuum. Si enim B. Virgo fuit illo modo exempta in pacto, & in ipso Adamo, etiamsi Deus noluisset Christum mori nec redimere homines, nihilominus non esset in peccato cõcepta, nec indigeret redemptione, quia non peccauerat in Adam. Ergo signum est, si ita fuisset exempta, de facto non fuisse redemptam, neque Christum pro illa mortuum.

Confirm. quia aliàs B. Virgo non contraxisset mortem, & alias corporis pœnalitates ex Adamo. Consequens est omninò falsum, contra Paulum dicentem, *mortem in omnes homines per peccatum introiisse*. Vnde colligunt sancti, neminem pati mortem, nisi vel ratione peccati, quod ad ipsum pertineat; vel vt pro aliorũ peccatis satisfaciat, quod est proprium Christi. Quare Patres vocãt carnem Virginis, *carnem peccati*; carnem autem Christi in similitudinẽ carnis peccati: quia illa verè habuit mortem carnis ex peccato Adami contractam; hic verò voluntariè assumptam, *vt fratribus assimilaretur*.

Rom.5.

Dico

Dico 2. B. Virgo ex vi suæ conceptionis fuit obnoxia originali peccato, seu debitum habuit contrahendi illud, nisi diuina gratia fuisset impeditum.

Hæc conclusio sequitur tam ex fundamento in principio posito, quàm ex præcedenti conclus.

Et probatur 1. à priori ex dictis, quia B. Virgo peccauit in Adamo, ex quo, tanquam ex radice infecta, est orta per seminalem rationē. Sed hæc est tota ratio contrahendi originale peccatum, quod est ex vi conceptionis, nisi gratia Dei præueniat. Ergo.

Prob. 2. à posteriori, quia aliàs non esset magis redempta, quàm Angeli: nullus enim redimitur, nisi qui sub peccato seruit. Ergo ad veram redemptionem necesse est, vel esse in peccato, vel saltem esse ita subditum necessitati contrahendi peccatum, vt sine gratia singulari redemptoris vitari non possit.

Confirm. & explicatur exemplo supra posito de muliere, quæ serua efficitur, excipiendo in ipso contractu aliquē ex filiis, ne seruus nasci possit. Hoc enim posito, qui postea mulierem illam à seruitute redimeret, reuera non redimeret filium, quia non erat obnoxius seruituti, sed de se liber nasciturus. Sic

ergo, si B. Virgo nõ fuisset (vt ita dicam) vendita in Adamo, & de se seruituti peccati obnoxia, nõ fuisset verè redempta. Christus enim illos solos redemit, quos Adam vẽdidit, & quantum in ipso erat, fecit captiuos.

Quæret aliquis: Quàm sit certa sententia his conclusionibus explicata? Nonnulli existimant, hæreticum esse, vel saltem erroneum, illã negare: quod tenet Corduba citans D. Thomã & Gerson *l.1. suarum quæst. q.44. concl.5.* Aliis videtur esse tantùm opinionem probabiliorem, & contrariam nulla censura dignam esse, quia Concilium Trident. *sess.* 5. post traditam totam doctrinã de peccato originali, in fine declarat, non esse mentis suæ in illa Virginẽ comprehendere: ergo non est erroneum à tota illa doctrina Virginem excipere: & tamen inter alia docuerat ibi Concilium, omnes peccasse in Adamo.

Mihi videtur dicendum, non posse sine errore negari, B. Virginem ex vi peccati Adæ ita fuisse obnoxiam maculæ, & peccato contrahẽdo, vt, si per Christum non esset verè, ac propriè redempta, illud contraheret. Nec Concilium Trident. facultatẽ concedit illa detorquendi ad falsos, & improprios sensus, sed

solùm

ſolùm agit de præſeruatione Virginis à reali contractione originalis peccati, de qua ſola loquitur Sixtus IV. in ſua Extrau. ad quam ſe Concilium remittit. Si quis autem contendat, potuiſſe Virginem eſſe obnoxiam peccato Adæ contrahendo, atque adeò propriè redemptam per Chriſtũ, & nihilominus non peccaſſe in Adamo, ſed habuiſſe ſolum debitum peccandi in illo, fuiſſe autem propter Chriſtum præſeruatam, non ſolùm ne peccatum Adæ contraheret, verum etiam ne in ipſo peccaret: talis opinio non poſſet cenſura notari, quia vtcunque ſaluat Script. locutiones. Mihi tamen nullo modo videtur probanda, quia nec conſequenter loquitur, neque omnibus teſtimoniis adductis poteſt plenè ſatisfacere, neque ad tuendã Virginis dignitatem eſt neceſſaria.

Ad fundamentum contrariæ ſententiæ 1. dicitur, illud ſolùm eſſe coniecturam habentem quandam pietatis ſpeciem, quę ſatis eſſe non debet, vt tantum pondus auctoritatis relinquamus. Deinde, illa coniectura nullam vim habet: quia vt Auguſtinus docuit *l. 6. contra Iulian. c. 4. Peccatum originale, quatenus conſideratur in actione alterius, alienum eſt: fit autem proprium tantùm contagione propaginis.* Sicut ergo

 pecca-

peccatum alienũ non derogat propriæ innocentiæ,& puritati;ita nec peccatum Adæ, quamdiu in eo consideratur, & reipsa aliqua macula ex illo contracta non est.

Sic igitur, quòd B. Virgo de se fuerit obnoxia peccato (si illud reuera nunquam habuit) non derogat perfectæ ipsius sanctitati, & puritati; sed tantùm ostendit naturæ originem, & infirmitatem, quæ ita per gratiam sanari potest, vt nullus in ipsa persona defectus appareat. Aliunde vero conuenientissima ratione diuinæ prouidentiæ factum est, vt B. Virgo simul cum tota natura fuerit in voluntate Adæ constituta, vt perfecta, & vniuersalis dignitas redemptoris, & efficacia gratiæ eius redderetur illustrior, & in matre sua perfectiùs illuceret.

Morale.

Luc. 1. *Aue gratia plena.*

MVltæ in S. Maria Virgine virtutes claruerunt.

Ibid. Primò enim fuit Maria profundissima apud se, per humilitatem. *Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini.* O mira, & profunda

profunda humilitas Mariæ! Ecce Mariam Archangelus alloquitur, Maria gratia plena dicitur, superuenturus Spiritus S. promittitur, Maria in matrē Domini assumitur, Maria iam omnibus creaturis anteponitur, Maria iam Domina cæli, & terræ efficitur, & pro his omnibus non extollitur, sed mira humilitate deprimitur, dicens: *Ecce ancilla Domini.* Nec solùm in verbo Mariæ humilitas, sed etiam declaratur in facto. Nam *postquam impleti sunt dies purgationis eius secundùm legem Moysi, tulerunt illum in Ierusalem, vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini.* Ecce Maria absque omni peccato legem subiit purgationis, & nos peccatis pleni subire nolumus legem satisfactionis. Luc. 2.

Secundò fuit Maria ignitissima per charitatem. Nam *exurgens Maria abiit in montana cum festinatione.* Abiit, inquam, vt visitaret, vt salutaret, vt ministraret Elisabeth. In visitatione autem illa Maria quater nominatur, in quo charitas eius ad Deum, & ad proximum pleniùs declaratur. Luc. 2.

Habebat enim primò charitatē proximi in corde: & ideo *exurgens Maria abiit in montana cum festinatione.* Ita pastores *venerunt festinantes* ad præsepium: Zachæus Ibid.

festinans

Luc. 19. *festinans descendit* ad excipiendum hospitio Dominum.

Secundò Maria charitatem proximi fouebat ore. *Et factum est, vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit infans in vtero eius.* Charitas enim salutationibus, & charitatiuis verbis fouenda est. Vnde Angelus salutauit Mariam: Maria salutauit Elizabeth. Et *ecce Iesus occurrit* Mariis, *dicens: Auete.* Sed væ illis, qui dolosè proximum salutant, sicut Iudas dicens: *Aue rabbi.*

Luc 2.

Luc. 1.

Mat. vlt.

Matt. 26.

Tertiò Maria charitatem exercebat opere: *mansit* enim *Maria cum illa quasi mensibus tribus.* scilicet pro ministerio, & consolatione Elisabeth.

Luc. 2.

Quartò, sicut in omnibus Maria charitatem habuit ad proximum, ita super omnia charitatem habuit ad Deum. *Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum.*

Ibid.

Tertiò fuit Maria mansuetissima per lenitatem, & patientissima contra omnem aduersitatem. Dixit enim Simeon ad illam: *Ecce positus est hic in ruinam, & resurrectionem multorum in Israel; & in signum, cui contradicetur: & tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Gladius iste acutissimam Christi passionem significat: quæ licet animam Mariæ per compassionem pertransierit, ipsam tamen nec per odium occidit,

Ibid.

occidit, nec per impatientiam vulnerauit. Nec solùm patiens fuit in Filij sui passione, sed etiam vilipensione, quando dicebant: *Nonne hic est faber, filius Mariæ? Et scandalizabantur in eo.* Verè tamen faber erat, de quo scriptum est: *Tuus est dies, & tua est nox: tu fabricatus es auroram, & Solem.* Mar. 6. Psal. 73.

Quartò fuit Maria bonis operibus studiosissima. *Hi omnes erant perseuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Iesu.* Si Maria tam sedulè orauit in terris, quomodo non orabit pro nobis in cælis? Nec solùm ore in orationibus, sed etiam corde in sanctis fuit meditationibus indefessa. *Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Act. 1. Luc. 2.

Quintò Maria fuit tenuissima per paupertatē. Nā *pastores inuenerunt Mariam, & Ioseph, & infantē positum in præsepio.* Quod si pauper non fuisset, opulentum facilè hospitiū inuenisset. Vnde Saluator ait: *Væ vobis diuitibus, quia habetis consolationem vestram.* Non desperent tamē diuites, quia etiam Reges *intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius.* Pauperes ergo Christo conformantur per paupertatem: diuites Christo reformantur per liberalitatem. Ibid. Luc. 6. Matth. 2.

Sextò fuit Maria temperatissima per sobrietatem. Ideo illi dictum fuit: *Ne timeas* Luc. 1.

meas, Maria, inuenisti gratiam apud Deum. Nunquam ipsa tantam inuenisset gratiam, nisi gratia ipsam in cibo, & potu inuenisset temperatissimam. *Optimum est gratia stabilire cor, non escis: quæ non profuerunt ambulantibus in eis. Ecce concipies in vtero.* Nunquam Deum in vtero concepisse, si vterus eius cōtra Deum crapulosus fuisset.

Heb. 13. Luc. 1.

Septimò Maria castissima fuit per virginitatem. Eximiæ castitatis eius testem habemus Euangelistam, testem ipsam Mariam, testem Angelicam personam. Casta enim fuit in virginea carne: *Nomen Virginis Maria.* Castior fuit in virginea mente, sicut ipsa testatur: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* id est, non cognoscere propono. Castissima fuit in virginea prole, sicut testatur Angelus: *Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.*

Luc. 1. Ibid. Matth. 1.

Dulcissimum igitur Mariæ nomen inuocantibus seruulis per te, Regina clemens, gratiæ suæ munera largiatur Iesus Christus, filius tuus, qui cum Patre, & Spiritu S. viuit, & regnat Deus, Amen.

IN

IN FESTO S. THOMÆ.

Exordium:

CVm filij Iſrael ædificarent murum Ieruſalem, *vnâ manu ſuâ faciebant opus, & alterâ tenebant gladium: ædificantium enim vnuſquiſque gladio erat accinctus renes.* 2. Eſd. 4.

Moraliter:

Si velimus conſtruere ciuitatem virtutum animæ noſtræ, vt videat æternam pacem in cælo, vnâ manu tenere debemus gladium fidei, captiuãtes proprium intellectum in obſequium Chriſti: alterâ verò exhibere opera charitatis, & miſericordiæ. Aliàs arma fidei eſſent otioſa, & ſine exercitio, nec tueri poſſemus contra diabolum pacem noſtram, quam ipſe multis vitiorum exercitibus turbare conatur.

Euangelium:

Thomas vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Ieſus. Ioan. 20.

Thema:

Beati, qui non viderunt, & crediderunt.

Quæritur: An obiectum fidei ſit, aut

esse possit euidēs per ipsammet fidem; an verò ineuidens, ita vt fidei assensus pendeat peculiariter à libera motione voluntatis, & in hominis potestate sit, non assentiri doctrinæ fidei? Certa, & communis Theologorum sententia est, fidem esse ineuidentem; & ideo ex libera motione voluntatis pendere; & contrariũ asserere esse prorsus erroneum.

Mar. 16. Prob. 1. ex Script. *Prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Quibus verbis indicat Dominus, in libera hominum potestate esse, credere, aut non credere, etiam postquam sufficienter eis fuerit explicata doctrina Euangelij; ac proinde fidē non esse euidentem. Euidens enim censeri solet illud, quod sufficienter ita mouet intellectum, vt in libera hominis potestate non sit dissentire: v. g. quòd sensu percipitur.

Ioan. 12. Et: *Cùm autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, vt sermo Isaiæ impleretur, quem dixit: Domine, quis credidit auditui nostro?*

Act. 28. Et: *Quidam credebant his, quæ dicebantur* (à Paulo) *quidam verò non credebant:* nimirum,

Rom. 10. pro cuiusque arbitratu. Et: *Corde* (.i. arbitrio, & voluntate) *creditur ad iustitiam.* Et ibidem: *Non omnes obediunt Euangelio. Isaias*

enim

enim dicit: Domine, quis credidit auditui nostro? Et rursus: *Ad Israel autem dicit: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi.* Et: *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Isa.65. Heb 11.

Prob.2.ex Conciliis. Nam in Concilio Arausicano *can.* 5. dicitur, *initium fidei esse ipsum credulitatis affectum* (puta liberum) *eumq; inesse nobis per inspirationem Spiritus S. corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem*, videlicet in hoc liberam. Et in Concilio Toletano IV. *can.* 55. neminem cogēdum esse ad fidem, inde probatur, quia *sicut homo propria arbitrij volũtate serpenti obediens periit, sic* (vocante se gratia Dei) *propria mentis conuersione quisque credendo saluatur.* Item, in Cõcilio Trident. *sess.6.c.6.* dicitur, homines disponi ad iustitiam, *dum excitati diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum, credentes vera esse, quæ diuinitùs reuelata, & promissa sunt.*

Prob.3.ex Patribus. S. Irenæus *l.4.c.72.* *Non tantum*, inquit, *in operibus, sed etiam in fide liberum, & suæ potestatis arbitrium homini seruauit Dominus, dicens: Secundùm fidem tuam fiat tibi; propriam fidem hominis ostendens, quoniam propriam suam habet sententiam.* S. Athanasius *in tractatu de salutari aduentu Christi* Matth.9.

aduersus

aduersus Apollinarium: Non enim, inquit, *fides de re euidenti concepta fides dici poterit. Sed fides est, quæ in impoßibili* (secundùm quandam apparentiam) *poßibilitatem, & robur in imbecillitate, & patibile in impatibilitate, & corruptionem in incorruptibilitate, & mortale in immortalitate, & in paucitate magnitudinem credit*. S. Hilarius *l.8.de Trinit. ante medium: Habet*, inquit, *non tam veniam, quàm præmium, ignorare, quod credas, quia maximum fidei stipendium est, sperare, quæ nescias*. Vbi videtur alludere ad Apostoli dictum, scilicet fidem esse *substantiam, & argumentum sperandarum rerum, non apparentium*.

S. Ambrosius *l.1. de Abraham, c.3. Bonum est*, inquit, *vt rationem præueniat fides, ne tanquam ab homine, ita à Domino Deo rationem videamur exigere. Etenim quàm indignum, vt humanis testimoniis de alio credamus, Dei oraculis de se non credamus!*

S. Augustinus *tract.40.in Ioannem: Credimus*, inquit, *vt cognoscamus; non cognoscimus, vt credamus. Quod enim cognituri sumus, nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Quid enim est fides, nisi credere, quod non vides? Fides ergo est, quod non vides, credere: veritas, quod credidisti, videre*. Et *tract. 79.in Ioannem: Hæc est*, inquit, *laus fidei, si quod creditur, non videtur*. Et *serm. 1. de festo Trinit.*

Trinit. Accepto, inquit, *baptiſmo hoc dicimus: Fidelis factus ſum, credo, quod neſcio, & propterea ſcio, quia me ſcio neſcire, quod neſcio.*

S. Gregorius *homil. 26. in Euang. Diuina*, inquit, *operatio, ſi ratione comprehenditur, non eſt admirabilis. Nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.*

Probatur 4. orthodoxa ſententia de ineuidentia, & libertate fidei, ratione in Script. fundata. Nam quod laudatur, & remuneratur, & cuius contrarium reprehenditur, ac punitur, id ex libera voluntate pendet. Sed quòd homines credant, laudatur, & remuneratur: & quòd non credant, reprehenditur, & punitur. Ergo ex libera voluntate pendet fides; atque adeò non eſt euidens. Minor probat. ex iis locis: *Beati, qui non viderunt, & crediderunt*. Et: *Sancti per fidem vicerunt regna, adepti ſunt repromiſſiones*. Et: *Reportantes finem fidei veſtræ, ſalutem animarum*. Et contrà reprehenduntur increduli: *O ſtulti, & tardi corde ad credendum*. Et: *Exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis*. Et ibidem additur pœnæ comminatio: *Qui non crediderit, condemnabitur.*

Ioan. 20. Heb. 11. 1. Pet. 1. Luc. 24. Mar. 16.

Probatur 5. ab experiẽtia difficultatis, quam

quam ſentit humana ratio in aſſentiendo rebus fidei: quæ difficultas ſatis ſuperque oſtendit, fidem non eſſe euidentem, cùm adeò intellectus ad id aſſentiendum non cogatur, vt etiam non ſine difficultate ad id adducatur, iuxta illud:
2. Cor. 10. *In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti.*

Morale.

Noli eſſe incredulus, ſed fidelis.

IN tribus debemus eſſe fideles.

Primò debemus eſſe fideles ſerui ad Dominum noſtrum. Dignum enim eſt, vt fidelis dominus fideles ſeruos habeat. Et quis vnquam ſic fidelis fuit, vt Dominus noſter, qui pro ſeruo, & pro
Pſal. 144. malo, & ingrato ſeruo ſe dedit in mortem? *Fidelis Dominus in omnibus viis ſuis.* ſcilicet in redimendo, in defendendo, in
1. Cor. 10. cuſtodiendo. Et Apoſtolus: *Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis: ſed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere.* Tales etiam nos
Eccli. 33. ſeruos eſſe decet. *Si eſt tibi ſeruus fidelis, ſit tibi quaſi anima tua, quaſi fratrem ſic eum tracta: quoniam in ſanguine animæ comparaſti illum.* Sed quis hodie eſt fidelis ſeruus, & prudens?

dens? Plures ſanè ſunt, qui ſeruiunt diabolo, plures, qui mũdo, quàm qui Chriſto. Hos canes, equi, & leones ſuperant, qui fidem dominis ſuis & beneficis ſeruant. Narrat etiã hiſtoria Romana, quòd quidam nomine Machonius orator clariſsimus de inceſtu apud iudices fuerit accuſatus. Ad cuius teſtimonium ſeruus quidam aduocatus fuit, tanquã eius criminis conſcius. Cùm autem fidelis ſeruus dominum videret dolentem valdè, & nimium pertimeſcentem, ait ad eum: Noli timere, Domine mi: ſed ſecurè me iudicibus trade, certus quod nihil dicturus ſim. Traditus deinde iudicibus adeò fidelis fuit, vt multis verberibus laceratus, in eculeo ſuſpenſus, laternis ardentibus aduſtus, omniũ accuſationes ſubuerterit, vt meritò fortuna poſsit argui, quòd tantam fidelitatem ſeruili cordi impreſſerit. Quis hodie Chriſtianus ita fidelis eſt Chriſto? Tales olim fuerunt martyres: talis & S. Thomas fuit, qui pro Chriſto mori non timuit. Vnde & Chriſto volẽti eum ad Indos mittere reſpondit: *Tu es Dominus meus, & ego ſum ſeruus tuus, fiat voluntas tua.*

Secundò debemus eſſe fideles amici ad proximnm noſtrum. Nam *amico fideli nulla eſt comparatio, & non eſt digna ponderatio* Eccli. 6.

auri,

auri, & argenti contra bonitatem fidei illius. Maius est enim amicitiæ vinculũ, quàm parentelæ. Hæc enim à natura contrahitur, & interdum à beneuolentia separatur. Vera autem amici fides maximè cognoscitur in aduersis: de quo pulchrũ Valerius Max. refert exemplum, *l.4.c.1.* Nam apud Romanos quidam nomine Gracchus morti damnatus, & bonis omnibus atque auxiliis erat destitutus: duo tamen eius amici Pomponius, & Lectorius telis hostium vndiq; ruentium se opposuerunt, &, vt amicus euaderet, effecerunt. Pomponius enim persequentibus Gracchum in porta ciuitatis se opposuit, nec ex ea pelli potuit, nisi postquam multis vulneribus perforatus occubuit, & per cadauer suũ viam aduersariis dedit. Lectorius in ponte super Tyberim stetit, & eum in ardore spiritus sui, donec Gracchus transiret, contra omnes defendit. At hodie, proh dolor! nulli amici sunt personæ, quamuis multi inueniantur amici fortunæ. S. tamen Thomas veram ad proximũ amicitiam habuit, pro cuius salute vitam suam posuit. Vnde cum S. Paulo dicere potuit: *Ego autem libentissimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris, licet plus vos diligens minùs diligar.*

2. Cor. 12.

Tertiò

Tertiò debemus esse fideles villici in dispensando omnia, quæ à Deo accepimus. *Dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in sæculum sæculi.* Psal. 111. Nam de superfluis omnibus Dominus in iudicio petiturus est rationem. Vnde quilibet fidelis tunc audiet: *Euge serue bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium Domini tui.* Matt. 25. Quod si consideremus, quæ, & quanta sunt, quæ nobis promittuntur in cælis, vilescunt animo omnia, quæ habentur in terris. *Quis, putas, est fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore? Beatus ille seruus, quem, cùm venerit Dominus eius, inuenerit sic facientem: amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum.* Matt. 24. Contrà verò seruum malum, & pigrum tradet tortoribus sempiternis, & dicet: *Inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores: illic erit fletus, & stridor dentium.* Matt. 25. Sed deplorandũ est, quòd fideliores inuenti sint pagani in dispensatione thesauri sibi commissi, quàm multi Christiani. Scipio Princeps nobilissimus Romanorũ, dum postularetur, vt rationem redderet innumerabilis sibi commissæ pecuniæ, tradidit eis librum, in quo factæ expensæ erant scriptæ, nec cum eis ad legendum ire voluit, quia se optimè eas col-

locasse sciebat. Dixitque ad Senatum: Nolite, Patres, de innocentia mea dubitare: quia licet Africam totam potestati vestræ subiecerim, nihil tamen ex ea, quod meum dici posset, præter nomen, & gloriam, reputaui.

S. igitur Thomas Apostolus, qui & Didymus, Galilæus, fidelis fuit: nam post acceptum Spiritum sanctum in multas prouincias profectus est ad prædicandum Christi Euangelium: Parthis, Medis, Persis, Brachmanis, Hyrcanis, & Bactris Christianæ fidei, & vitæ præcepta tradidit. Postremò ad Indos se cōferens, eos in Christiana religione erudiuit: qui ad extremum vitæ, doctrinæ sanctitate, & miraculorum magnitudine, cùm ceteris omnibus sui admirationem, & Iesu Christi amorē commouisset, illius gentis Regem, idolorum cultorem, magis ad iram accendit: cuius sententia condemnatus, telisque confossus, Calaminæ Apostolatus honorem Martyrij corona decorauit. Ita Isidorus *de Patribus noui Testamenti.*

IN

IN
NATALI DOMINI.

Exordium:

CVm ægrotaret Ezechias vſque ad mortem, ſignum futuræ ſanitatis accepit, quòd Sol reuerteretur retrorſum decem gradibus. 4 Reg. 20.

Moraliter:

Cùm humanum genus peccato laboraret vſque mortem animæ, ſignum futuræ redemptionis humanæ fuit, quòd Filius Dei, verus iuſtitiæ Sol, humanam aſſumendo naturam ſeſe humiliauerit, atque infra nouem Angelorum choros ad mortalem noſtram carnem deſcenderit.

Euangelium:

Exiit edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis. Luc. 2.

Thema:

Peperit filium ſuum. Ibid.

Quæritur primò, Vtrum verè, & propriè Chriſtus natus fuerit ex Virgine?

Non defuerunt, qui negarunt, Chriſtum propriè natũ eſſe ex Virgine, quia

non naturali & ordinariâ viâ, ſed alia, neſcio qua, ex Virgine prodiit: quod fortaſſe dixerunt, vt eius virginitati, & integritati conſulerent. Ad quem errorem accedit Gotfredus *quodl. 7. q. 6.* dicens, Chriſtum non fuiſſe natum tranſeundo per medium, ſed ab extremo in extremum immediatè trãſiliendo. Hoc enim facilius ei viſum eſt, quàm quod interiacentia corpora penetrauerit abſque ruptione.

Dicendum eſt ergo, B. Virginem verè, ac propriè Chriſtum peperiſſe, ipſumque verè, ac propriè natum eſſe ex Virgine.

Eſt certum de fide. Probatur prior
Iſa. 7. pars apertiſsimis Scripturis. *Ecce virgo concipiet, & pariet.* Tam verè ergo peperit,
Matth. 1. quàm concepit. Et: *Pariet autem filium.* Et infrà: *Non cognouit eam, donec peperit filium.* Si ergo eſt verus, ac proprius filius, etiam eſt verus, ac proprius partus; vel, ſi alterum impropriè exponimus, cur
Luc. 2. non etiam alterum? Et: *Impleti ſunt dies, vt pareret, & peperit filium ſuum vnigenitum.*

Probatur ſecundò ex definitione, & traditione Eccleſiæ in Concilio Lateran. ſub Martino I. *conſult. 5. c. 3.* vbi definitur B. Virginem verè, & propriè fuiſſe Dei genitricẽ, *quia veraciter ipſum Deum concepit,*

concepit, & incorruptibiliter genuit. Idem traditur in Concilio Chalced.*act*.5.in *confessione fidei*. Idem docent alia Concilia, & Patres.

Ex hac verò priori parte necessariò sequitur posterior. Nam illa duo, scilicet partus, & natiuitas correlatiua sunt. Vnde aliis Script. locis Christus natus dicitur. *Paruulus natus est nobis*. Et: *Ego in hoc* Isai 9.
natus sum. Et in dicto Concilio Lateran. Ioan. 18.
can.4.definitur propriè, *& secundùm veritatem duas esse in Christo natiuitates*.

Nunc de circumstantiis Natiuitatis Domini agamus.

Prima circumstantia est Virginem fuisse expertem doloris in partu. Quod inde patet, quia Christus natus est absque vlla vteri virginei apertione, seu dilatatione, quæ aliis matribus adfert dolorem. Vnde Patres VI. Synodi *can*. 79. *absque vllo dolore Virginis partum esse confitentes*, aiunt. Idem Gregorius Nazianzenus *in tragœdia de Christo patiente*, & Cyprianus *serm. de Natiuitate*. Quod plane congruit cum narratione Euangelica, vbi dicitur, quòd Virgo statim, ac *peperit filium suum* Luc. 2.
primogenitum, pannis eum inuoluerit, & reclinauerit eum in præsepio, tanquam nihil detrimenti, aut languoris passa esset in partu. Quod etiā expressè obseruauit D. Hierony-

ronymus *l. contra Heluidium tom. 2. c. 4. Nulla,* inquit, *ibi obstetrix, nulla muliercularum sedulitas intercessit,* &c. Quod autem decuerit Virginem sine dolore, imò cum iucunditate parere, ostendit S. Augustinus *in serm. de assumptione B. Virginis*, excipiens
Gen. 3. Virginem ab illa sententia: *In dolore paries filios. Nā quæ sine peccati colluuione,* inquit, *& sine virilis admixtionis detrimento Christum suscepit, sine dolore genuit.* Idem Cyprianus *suprà.* Itaque decuit potiùs Virginē cum iucūditate, & gaudio parere, iuxta illud:
Isa 35. *Germinans germinabit, sicut lilium, & exultabit lætabunda, & gaudens.*

Secunda circumstantia, locus Natiuitatis est. Nam inprimis ex Scriptura certum est, Christum natum esse in Bethle-
Mich. 5. hem. *Et tu Bethlehem Ephrata, paruulus es in millibus Iuda. Ex te mihi egredietur, qui sit domi-*
Matth. 2. *nator in Israel.* Et: *Cùm ergo natus esset Iesus in*
Luc. 2. *Bethlehem Iudæ.* Et: *Factum est autem, cùm essent ibi* (in Bethlehem) *impleti sunt dies, vt pareret, & peperit filium suum,* &c.

Fuit autem hic locus Natiuitati Christi idoneus.

Primò, vt ex ipso etiam Natiuitatis loco magis constaret, impletam fuisse nato Christo promissionem diuinam factam Dauidi, de Christo nascituro ex stirpe ipsius. Nam Dauid fuit etiam in

Bethle-

Bethlehem natus. Quæ ratio ab Euangelista indicata videtur illis verbis: *Eò quòd esset de domo, & familia Dauid.* Ibid.

Secundò, vt vel eo ipso, quòd natus est in exigua ciuitate, hominum superbiam confutaret. Ita *cùm Gedeon excuteret, atque purgaret frumenta in torculari, vt fugeret Madian, apparuit ei Angelus Domini dicens: Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israel de manu Madian: scito quòd miserim te.* Iudic. 6.

Tertiò, quia, vt ait Gregorius *hom.* 8. *in Euang.* & Beda *in c.* 5. *Lucæ, Bethlehem,* domus panis interpretatur. Fuit autē Christus *panis viuus, qui de cælo descendit.* Ioan. 6. Cùm venisset Gedeon ad castra Madian, narrabat aliquis somnium proximo suo, dicens: *Vidi somnium, & videbatur mihi quasi subcinericius panis ex hordeo volui, & in castra Madian descendere, cumq́ue peruenisset ad tabernaculum, percussit illud, atque subuertit, & terræ funditus coæquauit.* Iud. 7. Panis ille Christū Dominum significat, qui è cælo in terrram deuolutus est in natiuitate sua, & in morte tabernaculum Diaboli contriuit. Nec tantum panis ipse est, sed etiam aqua, & aqua viua: *Si scires*, inquit ad Samaritanam, *donum Dei, & quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere: tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam.* Ioan. 4. Et iterum: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ sa-*

lientis in vitam æternam. De hac aqua loquebatur Dauid, quando in ſpiritu di-
2. Reg. 23. cebat: *O ſi quis mihi daret potum aquæ, de ciſterna, quæ eſt in Bethlehem iuxta portam!*

Quartò, vt eligens ignobilem locum natiuitatis, magis oſtenderet poteſtatem
1. Cor. 1. ſuam, iuxta illud: *Infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & contemtibilia elegit Deus, & ea, quæ non ſunt, vt ea, quæ ſunt, deſtrueret.*

Quintò, decuit illum ibi in peregrinatione naſci: quia, vt ait Gregorius *loco citato, per humanitatem, quam aſſumpſerat, quaſi in alieno naſcebatur.* Sic olim Rachel
Gen. 35. peperit Beniamin *in via, quæ ducit Ephratam, hæc eſt Bethlehem.*

Sextò, decuit etiam illum egere loco in diuerſorio, vt, ſicut ait Beda *in c. 2. Luc. per egeſtatem ſuam nobis multas manſiones in domo Patris ſui præpararet.* Ita Ioſeph à fra-
Gen. 37. tribus *in ciſternam veterem miſſus fuit. Et prætereuntibus Madianitis negotiatoribus, extrahentes eum de ciſterna, vendiderunt eum Iſmaelitis: qui duxerunt eum in Ægyptum,* vbi locum patri ſuo, & fratribus præparauit.

3. circumſtantia Tempus eſt. Natus eſt autẽ Chriſtus iuxta ſententiam probabiliorem (quam fusè confirmat Baronius *in apparatu ad Annales Eccleſ.*) anno orbis conditi 5199. qui idem annus fuit ſeptingenteſimus primus ab Vrbe condita:

dita: & secundus Olympiadis centesimæ nonagesimæ quartæ: & Augusti Cæsaris ab inito triumuiratu 41. à nece autem Cæsaris 42. & Herodis Regis 29. Natus autem mense Decembri eius anni die 25.

Fuit autem congruens Christi natiuitati id tempus. 1. si consideremus fuisse illud neque sub initium mundi, neque etiam sub finẽ. Sicut Iacob appropinquãte Esau fratre suo cum quadringentis viris, *diuisit filios Liæ, & Rachel, ambarumque famularum: & posuit vtramque ancillam, & liberos earum in principio: Liam verò, & filios eius in secundo loco: Rachel autem, & Ioseph nouissimos.* Ita Christus venit in medio temporis, vt omnes commodiùs participes esse possent humanæ redemptionis. Gen. 33.

2. si consideremus illo anno, sub vno principe, Cæsare Augusto fuisse pacem in toto orbe. Decebat enim eo tempore nasci Christum, qui est *pax nostra faciens vtraque vnum*, vt ait Apostolus. Ita *dixit Dauid ad Salomonem: Fili mi, voluntatis meæ fuit, vt ædificarem domum nomini Domini Dei mei, sed factus est sermo Domini ad me, dicens: Multum sanguinem effudisti, & plurima bella bellasti: non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuso sanguine coram me: filius, qui nascetur* Ephes. 2. 1. Par. 22.

tur tibi, erit quietissimus: faciam enim eum quiescere ab omnibus inimicis suis per circuitum: & ob hanc causam Pacificus vocabitur: & pacem, & otium dabo in Israel cunctis diebus eius.

Tertiò, si consideremus eo tempore natum esse, quo Rex alienigena Herodes regnabat in Iudæa. Sic enim natus est Christus congruenter illi prophetiæ

Gen. 49. Iacob: *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est.* Vbi tamen particula, *Donec*, non indicauit tempus quoad annum, vel diem, (cùm circiter 29. annis priusquã Christus veniret, abstulerit Herodes regium sceptrum de Iuda) sed indicauit ea particula tempus quoad periodum vnius circiter sæculi, siue ætatis hominis.

Quartò, si consideremus mensem, & diem, quo Christus natus est, nempe cùm inciperet incrementum sumere lux diurna: vt, quemadmodum S. Augustinus ait q. 53. *ex nouo Testam.* indicaretur ea re, illum nasci qui veniebat, *vt homines crescerent in lucem diurnam*, iuxta illud:

Luc. 1. *Illuminare his, qui in tenebris, & vmbra mortis*

Ioan. 12. *sedent*. Vnde Christus: *Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis sitis.*

Quintò, etiam asperitate hiemis natus est, vt iam inde inciperet pati pro nobis.

nobis. Ita mater Moysis *videns eum elegantem, abscondit tribus mensibus. Cumq; iam celare non posset, sumpsit fiscellam scirpeam, & liniuit eam bitumine, ac pice: posuitq; intus infantulum, & exposuit eum in carecto ripæ fluminis, stante procul sorore eius, & considerante euentum rei.* Exod. 3.

Morale.

Natus est vobis hodie Saluator. Luc. 2.

PRimò natiuitas Christi fuit plena gratia. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis.* Ioan. 1. Olim *Lamech genuit filium, vocauitq; nomen eius* Noë, *dicens: Iste consolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit* Dominus. Gen. 5. Ita verus Noë Christus consolabitur nos in terra peccati per inhabitantem in se gratiam. *In me omnis gratia vitæ, & veritatis.* Eccli. 24.

Secundò fuit natiuitas Christi plena charitate. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Ioan. 3. Sicut Isai dixit ad Dauid filium suum: *Accipe fratribus tuis ephi polentæ, & decem panes istos, & curre in castra ad fratres tuos, & decem formellas casei has deferes ad tribunum: & fratres tuos visitabis, si rectè agant:* 1 Reg. 17.

& cum quibus ordinati sunt, disce. Tunc autem Philistæum occidendo, filios Israel à morte liberauit. Ita Deus Pater misit filium suum in mundum, vt fratres suos visitaret, & vincendo diabolum, eos è
1. Ioan. 4 morte eriperet. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum vnigenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum.*

Tertiò fuit natiuitas Christi subtilissima. Nam vtramque naturam Dei scilicet, & hominis, in vnam conuenisse personam credi potest, non potest intel-
1. Reg. 16. ligi. Sicut Dauid *paruulus, & pascens oues vnctus est in medio fratrum suorum* in Regem Israel: ita filius Dei factus est homo, Rex gloriæ factus est paruulus, & pascens oues.

Quartò fuit natiuitas Christi admirabilissima. Nã Deus descendit in limum, cùm tamen limo nihil vilius, Deo nihil
Isa. vlt. sublimius. *Quis audiuit vnquam tale? aut quis vidit huic simile?* Virgo fuit sine grauamine grauida, sine dolore puerpera, sol natus est de stella, pater de filia, creator de
Isa. 53. creatura. *Generationem eius quis enarrabit?* In summis stat, in imis iacet: in nubibus tonat, in præsepio plorat. De hac merito
3. Reg. 10. dici potest illud: *Non est factum tale opus in vniuersis regnis.*

Quintò fuit natiuitas Christi vtilissima

sima, de qua potest illud dici: *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius.* Per illum enim vita vixit, & mors mortua est. Sap. 7.

Meritò itaque nobis in natiuitate Domini gaudendum est. Nam Angelus dixit ad pastores: *Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.* Vnde etiam in signum lætitiæ *subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis, laudantium Deum.* Quid mirum? Si *gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente:* quantum, putas, erit gaudium inter Angelos in redemptione totius generis humani? *Natus est* enim nobis *Saluator, qui est Christus Dominus.* Ipsi honor, potestas, & gloria in sæcula sæculorum, Amen. Luc. 2. Luc. 15. Luc. 2.

IN FESTO S. STEPHANI.

Exordium:

CVm Naboth negasset vineã suam Achab, *adductis duobus viris, filiis Diaboli, fecerunt eos sedere contra eum. At illi, scilicet vt viri Diabolici, dixerunt contra eum testimonium* 3. Reg. 21.

monium coram multitudine: Benedixit Naboth Deum, & Regem. Quam ob rem eduxerunt eum extra ciuitatem, & lapidibus interfecerunt.

Moraliter:

Act. 6. *Surrexerunt quidam de synagoga, & non poterant resistere sapientiæ, & spiritui, qui loquebatur. Tunc summiserunt viros, qui dicerent, se audiuisse eum dicentem verba blasphemiæ in Moy-*
Act. 7. *sen, & in Deum.* Ac tandem *eiicientes eum extra ciuitatem lapidabant.*

Euangelium:

Matt. 23. *Dicebat Iesus turbis Iudæorum, & principibus Sacerdotũ: Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & sapiẽtes, & Scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis.*

Thema:

Ibid. *Quoties volui congregare filios tuos?*

Occasione huius Euangelij agendum erit de diuisione Gratiæ in Sufficiẽtem, & Efficacem. *Gratia sufficiens* est, quâ Deus ita hominem vocat, & excitat, & iuuare dirigendo, protegendo, cooperando paratus est, vt reuera possit ille sic excitatus, & vocatus velle credere, aut conuerti, aut bonum illud facere. *Gratia efficax* est, quâ Deus ita hominem vocat, & excitat, & iuuare dirigendo, protegendo, cooperando paratus est, vt re ipsa infallibiliter velit, qui sic excitatus est, & vocatus, & reipsa credat, conuertatur, bonum faciat.

Hære-

Hæretici autem noſtri temporis hanc partitionem omninò repudiare coguntur, cùm apud eos, qui à Deo mouentur, neceſſariò bene agant; qui non mouentur, non poſsint bene agere; ac per hoc omnis Dei motio ſit efficax, nulla ſufficiens tantum. Eandem partitionem ſine dubio Pelagiani quoque repudiabant, quippe qui exiſtimabāt, ipſum liberum arbitrium eſſe ſufficiens auxilium perueniendi ad ſalutē, neq; aliam agnoſcebant potentiorem gratiam, tanquam ad ſalutem neceſſariam: vt ex Auguſtino intelligi poteſt *l. 1. contra duas epiſt. Pelag. c. vlt.* Ad vtramque hæreſin refutandam ponimus hanc partitionem.

1. igitur auxilium Dei verè ſufficiens adfuiſſe nonnullis, qui tamē reipſa conuerſi nō ſunt, ac per hoc auxilium illud efficax nō fuiſſe, manifeſtè ex ſacris litteris colligitur. Dominus loquitur: *Habitatores Ieruſalem, & viri Iuda, iudicate inter me, & vineam meam: quid eſt, quod vltra debui facere vineæ meæ, & non feci? An quòd expectaui, vt faceret vuas, & fecit labruſcas?* Hi, quos Dominus reprehendit, ſine dubio non habuerunt gratiam illam efficacem, quæ à nullo duro corde reſpuitur: nam ſi habuiſſent, fructū bonum vtique feciſſent. Si verò ſufficientē gratiā, per quā verè, Iſa. 5.

& pro-

& propriè cõuerti possent, non habuissent, non verè diceret Dominus: *Quid vltrà debui facere vineæ meæ, & non feci?* Responderetur enim, posteaquam plantasti vineam, & ex ea fructum ferre cupiebas, debuisti ea omnia circa illam adhibere, quę necessaria erant, vt ea fructum facere posset: quomodo autem omnia necessaria adhibuisti, si defuit illi sufficiens cultura, nec habuit verè, quæ requirebantur ad fructum faciendum? Deinde, quorsum diceret Dominus: *Expectaui, vt faceret vuas,* si non dedisset ei facultatem germinandi, & omnia necessaria ad proferendas vuas? Oportet igitur, vt fateamur, habuisse illos homines auxilium Dei planè sufficiens ad conuersionem, & ad vitam Deo gratam instituendam.

Matt. 23. Similis locus est in Euangelio: *Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quẽadmodũ gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Illi, de quibus queritur Dominus, non habuerunt gratiam efficacem: si enim habuissent, voluissent sine dubio sub alas Domini congregari. Nec tamen caruerunt gratia necessaria, & sufficienti, qua possent velle, quod Deus volebat: alioqui non diceret Christus:

ſtus: *Volui congregare filios tuos, & noluiſti.* Quomodo enim voluit, & ita voluit, vt queratur de nolẽtibus, ſi eos, quos ſciebat per ſe non poſſe velle, non iuuit, vt poſſent velle.

Illud etiam, quod Stephanus dixit: *Dura ceruice, & incircumciſis cordibus, & auribus, vos ſemper Spiritui S. reſiſtitis, ſicut Patres veſtri, ita & vos,* ſatis aperte ſignificat quibuſdam inſpirari bona deſideria, & ita inſpirari, vt conuerti poſsint; & tamen eos nolle conuerti: nam ſi non inſpirabantur Iudæis illis bona deſideria, quomodo reſiſtebant Spiritui ſancto? ſi non poterant conuerti, cur à S. Stephano tam acriter arguuntur? Act. 7.

Apoſtolus quoque Paulus idem oſtendit, cùm ait: *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis cõtemnis? Ignoras, quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Cur enim, quæſo, Deus ad pœnitentiã expectaret, quibus non dediſſet ſufficiens auxilium ad conuerſionem? Ignorat fortaſſe neminem poſſe conuerti, & pœnitentiam agere, niſi cui vires ipſe præbuerit? Rom. 2.

Denique, vt alia multa loca prætercam, Dominus ait: *Ego ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis aperuerit mihi, intrabo ad eum.* Vel igitur ij, ad quorũ cor Dominus pulſat, Apoc. 3.

E habent

habent sufficiens auxilium aperiendi, vel non habent. Si habent, est quod volumus: si non habent, cur, obsecro, Dominus pulsat? An ignorat eos aperire non posse?

Possumus deinde demonstrare ex sacris litteris, quibusdam concedi efficax auxilium, per quod infallibiliter cõuertantur. Nam Dominus ait: *Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.* Quòd si omnis, qui audit, & discit à Patre, venit ad Christum, nullus est, qui audiat, & discat, & non veniat. Est igitur quædã vox Patris intus in corde loquens, quæ infallibiliter persuadet. Istam vocẽ gratiam efficacem nominamus.

Ioan. 6.

Idem probant illa verba Domini de ouibus suis: *Et non rapiet eas quisquam de manu mea.* Ideo enim nõ rapiet eas quisquam de manu eius, quia dabit illis gratiam efficacem, per quam infallibiliter conuertantur, & in finem vsque perseuerent.

Ioan. 10.

Eodem pertinet illud: *Quos vocauit, hos & iustificauit.* Loquitur enim de vocatis secundum propositum: nam paulò antè dixerat: *Omnia cooperantur in bonum his, qui secundũ propositum vocati sunt sancti.* Et mox: *Nam quos præsciuit, hos & prædestinauit: quos prædestinauit, hos & vocauit: quos vocauit, hos & iustifi-*

Rom. 8.

iustificauit. Itaque licet multi ſint vocati, qui non reſpondent, nec iuſtificantur, tamen qui vocantur ſecundum propoſitum, omnes reſpondent, & iuſtificantur. Et ideo de his abſolutè pronunciat Spiritus ſanctus: *Quos vocauit, hos & iuſtificauit.* Iſta vocatio ſecundum propoſitum, quam nullus vocatus contemnit, gratia eſt efficax. Hinc etiam Dominus dicit: *Spiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam, vt in præceptis meis ambuletis.* Vbi quia de gratia efficaci ſermo eſt, non dicit Dominus; Faciam vt in præceptis meis ambulare poſſitis; ſed, *faciam, vt ambuletis.* Dicente autem Domino: *faciam, vt ambuletis*, quis contra ſuſpicari audebit, fortè futurum eſſe, vt non ambulēt: aut, quod eſt idem, ambulare nolint in Dei præceptis, quos Deus ambulaturos eſſe confirmat? Ezec. 36.

Probatur 2. hæc partitio, teſtimoniis S. Auguſtini *l*. 83. *quæſt*. *q*. 68. his verbis: *Ad illam cœnam, quam Dominus dicit in Euangelio præparatam, nec omnes, qui vocati ſunt venire voluerunt, nec illi, qui venerunt, venire poſſent, niſi vocarentur. Itaque nec illi debent ſibi tribuere, qui venerunt, quia vocati venerunt: nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, ſed tantùm ſibi.* Et ibidem aſſerit, Pharaonem, antequam induraretur, fuiſſe vocatum, Luc. 14.

& potuisse venire; sed quia noluit, meruisse obdurationem.

Et *l. 1. ad Simplician. q. 2.* sic ait: *Noluit Esau, & non cucurrit: sed etsi voluisset, & cucurrisset, Dei adiutorio peruenisset, qui etiam velle, & currere vocando praestaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret.* Idem *in l. de correptione, & gratia, c. 7.* docet, omnes iustificatos posse perseuerare, si volunt. Quod etiam definitum est in Concilio Arausicano, *can. 25. & Tridentino sess. 6. cap.* 13. Ex quo sequitur, omnes iustificatos habere auxilium sufficiens ad perseuerandum: quia verò reipsa non omnes perseuerant, sequitur non omnes habere auxilium efficax.

Gratiam etiam efficacem ostendit Augustinus *l. de gratia, & libero arbitrio, c. 5. Vt Paulus de cælo vocaretur, & tam magna, & efficacissima vocatione conuerteretur, gratia Dei erat sola, quia eius merita erant magna, sed mala.* Et *l. de prædestinat. Sanctorum, c. 8. Hæc*, inquit, *gratia à nullo duro corde respuitur: ideo quippe tribuitur, vt cordis duritia primitùs auferatur.* Et *l. de correp. & gratia, c. 12.* dicit, electis non solum dari, vt perseuerare possint, si velint; sed etiam dari, vt velint, & certissimè perseuerent.

Probatur 3. ratione: nam, si non datur gratia aliqua verè sufficiens, tria sequun-

ſequuntur incommoda.

Primum, quòd primus homo non ſua culpa cecidiſſet: nam non habuit primus homo gratiam efficacem ad perſeuerandum; non enim perſeuerauit. Vel ergo habuit ſufficientem gratiam, qua ſtare poſſet; vel non habuit: ſi habuit, eſt, quod nos dicimus: ſi non habuit, certè non ſua culpa cecidit, vt S. Auguſtinus rectè colligit *l. de corrept. & gratia, c. 9.* Non enim culpæ adſcribi poteſt, quod nullo modo vitari potuit. Iniuſtè etiam obieciſſet Dominus Cain: *Quid feciſti? Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Gen. 4.

Secundum, quòd videbitur Deus amicos ſuos deſerere, antequam ab eis deſeratur: nam cùm iuſtus aliquis peccat, certè non habuit gratiam efficacem ad reſiſtendum peccato: ſi enim habuiſſet, vtique non peccaſſet. Quòd ſi ne ſufficientem quidem habuit, qua poſſet reſiſtere, quomodo non fuit à Deo deſertus, antequam ipſe Deum deſereret? Abſurdum autem eſſe, amicos Dei deſtitui neceſſario adiutorio, antequã ipſi cadendo Deum deſerant, teſtatur Auguſtinus *l. de natura, & gratia, c. 26. & tract. 2. in Ioannem*, & alij: item Concilium Tridentinum *ſeſſ. 6. c. 11. & c. 13.* Vnde Dominus: *Noli timere Abram: ego protector* Gen. 15.

 tuus

tuus sum, & merces tua magna nimis.

Tertium est, quòd nemo poterit verè dicere, se non fecisse tãtum boni, quantum potuit; neque vllus meritò se reprehenderet, quòd gratiæ Dei non sit cooperatus, quantum potuit, & debuit: nam, si nulla sit gratia, nisi efficax, nulla erit gratia, cui vlla ex parte vnquam resistatur; ac per hoc vnusquisque nihil vnquã minùs aget, quàm id sit, ad quod eum gratia diuina mouet. At certè Sancti omnes seipsos negligẽtiæ, & ignauiæ accusare solent, ac non se cooperatos esse gratię, vt par erat, cum gemitu confitentur. Ita S. Franciscus, vt refert Diuus Bonauentura *in vita eius, c. 6. §. 7. Videor mihi maximus peccatorum.* Et adiungit: *Si quantumcunque sceleratum hominẽ tanta fuisset Christus misericordia prosecutus, arbitror sanè, quòd multò, quàm ego, Deo gratior esset.*

Iam verò præter gratiam sufficientem dari etiam gratiam efficacem, vel vnico illo argumento confirmari potest, quia sublata gratia efficaci, fundamentum tollitur diuinæ prædestinationis. *Prædestinatio enim* (vt ait Augustinus *l. de prædest. Sanct. c. 10.*) *est gratiæ præparatio: gratia verò ipsa donatio.* At præparatio gratiæ sufficientis communis est etiam reprobis. Deinde, prædestinatio non est

sola

ſola præparatio, ſed præſcientia,& præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicunque liberantur, vt idem Auguſtinus docet *l. de bono perſeu.c.*14. Nouit igitur Deus quædã eſſe beneficia, quibus aliquis infallibiliter liberabitur, & ea præparat, ſi is ad numerum pertinet electorum: illa autem eſt gratia efficax, per quam aliquis infallibiliter liberatur.

Pro altera parte concionis obiiciuntur Iudæis omnia beneficia ipſis in Teſtamento veteri à Deo exhibita: quomodo eduxerit eos de Ægypto per mare rubrum, quomodo aluerit eos in deſerto,& victoriam illis contra inimicos dederit, & in terram promiſſionis introduxerit: in nouo Teſtamento, quomodo de ſtirpe Iudæorum naſci voluerit, quot miracula inter eos ediderit, quomodo eos docuerit, & pro illis laborauerit, ac tandem pro illis mortuus fuerit; & tamen eum non agnouerint, cum repetitione illorum verborum: *Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis Prophetas*,&c. Matt. 23.

IN FESTO S. IOANNIS EVANGELISTÆ.

Exordium:

Cum fratres Ioſeph accumberent
Gen. 43. coram eo, *mirabantur nimis, ſumptis partibus, quas ab eo acceperant: maiorq́ pars venit ad Beniamin, ita vt quinque partibus excederet*. Item: *Singulis* fratribus *iuſſit proferri binas ſtolas: Beniamin verò dedit trecentos argenteos cum quinque ſtolis optimis*.
Gen. 45.

Moraliter:

B. Ioannes Euangeliſta per Beniamin figuratus fuit, qui iunior fuit omnium Apoſtolorum, & multa præ ceteris habuit priuilegia: nominatim quòd *erat recumbens vnus ex diſcipulis eius in ſinu Ieſu, quem diligebat Ieſus*.
Ioan. 13.

Euangelium:

Ioan. 21. *Dixit Ieſus Petro: Sequere me. Conuerſus Petrus vidit illum diſcipulum, quem diligebat Ieſus, ſequentem.*

Thema:

Ibid. *Vidit diſcipulum, quem diligebat Ieſus.*

Diſputandum erit: Vtrum Ioannes Euan-

Euangelista, vel aliquis alius præter Eliam, & Henoch futurus sit præcursor secundi aduentus Christi Domini? De tribus tantùm aliis inuenio fuisse inter viros Catholicos opinatum, quòd futuri sint Christi præcursores, vel simul cum Elia, & Henoch, vel loco alterius eorum.

Prima sententia fuit Victorini *in expos. c. 11. Apoc.* qui dixit, Ieremiam futurum esse vnũ ex pręcursoribus secundi aduentus: & videtur sentire, solũ illum futurum socium Eliæ. Quæ sententia nititur illis verbis Ieremiæ: *Antequam exires de vulua, sanctificaui te, & Prophetam in gentibus dedi te.* Nam Ieremias hactenus non fuit Propheta Gentium, sed Iudęorum. Ergo iterũ est venturus ante diem iudicij, vt gentibus prophetet. Confirmat hoc Victorinus traditione veterum asserentium Ieremiam adhuc viuere, quia mors eius in Scriptura non inuenitur. Ierem. 1.

Hæc opinio meritò ab Hilario *in prædicto loco* reiicitur, & tacitè reprobatur à Patribus, qui dum affirmant Henoch futurum socium Eliæ, & vbique duos tantùm præcursores numerant, satis excludunt hanc opinionem.

Præterea, nullum habet in Scriptura fundamentum: quia Ieremias non præ-

dicitur futurus Propheta in gentibus, quia aliquando esset cōcionaturus gentibus: sed quia vel non tantùm in Iudæa, sed etiam in Babylonia, & Ægypto prophetauit, scribens ad Iudæos, qui ibi morabantur: vel etiam, quia in sua prophetia non solùm de rebus ad Iudæos spectantibus, sed etiam ad gentes, prophetauit, scilicet de Assyriis, Ægyptiis, & aliis, vt Hieronymus exponit.

Multò verò magis friuolum est, asserere, non esse Ieremiam mortuum, quia in Scriptura mors eius non scribitur: quasi verò omnes illi, quorum decessum Script. non narrat, propterea semper viuere existimandi sint. Quòd igitur in Ægypto lapidibus à populo obrutus, ac mortuus fuerit, scribunt Epiphanius *l. de prophet. vitâ, & interitu.* Isidorus *l. de vita, & morte Sanct.* & Dorotheus *in Synopsi*, qui addunt, sepultum esse in eo loco, vbi Pharao habitauerat; & in magno honore ab Ægyptiis sepulchrum eius habitum.

Secunda sententia est, Moysen venturum cum Elia. Hanc tenuit Hilarius *can. 20. in Matth.* vbi affirmat eum viuere. Fundamentum eius fuit, quia in primo aduentu Elias, & Moyses fuerunt

runt teſtes gloriæ, & maieſtatis Chriſti in die transfigurationis. Ergo iidem erunt teſtes eius ante ſecundum aduentum. Confirmatur ex illis verbis: *Poteſtatem habent ſuper aquas, conuertendi eas in ſanguinem, & percutere terram omni plagâ.* Apoc. 11 Hac enim poteſtate Moyſen dumtaxat vſum legimus; & ideo optimè in illum hæc verba conueniunt.

Nihilominus ſententia hæc parum probabilitatis habet. Primò, propter antiquam ferè omnium veterum traditionem affirmantium Henoch venturum cum Elia.

Secundò, quia Moyſes reuera defunctus fuit. Deut. vlt. Ex quo fit, animam eius & cum SS. Patribus in ſinu Abrahæ fuiſſe ante Chriſti mortem, & poſt illam cum eo regnare, & beatam eſſe. Quis enim temerè audebit ab hac generali regula fidei ſanctam Moyſis animam excipere ſine auctoritate, vel rationis fundamento? Ergo non eſt veriſimile, redituram ad corpus mortale, quia nec priuanda eſt gloria, quam iam poſſidet, nec in corpore mortali futura eſt beata. Vtrumque enim eſt inuſitatum miraculum, quod ſine fundamento fingendum non eſt.

Præterea, quòd Moyſes in tranſfigu-

ratione Christi apparuerit, nullum argumentum est, quod sit etiam venturus ante iudicium. Quæ enim est consecutionis huius ratio? Tunc ergo apparuit propter speciales congruentias tunc occurrentes.

Illa autem verba Apoc. licet videantur alludere ad signa facta per Moysen in Ægypto, non tamen propterea indicant, eundem Moysen venturum, qui tunc illa signa patrauit; sed solùm significant, facilè posse Christum similem potestatem præcursoribus suis tribuere.

Tertia sententia est, Ioannem Euangelistam futurum esse præcursorem secundi aduentus Christi, simul cum Henoch, & Elia.

Quæ sententia primò supponit illum nondum esse mortuum, propter verba Christi: *Sic eum volo manere, donec veniam: quid ad te?* Nam ibi Christus de secundo suo aduentu loquitur, cùm dicit: *Donec veniam*, quia non est alius aduentus Christi post resurrectionem eius. Et confirmatur hæc sententia ex historiis: quia nec mors Ioannis Euangelistę narratur, nec reliquiæ corporis eius inueniuntur: sed solùm refertur, quòd viuus sepulchrum ingressus discipulos suos abire iusserit, qui altera die reuersi nihil inuenerunt

Ioan. 21.

uenerunt ibi. Et confirmatur ex illa generali sententia: *Statutum est hominibus semel mori.* Et: *Quis est homo, qui viuet, & non videbit mortem?* Ergo ab hac sententia non est excipiendus Ioannes sine fundamento. Rediturus ergo est, vt debitum mortis soluat. Heb. 9. Psal. 88.

Nihilominus probabilius apparet, Ioannem Euangelistam mortuum esse, quia antiquissimi Patres, & historiæ hoc testantur: Eusebius *l. 3. hist. c. 31. aliàs* 25. & *l. 5. c. 24.* Hieron. *l. de script. Ecclesiast.* *Confectus, inquit, senio, 68. post passionem Domini anno mortuus, iuxta eandem vrbem sepultus est.* Quod alibi repetit. Idem Nicephorus, Tertullianus, Ambrosius, Augustinus, Beda, Theophylactus, Euthymius, Chrysostomus, Isidorus, Dorotheus, Epiphanius, & alij.

Et hoc est, quod corrigere voluit ipsemet Ioannes scribens: *Et non dixit Iesus, non moritur; sed, sic eum volo manere, donec veniam.* Ioan. vlt.

Neque ex verbis Christi Domini aliquid sumi potest contra hanc receptam historiam, & traditionem. Nam omissis aliis tres sunt probabiles sensus illorum verborum: *Sic eum volo manere, donec veniam: quid ad te?* Ibid.

Primus est, vt Christus non loquatur de

de ſecundo aduentu ſuo ad iudicium, ſed de aduentu ad vindictam ſumendam de Iudæis, non perſonali præſentia, ſed per effectum. Iuxta quam expoſitionem ſignificare voluit Chriſtus, Ioannem viuum permanſurum vſque ad deſtructionem Ieruſalem. Hanc expoſitionem refert Theophylact. eamque ſequitur Toletus.

Secundus eſt, Chriſtum locutum eſſe de proprio aduentu, & vltimo, tamen nihil affirmaſſe, ſed ſolùm interrogando Petrum, conditionali locutione illius curioſitatem eluſiſſe. Et hunc ſenſum videtur ſequi Chryſoſtom. & apertiùs eum tradit Cyrillus.

Tertius eſt, Chriſtum ſolùm affirmaſſe, Ioannem non futurum ſui ſectatorem per crucem, & violentam mortem martyrij. Et hoc ſenſu ipſum dixiſſe: *Sic eum volo manere, donec veniam*, ſcilicet, vt ipſum ad me recipiam. Ita Auguſtinus *ſerm. 549. de tempore, & tract. 124. in Ioannem*: quem Beda, & D. Thomas *ſuper Ioannem* imitantur.

Ex hoc autem fundamento colligitur, Ioannem iam cum Chriſto regnare in beatitudine cæleſti, vt patet ex iis, quæ de Moyſe dicebamus: quia generalis fidei regula eſt, hominem iuſtum,

ac perfectè purgatum, post mortem statim consequi beatitudinem. Et hoc plurimum confirmat Ecclesiæ traditio. Celebrat enim festum Ioannis Euangelistæ, cùm neminem colat, nisi beatum, Deoque fruentem: & ita hoc apertè supponit in toto officio illius festiuitatis. Et hinc etiam confirmatur quod diximus de morte eius: quia ante mortem corporis nullus hominum beatitudinem ingreditur.

Dixerunt ergo aliqui, Ioannem non solùm animo, sed etiam corpore iam esse beatum, non quod absque morte media ad illum statum fuerit assumptus: sed quòd statim post mortem resurrexerit gloriosus. Quod confirmant coniecturis suprà adductis, quia reliquiæ eius non apparent: & verba Christi videntur hoc modo propriùs exponi. Nam propter breuitatem mortis, & accelerationem resurrectionis potest dici sic semper manere, quia illa mors quasi nihil reputatur. Et huius sententiæ meminit Ambrosius *serm. 20. in Psalm.* 118. Hieronymus *in serm. de assumpt.* neque reiiciunt eam: neque D. Thomas *lect. 5. in c. 21. Ioannis:* eamque sequitur Nicephorus *1. hist. c. 35. & l. 2. c. 42.*

Sed

Sed nullum habet ſufficiens argumentum: quia ex antiquis Patribus conſtat, reliquias eius Epheſi diu permanſiſſe. Quinimò Chryſoſtomus *hom.26.in epiſt.ad Hebr.* cùm dixiſſet: *Apoſtolorum plurimorum oſſa neſcimus, vbi iacent*, ſubdit: *Petri, & Pauli quidem, Ioannis, & Thomæ manifeſta ſunt ſepulchra.* Loquitur autem manifeſtè de ſepulchro, in quo erant Ioannis oſſa, quæ ſupponit Epheſi fuiſſe. Poſtea autem aliò transferri potuerunt, & ignorari, vel aliquo caſu perire. Hiſtoria autem illa, quod viuus ingreſſus fuerit ſepulchrũ, apocrypha eſt, & incerta, maximè ſi fidem adhibeamus Abdiæ, qui *l.5.hiſt.Apoſtolica in fine*, aliter refert mortem eius, & illi ſe interfuiſſe affirmat. Et quamuis priorem hiſtoriam admittamus, ex ea ſolùm habetur, Ioannem ſingulari, & admirando quodam modo obiiſſe.

Confirmatur ſecundò ſententia 3. Matt. 20. aliis verbis Chriſti: *Calicem quidem meum bibetis.* Vbi Chryſoſtomus ita exponit: *Martyrij corona potiemini, & violenta morte, ſicut & ego, à vita diſcedetis.* Cùm ergo hactenus Ioannes Euangeliſta non ſit paſſus martyrium, vt hęc Chriſti verba impleantur, neceſſe eſt, vt Martyrium aliquando vſque ad mortem ſuſtineat.

Reſpon-

Respondet tamen ibi Hieronymus, hoc impletum esse, quando Ioannes in feruentis olei dolium missus est, vel Ephesi (vt scribit Abdias *dict. l.* 5.) vel Romæ (vt scribit Tertullianus *l. de præscription. hæreticorum, c.* 36. & antiquissima Ecclesiæ Rom. traditio confirmat) ex quo purior, & vegetior, quàm intrauerat, exiuit. Nam licet tunc mortuus non fuerit, tamē quia & voluntariè se morti obtulit in testimonium fidei, & causa illa de se sufficiens erat ad inferendam mortem, nisi miraculosè esset impedita, id satis est, vt dicatur *bibisse calicem* Christi: propter quod sæpe ab Ecclesia Martyr appellatur.

Addit Euthymius *in Matth.* 23. calicem Christi bibere non solùm, qui violenter moritur pro Christo; sed etiam qui exilia, flagella, aliaque similia propter eum patitur, & sic certans vsque ad mortem perseuerat. Quæ omnia cum magna perfectione, & dignitate in Ioanne reperiri manifestum est.

Confirmatur tertiò ex Apocal. vbi Angelus dicit Ioanni: *Oportet te iterum* Apoc. 10 *prophetizare gentibus, & populis, & linguis, & Regibus multis.* Sed hoc hactenus impletum non est. Erit ergo implendum saltem in consummatione mundi.

F Respon-

Respondetur tamen hunc sensum esse, quòd in illa reuelatione, quam eo cap. narrat, intellexisset se plures alias visiones propheticas ad varias gentes pertinẽtes deinceps habiturum, & scripturum. Alij exponunt, illud dictũ esse propter Euangelium, quod postea scripsit, & per illud multis gentibus, regnisque prophetauit. Alij simpliciùs dicũt, illud impletum esse, cùm iterum in Asia prædicauit.

Confirmatur vltimò congruentia, quia testimonium Ioannis aptissimum erit, & efficacissimum: tum quia si venturi sunt testes legis naturæ, & veteris, cur non etiam gratiæ? tum etiam quia Ioannes erit testis oculatus, quia diutiùs cum Christo conuersatus est, & omnia, quæ ad Antichristum, & diem iudicij spectant, fusiùs, quàm alias prædixit.

Respondetur in lege gratiæ tot esse testes Christi, & doctrinæ eius, vt non sit necessarium tunc nouum Ioannis testimonium. Erunt enim tunc multi Sancti, & prædicatores Euangelij, qui Eliæ, & Henoch adhærebunt. Nec fidei testimonium pendet ex visione oculorũ, vt propterea necessarius sit testis oculatus. Quòd si hoc etiam concedere

velimus,

velimus, aderit Elias, qui Christum vidit in carne mortali, & in gloriæ claritate in die resurrectionis.

Morale.

Vidit discipulum illum, quem diligebat Iesus, sequentem. Ioan. 21.

NVnc priuilegia Ioannis videamus. Primum est: *Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius in naui, cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua, & vocauit eos. Illi autem statim relictis retibus, & patre, secuti sunt eum.* Matth. 4.

Secundum est: *Assumit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & ducit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos.* Matt. 17.

Tertium est: *Cùm venisset domum* principis Synagogæ, *non permisit secum intrare quemquam, nisi Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & patrem, & matrem puellæ.* Luc. 8.

Quartum est: *Misit Petrum, & Ioannem dicens: Euntes parate nobis pascha, vt manducemus.* Luc. 22.

Quintum est: *Erat recumbens vnus ex discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Iesus.* Et cùm ceteri interrogare Dominum non auderent, quis eum traditurus esset, *in-*

nuit huic Simon Petrus, & dixit ei: Quis est, de quo dicit? Itaque cùm recubuisset ille supra pectus Iesu, dicit ei: Domine, quis est? Respondit Iesus: Ille est, cui ego intinctum panem porrexero.

Matt. 26. Sextum est: *Et assumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi, cœpit contristari, & mœstus esse.*

Ioan. 18. Septimum est: *Sequebatur autem Iesum Simon Petrus, & alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus Pontifici, & introiuit cum Iesu in atrium Pontificis: & introduxit Petrum.*

Ioan. 19. Octauum est: *Cùm vidisset Iesus matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.*

Ioan. 20. Nonum est: *Exiit ergo Petrus, & alius discipulus, quem amabat Iesus, & venerunt ad monumentum. Currebant autem duo simul, & ille alius discipulus præcucurrit citiùs Petro, & venit primus ad monumentum. Et cùm se inclinasset, vidit posita linteamina, non tamen introiuit.*

Ioan. 21. Decimum est: Cùm piscarentur discipuli ad mare Tiberiadis, & nemo Dominum agnosceret, *dixit discipulus ille, quem diligebat Iesus, Petro: Dominus est.*

Alia addit priuilegia S. Hieronymus *l. 1. contra Iouinianum:* Fuit, ait, *Ioannes & Apostolus, & Euangelista, & Propheta. Apostolus, quia scripsit ad Ecclesiam, vt magister. Euangelista,*

lista, quia librum Euangelij condidit, quod, excepto Matthæo, alij ex duodecim Apostolis non fecerunt. Propheta, vidit enim in Patmos insula, in qua fuerat à Domitiano Principe ob Domini martyrium relegatus, Apocalypsin infinita futurorum mysteria continentem. Idem in comment. in epist. ad Galat. l. 3. c. 6. B. Ioannes Euangelista, cùm Ephesi moraretur vsque ad vltimam senectutem, & vix inter discipulorum manus ad Ecclesiam deferretur, nec posset in plura verba vocem contexere, nihil aliud per singulas solebat proferre collectas, nisi hoc: Filioli, diligite alterutrum. Tandem discipuli, & fratres, qui aderant, tædio affecti, quòd eadem semper audirent, dixerunt, Magister, quare hoc semper loqueris? Qui respondit dignam Ioanne sententiam: Quia præceptum Domini est, &, si solum fiat, sufficit.

IN FESTO SANCTORVM INNOCENTIVM.

Exordium:

Dixit Rex Ægypti obstetricibus Hebræorum: Quando obstetricabitis Hebræas, & partus tempus aduenerit, si masculus fuerit, in- Exod. 1.

 terficite

Exod. 2. *terficite eum.* Moyſes etiam in flumen proiectus eſt, ſed mirabiliter à filia Pharaonis inuentus, & ſuſceptus vitam retinuit, & poſtea populum Iſrael ex Ægypto per mare rubrum eduxit.

Moraliter:

Matth. 2. Cùm Herodes *occideret omnes pueros, qui erãt in Bethlehem, & omnibus finibus eius,* Ieſus Chriſtus manus eius euaſit, & à matre ſua in Ægyptum tranſuectus fuit: qui tandem electos ſuos è ſeruitute diaboli per rubrum mare ſanguinis ſui eripuit.

Euangelium:

Ibid. *Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum, & eſto ibi, vſquedum dicam tibi.*

Thema:

Ibid. *Fuge in Ægyptum.*

Occaſione Euangelij quæri poſſet: Cur Chriſtus in Ægyptum fugere voluerit? Matthæus Euangeliſta poſt narratam trium Magorum hiſtoriam, ſtatim ſubiungit: *Qui cùm receßiſſent, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens,* &c. In quibus verbis ſignificari videtur, ſtatim poſt diſceſſum Magorum, nullaque

Iaque temporis mora interposita, Christum in Ægyptum fugiſſe.

Si tamen bene rem inſpiciamus, neceſſe eſt, vt multi dies intercesserint. Nam Magi adorauerunt Christum decimotertio die ab eius natiuitate: ex Luca autẽ conſtat, quadrageſimo die fuiſſe Christum in templo oblatum, & poſtea reuerſos eſſe parentes eius in Galilæam, in ciuitatem Nazareth: & veriſimile eſt aliquo tempore ibi habitaſſe. Conſtat igitur plures dies, & fortaſſe aliquot menſes præceſſiſſe, antequam Beata Virgo diſcederet in Ægyptum, quamuis incertum ſit, quantum illud temporis fuerit. Verbum ergo illud Matthæi: *Qui cùm receßiſſent, ecce Angelus Domini*, &c. poſitum eſt ad hiſtoriam continuandam, non ad indicandum ſtatim poſt reditum Magorum hanc reuelationem fuiſſe ſubſecutam. Luc. 2.

Dicere quidem poſſet aliquis, reuelationem quidem eſſe factam Ioſepho ſtatim poſt diſceſſum Magorum, ante purificationem: illum verò expectaſſe conueniens tempus fugiendi. Sed hoc nullo modo dici poteſt, quia repugnat conſequentibus verbis Euangelij: *Qui conſurgens accepit puerum, & matrem eius nocte, & ſeceßit in Ægyptum.* Matth. 2.

 Vbi

Vbi omnes Sancti contemplantur diligentiam summam, & obedientiam Iosephi, quia subitò, & absque vlla mora Angelicæ monitioni paruit. Et ita omnes expositores hanc reuelationem ponunt factam, vt minimum post purificationem.

Et quamuis Ianssenius *in concord.* indicet, factam esse, antequam redirent Nazareth, post præsentationem templi; tamen, si attentè Euãgelium Lucæ consideretur, contrarium verius apparet, vt Euthymius ibi annotauit, & senserũt Tatianus, & Ammonius Alexandr. *in harmoniis Euangeliorum*: & colligi potest ex Origene *hom. 28. in Lucam*, & Anselmus in eadem est sententia, dicens: *Quo facto secesserunt in Nazareth, & cùm rumor de puero iam inciperet dilatari, mittitur Angelus Gabriel, qui in Aegypto faciat puerum deportari.* Vbi indicat, ante Præsentationem in templo Herodem non fuisse commotum, nec cœpisse quærere Christum ad interficiendum: postea verò cùm ex iis, quæ in templo Simeon, & Anna publicè de Christo prædicauerant, adiunctis aliis, quæ præcesserant, rumor de illo percrebuisset, cœpisse illum magis pertimescere, & contra Christum ira incitari: ideoque missum esse Angelum qui

qui Iosephum admoneret.

His ergo positis inquirendum occurrit: Quæ fuerit necessitas fugiendi in Ægyptum? Et est ratio dubij, quia Herodes non iussit interfici omnes infantes regni sui, sed solùm in Bethlehem, & in omnibus finibus eius; Christus autem, & parentes eius non habitabant in Bethlehem, sed in Nazareth. Ergo nullum erit periculum, quòd esset Christus interficiẽdus. Non ergo erat, quòd hac occasione arrepta fugerent in Ægyptũ, eò vel maximè, quòd Deus, à quo illa reuelatio profecta est, iam prouiderat, quo in loco Innocentium cædes futuræ essent, & præscierat non fuisse futuras in Nazareth. Et confirmatur, quia quando Ioseph rediit ex Ægypto, propter timorem Archelai, filij Herodis, diuertit à Iudæa in ciuitatem Nazareth, existimans, ibi se futurum omni periculo liberum, ac securum. Ergo eadem ratione potuisset ibi manere ante discessum.

Dicendum tamen est primòr, poximam, & litteralẽ causam, seu rationem huius itineris fuisse ad vitandum mortis periculum, quod ex insidiis Herodis Christo Domino imminebat. Erat enim à Deo prædefinitum, vt non in

 infantia,

infantia, sed adulta ætate post Euangelium prædicatum pro hominibus moreretur: & ideo (vt ait Fulgentius *in ser. de Epiphania*) *dignatus est in Ægyptum fugere, vt postea crucem dignaretur ascendere: faciet enim eum mori benignitas propria, non malignitas aliena.*

Neque huic rationi obstat obiectio facta: quia inprimis licet potuisset Christus potentia, & maiestate sua non solùm Herodis insidias impedire, sed etiam regno illum, vitaque priuare: noluit tamen potestate vti, sed dignatione.

Deinde, licet diuina prouidentia posset in ciuitate Nazareth eum custodire immunem, tamen si prouidentiam humanam spectemus, non satis poterat existimari ibi esse securus: quia cùm Herodes tunc esset vtriusque prouinciæ rex, facilè poterat inquirere, & perscrutari diligenter, donec intelligeret feminam quandam peregrinam, & aduenam Bethlehem peperisse, ac postea discessisse, ac ita paulatim poterat Saluatorem inuenire. Non enim solùm Herodes, sed etiam Scribæ, & Pharisæi, vt illi morem gererent, Christi necem
Matth. 2. procurabant, iuxta illud: *Mortui sunt enim, qui quærebant animam pueri.*

Nec

Nec refert, quòd Deus præſciuerit Herodem non fuiſſe interfecturum infantes in Nazareth, ſed Bethlehem: tum quia noluit Deus negotium hoc gubernari iuxta præſcientiam ſuam, ſed iuxta periculi grauitatem, prout modo hominibus accommodato vitari poterat: tum etiam, quia licet tantùm conſtet interfectos fuiſſe Bethlehemiticos infantes; non tamen inde ſequitur, non adhibuiſſe Herodem omnem aliam diligentiam in toto regno ſuo, ſi fortaſſe alicubi veſtigium aliquod noui Regis nati inueniretur.

Secundam & principalem cauſam addit Euangeliſta: *Vt adimpleretur, quod dictum eſt à Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocaui filium meum.* Communior autem ſententia eſt, illa verba in ſenſu litterali eſſe dicta de populo Iſrael, qui ſolet filius Dei in Scriptura appellari: *Filius meus primogenitus Iſrael*: & ideo ſub ea ratione gerere interdum figuram Chriſti: atque ita conſequenter dicta eſſe de Chriſto in ſenſu ſpirituali. Ibid. Exod. 4.

Addere poſſumus, id etiam factum eſſe, vt adimpleretur, quod dictum eſt per Iſaiam: *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & commouebuntur ſimulacra Ægypti à facie eius.* Iſa. 19.

Per

Per *nubem leuem* D. Virgo intelligitur, cuius vlnis in Ægyptum Saluator inuectus est. Quæ *nubes* dicitur, quia per eam Deus pluit in terram gratiã Christi. *Leuis* verò, quia virili semine prægrauata non fuit: vel quia nullum habuit pondus peccati, nec passionis, aut fomitis: vel quia super res omnes terrenas volabat. Quanquam per nubem leuem etiã caro Christi ex Spiritu sancto concepta possit intelligi.

Dicit autem Eusebius *l.6. de demonstrat. c.*20. etiam illa verba: *Commouebuntur simulacra Aegypti à facie eius*, impleta esse: *nam dæmones*, inquit, *qui animas Aegyptiorum subiectas habebant, cùm sensissent nouam, diuinamq; virtutẽ ad se accessisse, illicò commoti sunt, & fluctuationem, ac perturbationem in seipsis pertulerunt, corq; ipsorum, & vis intelligendi intrinsecus in ipsis conuicta sunt, cesserunt que, ac fugata sunt*. Indicat autem Eusebius simulacra tunc non fuisse sensibiliter commota: subdit enim: *Et tunc quidem inuisibiliter dæmones talia passi sunt*.

Nicephorus verò *l.*10. *hist. c.*31. significat, etiam ipsa corporea simulacra corruisse. Vbi miraculum quoddam refert de arbore, quæ in ciuitate Hermipoli ad Christi ingressum sese ad terram vsque reuerenter inflexit, vt ipsum adoraret.

Et

Et in historia Lausicana *in vita S. Apollinis Abbatis c. 52.* memoriæ prodidit Palladius, in eadem ciuitate Hermipoli extare templum, in quod ingresso Saluatore, omnia idola prostrata, & comminuta sunt. Scilicet habitare tenebræ nequeunt cum luce, mendacium cum veritate, dæmon cum Deo. Sicut cùm *Philisthijm tulissent arcam Dei in templum Dagon, & surrexissent diluculo Azotij altera die, ecce Dagon iacebat pronus in terra ante arcam Domini.* 1. Reg. 5.

Tertia causa est, quia Ægyptiorum gens fuit omnium superstitiosissima, & inimica populi Dei, & longissimè à Prophetis abfuit: & ideo apud illã Dei virtus commorata est. Vnde cùm virga Moysis versa esset in colubrum, *fecerunt etiam malefici per incantationes Aegyptiacas & arcana quadam similiter.* Et cum aqua verteretur in sanguinem, *fecerunt similiter malefici Aegyptiorum incantationibus suis.* Exod. 7.

Quarta causa est Eusebij Emisseni *sermone de Innocentibus* Christum fugiendo Herodem, nos docuisse, diabolum, & membra eius fugere, nec itineris difficultate terreri, quia melius est duro labore fatigari, quàm ab hostibus necari.

Ita Dauid fugiens Absalom *ascendebat cliuum oliuarum, scandens, & flens, nudis pedi-* 2. Reg. 15.

bus

bus incedens, & operto capite.

Quàm ſuaue fuit in fuga iſta conſortium! Ioſeph, Maria, & Ieſus. Egredere anima mea, & cum tribus illis te in viam da. Nec dubium etiam adfuiſſe Angelos, quorum alij fortè viam mundauerint, alij lapides ſuſtulerint, alij ramos pedibus illorum ſubſtrauerint, fortè etiam roſis viam conſperſerint. Nobile ſanè conſortium, Ioſeph, Maria, & Ieſus. Tres illi tres virtutes exprimunt, quæ ſpirituales tres hoſtes noſtros facilè vincere poſſunt.

Ioſeph virilem denotat conſtantiam, qua vincitur diabolus: Maria virginalem ſignificat pudicitiam, qua caro deiicitur: Ieſus puerilem ſimplicitatem denotat, quæ mundum ſupplantat. Fugiendo quidem hoſtes illos ſuperabis: ne tamen etiam in fuga lædaris, tribus
Gen. 27. illis virtutibus armari debebis. *Oderat ſemper Eſau Iacob pro benedictione, qua benedixerat ei pater*. Sed Iacob fugiendo manus Eſau euaſit, & toto ſuo itinere conſtantiam virilem retinuit. Ita diabolus odit nos pro benedictione, qua nos Christus Dominus benedixit, quando ſanguine ſuo ianuam cæleſtis regni nobis aperuit: illius tamen facilè manus

nus euademus, si fugiendo virilem constantiam toto vitæ nostræ curriculo retineamus.

Maria castitatem significat, quia, quando caro nos persequitur, oportet fugere, & pudicitiam virginalem conseruare. Dum Iezabel Eliam persequebatur, *surgens abiit quocunque eum ferebat vo-* 3. Reg.
luntas. Quid Elias, nisi typum exprimit 19.
castitatis? Ipse namque *zona pellicea reni-* 4. Reg. 1.
bus accinctus erat. Dum ergo tristis dormiret in vmbra iuniperi, *ecce Angelus Domini* 3. Reg.
tetigit eum, & dixit illi: Surge & comede. Ita 19.
etiam nos oportet carnem fugere, nec propter infestationem eius, animum abiicere, sed in vmbra cælestis gratiæ obdormire. Tunc nobis Spiritus S. aderit, tanget, & surgere faciet, & comedere iubebit. Absit, vt subrepat pusillanimitas, vt dicamus cum Elia: *Sufficit mihi,* Ibid.
Domine, tolle animam meam: neque enim melior sum, quàm patres mei. Fortiter carni fugiendo oportet resistere, *ecce ad caput tuum subcinericius panis, & vas aquæ. Cibabit* te Spiritus sanctus *pane vitæ, & intellectus,* Eccli. 15.
& aqua sapientiæ salutaris potabit te Dominus Deus noster.

Iesus innocentiã significat puerilem, qua mundus facilè fugiendo vincitur, & qui suam vitæ innocentiam integram retinet,

retinet, raro à mundo sordidatur. Quid autem mundus? Aut cui comparabimus eum, nisi *hederæ* illi, quam *præparauit Dominus Deus, vt ascenderet super caput Ionæ, & esset vmbra super caput eius & protegeret eum? Et lætatus est Ionas super hedera lætitia magna.* Ita in mũdo multi in prosperitate gaudent, & diuitiis, ac voluptate huius sæculi, quasi vmbra quadam caput suum protegunt, & ab æstu tribulationum defendunt. Sed quid? *Parauit Deus vermem ascensu diluculi in crastinum, & percussit hederam, & exaruit.* Ita subitò prosperitas mundana perit: & vbi ventus calidus, & vrens aduersitatum caput mundanorum percutit, mori cupiunt, & cum Iona dicunt: *Melius est mihi mori, quàm viuere.* Quare quisque suam vitæ innocentiam retineat, mundi vanitates fugiat, sic per bona transeat temporalia, vt non amittat æterna.

Ion. vlt.

Ibid.

Ibid.

IN

IN CIRCVMCISIONE DOMINI.

Exordium:

OLim Seruius Tullius ſextus Romanorum Rex gubernacula Vrbis inuaſit: nec obſcuritas inhibuit, quamuis matre ſerua creatum. Nam ob eximiam indolem vxor Tarquinij Tanaquil liberaliter educauerat: & clarum fore viſa circa caput flamma promiſerat. Ergo inter Tarquinii mortem, adnitente regina, ſubſtitutus in locum Regis quaſi ad tempus, regnum dolo partum ſic egit induſtria, vt iure adeptus videretur.

Ita & nos felicia omnibus apprecamur huius anni auſpicia.

Euangelium:

Poſtquam conſummati ſunt dies octo, vt circumcideretur puer, vocatum eſt nomen eius Ieſus. Luc. 2.

Thema:

Vocatum eſt nomen eius Ieſus. Ibid.

Antequam ad ſtrenam accedamus, auguſtiſsimi nominis Ieſu laudes pro tenui noſtra parte decantemus.

Prima laus sit: Nomen Iesu est imago Christum Opt. Max. verum Deum, verumque hominem repræsentans. Omne enim nomen imago est, & vicarium rei. Vnde Bernardus *ser.15 in Cant.* *Cùm nomino Iesum, hominem mihi propono mitem, humilem corde, benignum, sobrium, castum, misericordem, & omni sanctitate conspicuum; eumdemq; ipsum Deum omnipotentem, qui suo me exemplo sanet, & roboret adiutorio.* Ita cæ-
Luc. 18. cus ille, cùm audiret, quòd *Iesus Nazarenus transiret, clamauit dicens: Iesu, fili Dauid, miserere mei.*

Secunda laus: Nomen Iesus signum est illa omnia in memoriam reuocans, quæ, vt homines seruaret, admirabilia fecit Deus. Quare diabolus supra modum saluti nostræ inuidens, in salutiferum illud nomen insaniuit dicens:
Mar. 1. *Quid nobis, & tibi, Iesu Nazarene: venisti perdere nos?*

Tertia laus: Nomen Iesus in capite libri vitæ ab æterno scriptum est. Primus enim prædestinatorum, per quem omnes homines prædestinati sunt, Iesus est. Primū ergo locum in libro prædestinationis, illius nomen obtinet.
Psal 39. Vnde Propheta: *In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam.*

Quarta laus: Nomen Iesus à cælo venit.

nit. Angelus nomen hoc è cælo attulit, Christoque, antequam in vtero conciperetur, imposuit. Et meritò è cælo venit, quia salutem non à terra, terrenisve regibus, sed è cælo, cælestique Imperatore allatam significat. Luc. 2.

Quinta laus: Nomen Iesus Virgo Deipara ab Angelo prima audiuit, & corde dulcissimè voluit. Nam Angelus priùs dixit ad Virginem: *Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum.* Luc. 1. Deinde ad Ioseph: *Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum.* Matth. 1. An autem Virgo prior, quàm Ioseph nominauerit, dubium est. Virginem existimo priùs nominasse ex illis verbis præclarissimi cantici: *Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* Luc. 2. Hebraicè credo dixisse: In Deo Iesuah meo; siue, In Deo Iesu meo: sicut ibi: *Exultabo in Deo Iesu meo.* Abac. 3.

Sexta laus: Nomen Iesus, & à Prophetis, & à Sibyllinis carminibus fuit prædictum. D. Augustinus *in orat. contra Iudæos, Paganos, & Arianos*, Sibyllæ de Christo carmina recitat, quorum capitales litteræ Græcæ hæc verba construunt: Ἰησοῦς Χριστὸς υἱὸς Θεοῦ, Σωτήρ. id est, Iesus Christus, filius Dei, Saluator.

Septima laus: Nomen Iesus est nomen Christi proprium, & personale in circumcisione impositum. D. Thomas *p. 3. q. 16. ar. 5.* ait, nomen Christus vtramque naturam significare, tam diuinam vngentem, quàm humanam vnctam: nomen verò Iesus solummodo humanam; formaliter quidem naturam humanam Christi significat, sed diuinum suppositũ, cum quo est coniuncta, etiam indicat. Est enim Christus Deus, & homo. Vt autem propria nomina, & personalia habet, naturam illius diuinam significantia, qualia sunt, Verbum, Filius Dei, Sapientia Patris, Imago; ita oportuit, vt nomẽ etiam haberet proprium, & personale, humanam naturam cum Verbo copulatam significans, quo ab hominibus, inter quos versari voluit, vocaretur. Hoc nomen est Iesus, quod reliqua nomina, quæ Messiæ in Scriptura tribuuntur, virtute complectitur.
Eccle. 1. Sicut enim *omnia flumina intrant in mare*, ita omnia Messiæ nomina intrant in nomen Iesu. Lege Bernardum *serm. 2. de Circumcis. & serm. 10. sermonum, qui parui dicuntur.* & D. Thomam *p. 3.*
Isa. 9. *q. 37. ar. 2. ad 1.* Isaias: *Vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. Admirabilis* est Iesus, quia

quia admirandum in modum, & præter Iudæorum opinionem salutem orbi attulit. *Consiliarius*, quia eximia hominibus præcepta, & consilia ad æternam salutem comparandam præbuit. *Deus*, & *Emmanuel*, id est, nobiscum Deus, quia Saluatorē mundi Deum esse necesse erat. *Fortis*, quia hostes, morbosque hominum saluti aduersantes superauit. *Pater futuri sæculi*, quia eos, quos saluos fecit, regenerauit, omniumque sæculorum salutem peperit. *Princeps pacis*, id est, pacificus, quia extinxit bella. Bernardus *serm.* 10. *citat*, *Admirabilis Christus in natiuitate, Consiliarius in prædicatione, Deus in operatione, fortis in passione, Pater futuri sæculi in resurrectione, Princeps pacis in perpetua beatitudine*.

Præterea, *Admirabilis* est Iesus, id est, Saluator, in salute afferēda hominibus, quia admirabiliter voluntatem impij hominis auertit, & conuertit. Auertit à peccato, à mundo, à voluptate: conuertit ad Deum, ad virtutē, ad sanctitatem. Si consideres, quàm admirabiliter Pauli voluntatem, Augustini, Francisci, aliorumque similium à mundo abduxerit, & in omnem sanctimoniam adduxerit, exclamabis cum Propheta: *Hæc mutatio dextera Excelsi*: hæc mutatio Saluatoris admirabilis. *Consiliarius* est: nam, post- Psal. 76.

 quam

quam ad Deum conuertimur, consilia nobis præbet Deus salutaria, salutem inspirat, quid nos facere velit, docet. *Deus* dicitur, quia salus nulli absque peccatorum remissione contingit: solus verò Deus peccata potest remittere. *Fortis* dicitur, vt conuersis fortitudinem largiatur, opemque ferat, sine qua nemo potest obsistentes aduersarios superare. *Pater futuri sæculi*, quia corporibus, & animis in futuro sæculo salutem æternam afferet, cuius spe filij futuri sæculi in hoc sæculo fulciuntur: sicut filij huius sæculi temporalium rerum spe sustentantur. *Princeps pacis*, quia æternam in cælis pacem post huius sæculi bella largietur.

Strena.

COgitanti mihi, quid strenæ loco elargirer, in mentem venit hiemis asperitas, dura glacies, venti rigidi, frequentiores nimbi, grandines, frigus hiemale. Quapropter tempus postulat, & requirit charitas, vt spirituale vobis singulis pallium è sacris litteris impartiar, quo & aëris inclementiam faciliùs tolerare, & hiemis asperitatem superare valeatis.

Sacerdotibus itaque primo loco tribuo pallium

pallium Eliæ, quod conuersationem cælestem significat. Cùm in monte staret coram Domino, *operuit vultum suum pallio*. Ita Sacerdotes altari astantes sensualitatis suæ vultum cælesti illo purioris vitæ pallio operire debent. Pallio isto *percussit aquas* Iordanis, *quæ diuisæ sunt in vtramque partem*. Ita Sacerdotes aquas tribulationum, & tentationum facilè diuident, si pallium cælestis conuersationis illis obiiciant. Pallium illud misit super Elizeum, qui statim eum secutus est: & cùm è terra raperetur, pallium illud Elizeo reliquit, qui Iordanis aquas etiam illo diuisit. Ita Sacerdotes multos trahent ad Dominũ, & præclarũ posteris relinquẽt exemplũ, si non amiserint illud cælestis conuersationis pallium.

3. Reg. 19.

4. Reg. 2.

3. Reg. 19

4. Reg. 2.

Virginibus sacris omnibus pallium illud do, de quo legitur: *Fecit & saga vndecim de pilis caprarum ad operiendum tectum tabernaculi: & fibulas æneas quinquaginta, quibus necteretur tectum, vt omnium pallium ex omnibus sagis fieret.* Pallium illud charitatem significat, quæ animos proximorum vnit, & cum Deo nos coniungit. Tunc ergo plena in monasterio est lætitia, quando inuenitur ibi charitas perfecta.

Exod. 36

Superioribus Monialium, & omnibus, quæ in aliquo degunt officio, do pallium illud

1. Reg. 21. illud, de quo Achimelech: *Ecce hic gladius Goliath Philistæi est inuolutus pallio post Ephod.* Pallium illud clementiam, & compassionem designat erga subditas. Debent quidem habere gladium, id est, iustitiam, sed tamen inuolutum pallio misericordiæ.

Gen. 49. *Monialibus senioribus* pallium Iudæ, de quo scribitur: *Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum.* Ita seniores se ad mortem debent præparare, & defectus vitæ præteritæ in sanguine Sponsi abluere, vt ita mundæ ad cælum possint euolare.

Monialibus iunioribus pallium filiorum
Exod. 12 Israel, de quo legitur: *Tulit igitur populus conspersam farinam, antequam fermentaretur, & ligans in palliis, posuit super humeros suos.* Ita Moniales iuniores debent actiones suas ex Ægypto mundi huius educere, antequam mundano inficiantur fermento, & palliis mortificationis propriæ inuoluere.

4. Reg. 4. *Laicis* pallium illud, de quo scribitur: *Egressus est vnus in agrum, vt colligeret herbas agrestes: inuenitq́; quasi vitem siluestrem, & collegit ex ea colocynthidas agri, & impleuit pallium suum.* Ita Laicæ in agrũ quotidie debent ire bonorũ operum, fructus ex eo colligere, & animæ suæ palliũ ex iis implere.

Virgini-

Virginibus sæcularibus pallium Rebeccæ: quæ *conspecto Isaac tollens citò pallium, operuit se*. Ita virgines, quæ verè virgines sunt, viriles debēt aspectus fugere, & omnes cadendi occasiones euitare. Gen. 24.

Viduis pallium, de quo legimus: *Festinauerunt itaque, & vnusquisque tollens pallium suum, posuerunt sub pedibus eius in similitudinem tribunalis, & cecinerunt tuba, atque dixerunt: Regnauit Iehu.* Ita viduæ mariti, & omnium mundanarum vanitatum obliuisci debent, & Iehu pedibus substernere pallium, id est, coram Domino Iesu sese totas humiliare, & vocibus illum, atque virtuosis operibus exaltare. 4. Reg. 9.

Coniugatis pallium Sem, & Iaphet, qui *pallium imposuerunt humeris suis, & incedentes retrorsum, operuerunt verenda patris sui, faciesq́; eorum auersæ erant, & patris virilia non viderunt.* Ita coniugati pallio amoris mutui sibi cohærere debent, nec de extraneis personis cogitare: eodem pallio debēt & mutuos operire defectus, & humana omnia tegere charitate. Gen. 9.

Pueris pallium Ioseph, qui *nequaquam acquiescens operi nefario, relicto in manu dominæ suæ pallio fugit, & egressus est foras.* Pallium illud timorem Domini significat, quem Ioseph habens dicebat: *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Deum* Gen. 39.

 meum?

meum? Ita pueri timorem Domini debent addiſcere,& foras potiùs à peccato egredi, quàm vnquam in illud conſentire.

Ruth 3. *Seruis,& ancillis* pallium Ruth,ad quam dicebat Booz: *Expande pallium tuum,quo operiris,& tene vtraque manu. Quæ extendente,& tenente menſus eſt ſex modios hordei, & poſuit ſuper eam. Quæ portans ingreſſa eſt ciuitatem,& venit ad ſocrum ſuam.* Pallium illud diligentiam ſeruorum,& ancillarum ſignificat; quia Ruth vtramque manum extendebat: ſignificat etiam patientiam, qua Ruth vtraque manu pallium illud patienter tenebat. Significat quoque fidelitatem,quia Ruth omnia,quæ in iſto gerebat pallio, ad ſocrũ ſuam portabat.

Peccatoribus pallium Samuelis; qui nolens orare pro peccato Saulis, *conuerſus eſt, vt abiret: ille autem apprehendit ſummitatem pallij eius,quæ & ſciſſa eſt.* Ita peccatores opem veri Samuelis, id eſt, Dei, debent implorare, pallium miſericordiæ eius apprehendere, vt eos valeat à peccatis liberare. Quod ſi fortaſſis aliud adhuc pallium poſtulant, ecce pallium Saluatoris: nam *milites præſidis exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei.* Chlamys iſta Dominicæ paſſionis merita ſignificat: nam quantumcunque peccata homi-

1. Reg. 15.

Matt 27.

hominum grauia sunt, facilè tamẽ chlamyde illa abscondi, & deleri possunt. *Si fuerint peccata vestra, vt coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Munda nos, Domine Iesu, à peccatis nostris; munda nos sanguine tuo, quem effudisti hodie; munda nos, quęsumus, in hac vita, vt splendere possimus in æterna. Amen. Isa. 1.

IN EPIPHANIA DOMINI.

Exordium:

Regina Saba audita fama Salomonis in nomine Domini, venit tentare eum in ænigmatibus. Et ingressa Ierusalem multo cum comitatu, & diuitiis, & camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis, & gemmas pretiosas, venit ad Regem Salomonem. Dedit ergo Regi centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis, & gemmas pretiosas. Non sunt allata vltra aromata tam multa, quàm ea, quæ dedit Regina Saba regi Salomoni. 3. Reg. 10.

Moraliter:

Ita hodie ab Oriente venerunt Magi Ierosolymã ad regem natũ Iudæorum: Matth. 2.

& ado-

& adorantes eum *obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.*

Euangelium:

Matth 2. *Cùm natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iudæ in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam, dicentes: Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum?*

Thema:

Ibid. *Vidimus ſtellam eius in Oriente.*

Dicendum erit: Quibus ſignis, quibuſque perſonis Chriſti natiuitas manifeſtata ſit?

De materia huius dubij nihil ferè certum inuenio præter ea, quæ Euangeliſtæ referunt: & ideo breuiſſimè dicendum eſt, quamuis non oportuerit Chriſti natiuitatem vniuerſo orbi ſtatim manifeſtari; oportuiſſe tamen aliquo modo diſponi, ſeu præparari mundum, vt venientem Saluatorem ſuſciperet.

Quocirca eo tempore adimpletũ videtur, quod Aggæus Propheta prædixerat: Agg. 2. *Adhuc vnum modicum eſt, & ego commouebo cælum, & terram, & mare, & aridam, & mouebo omnes gentes, & veniet deſideratus cunctis gentibus.* Varia enim legimus in hiſtoriis eo tempore accidiſſe prodigia, vt videre licet in Oroſio *l. 6. c. 22. & ſeqq.* & in Iulio Obſequente *l. de prodigiis c. 128. & ſeq.* quæ licet

licet non omnia in die Natalis Domini facta fuerint, vniuersa tamen ad Christi ortum illustrandum diuinitùs ordinata fuisse, omnes Scriptores pij, & Catholici annotarunt.

Primum prodigium fit in templo pacis, quod Romanis putabatur æternum, quia ex suis oraculis haberent, donec virgo pareret, duraturum: corruisse autem dicitur ea nocte, qua Deipara Christum peperit. Ita refert Bonauentura *opusc. de quinque festiuitatibus pueri Iesu, c.2.* Et habetur etiam in homilia quadam de natiuitate Christi, quæ sub nomine Petri Damiani habetur in Lippomano *tom.5.* & Surio *tom 6.* Cæsar tamen Baronius in principio suorum Annalium, diligenter obseruauit, homiliam illam nō esse Petri Damiani, quòd in ea mentio fiat D. Bernardi, qui (vt ipse dicit) 50. annis, vel (vt ex Trithemio colligitur) 90. annis posterior fuit: & eruditè ostendit historiam illam non solùm incertam, sed etiam falsam esse, quia ante Vespasianum, qui templum pacis Romæ ædificauit (teste Iosepho *l.7. de bello Iudaico*) nullum aliud templum pacis Romæ fuisse legitur, quod in natali Christi corruere potuerit.

Secundũ prodigium refertur de fonte olei,

olei, qui Romæ toto quodam die ſine intermiſſione fluxit. Huius meminit D. Thomas *p. 3. q. 36. ar. 3. ad 3.* & multi exiſtimant hoc accidiſſe eodem die, ſeu nocte, qua Chriſtus natus eſt. Oroſius tamen *dict. l. 6. c.* 19. huius prodigii meminit, & tertio anno Triumuiratus, id eſt, 27. annis ante Chriſti natiuitatem accidiſſe confirmat, quanquam illo ſignificatum fuiſſe dicat Chriſtum (qui vnctus interpretatur) regnante Auguſto fuiſſe naſciturum. Idemque dicit de multis aliis prodigiis, quæ eodem tempore refert accidiſſe.

Tertium eſt, quod D. Thomas *loco citato* ponit, de tribus ſolibus, qui in Hiſpania apparuerunt, & in vnum paulatim coierunt. Plinius verò *l. 2. hiſt. c.* 31. ſæpiùs refert apparuiſſe tres ſoles: non dicit tamen in vnum coiuiſſe; quamuis hoc tempore Auguſti accidiſſe commemoret propè initium Triumuiratus, vt ex Coſſ. quos ibi refert, colligi poteſt.

Quartum, refert S. Bonauentura *loco citato* in nocte Natiuitatis omnes nefando peccato inquinatos ſubitò interiiſſe, additque alia, quæ incerta ſunt.

Quintum prodigium eſſe poteſt, dæmonũ oracula eo tempore conticuiſſe, & interdum vel inuitum dæmonẽ hanc

causam,

causam, seu rationem sui silentij reddidisse, vt Nicephorus post alios refert *l.1. hist.c.* 17. Cùm enim Augustus nullum in templo Apollinis responsum acciperet, causamque interrogaret, tandem in hunc modum respondit:

Me puer Hebræus, Diuos Deus ipse gubernans
Cedere sede iubet, tristéq; redire sub Orcum:
Aris ergo dehinc tacitis abscedito nostris.

Sextum, ac postremo prodigij loco ponere possumus generalem pacem in vniuerso Imperio Rom. sub vno Principe factam, vt Christus Princeps pacis nasceretur, sicut prædictum fuerat: *Habitabit lupus cum agno: & pardus cum hœdo accubabit: vitulus, & leo, & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos.* Isa. 11.

Dicendum secundò oportuisse Christi natiuitatem aliquibus personis peculiariter manifestari. Hoc certè diuus Thomas declarat *p.3.q.36.ar.*2. quoniam sicut posset in detrimentum fidei cedere, si Christus omnibus absque delectu manifestaretur: ita etiam, si lateret omnes. *Nam sapientia absconsa, & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque?* Eccli. 20.

Item propter hanc causam resurrectio Christi, quamuis non fuerit omnibus patefacta, demonstrata tamen est *testibus præordinatis à Deo.* Act. 10.

D.Tho-

D. Thomas autem *p. 3. tota quæst. 36.* omnes manifestationes, quæ illis diebus Natiuitati proximis in Scriptura facta esse leguntur, ad quatuor reuocat.

Luc 1. Matth. 1. Prima facta est Mariæ, & Ioseph: & hæc ante natiuitatem Christi facta est, quia ad eos pertinebat reuerentiam exhibere proli conceptæ, & etiam obsequium nascituræ. Et hoc quidem indubitatum est, quantum ad reuelationem fidei, quam Virgo, & Iosephus habuerunt de diuinitate, & dignitate Christi nascituri; & de modo etiam nascendi (vt existimo) salua matris integritate, & virginitate: quanquam hoc posterius non sit tam certum, sicut prius, quod in Euangelio expressiùs habetur.

An verò circumstantiæ huius natiuitatis, scilicet locus, tempus, & reliquæ reuelatæ fuerint B. Virgini, & Iosepho, ante Christi ortum, est incertum: piè tamen ita credi potest. Ratio enim diui Thomæ hoc etiam probabiliter persuadet, oportuisse scilicet hæc etiam illis priùs manifestari, vt conuenientiùs, & oportuniùs nascituræ proli deseruirēt.

Luc. 2. Secũda reuelatio facta est Pastoribus. Circa quam solùm occurrit notandum ex Beda *de locis sanctis, c.* 8. illos pastores fuisse tres: & in loco, vbi eis apparuerit

Ange-

Angelus, fuisse Ecclesiam ædificatam: illum autem locum fuisse propè Bethlehem, iuxta turrim Ader, id est, gregis, vt refert Hieronymus in *epitaphio Paulæ, seu epist.* 27.

Tertia apparitio facta est Magis. Considerat autem Rupertus *l.2. in Matth. propè initium*, in Magorum adoratione gentium perfectionem esse præsignatam. Pastores enim Iudæi, & ab Angelo instructi, non adeò sunt eruditi, vt procidentes adorarent, aut munera offerrēt; sed tantùm *venerunt, & cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis*. Magi verò primitiæ gentium & venerunt, & *procidentes adorauerunt, & munera obtulerunt*: quibus interiorem fidem, magnamque mysteriorum Christi cognitionem protestati sunt. Matth. 2. Luc. 2. Matth. 2.

Quarta apparitio facta est Simeoni, & Annæ, quam D. Thomas *sup. art. 6.* factam esse ait in templo. Intelligendus autem videtur quoad visibilē, seu corpoream manifestationē Christi nati, simul cum interna illius cognitione. Nam quoad aliquam interiorem reuelationem ante præcessisse videtur. Nam de Simeone inquit Lucas, quòd *responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini, & venit in Spiritu in templum.* Luc. 2. Ibid.

Morale:

Matth. 2. *Et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.*

PRima expositio est Chrysostomi *homil. 2. in Matth. in opere imperfecto, super illud: Et intrantes domum. Et offerunt*, inquit, *munera dignitati Christi congruentia. Aurum* Ibid. *quidem, quasi Regi magno:* iuxta illud: *Vbi est,* Luc. 1. *qui natus est Rex Iudaeorum?* Et Angelus: *Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in aeternum, & regni eius non erit finis.*

Thus, quod in Dei sacrificio ponitur, immola- Matt. 16. *tur vt Deo,* iuxta illud Simonis Petri: *Tu es Christus Filius Dei viui.* Et illud Thomae: Ioan. 20. *Dominus meus, & Deus meus.*

Myrrha, qua mortuorum corpora condiuntur. praebetur tanquam pro salute omnium morituro. Ioan. 3. *Sicut enim Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam* Matt. 20. *aeternam.* Et alibi: *Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur Principibus sacerdotū, & Scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum.*

Secunda expositio: Aurum significat sapien-

ſapientiam, iuxta illud: *Poſſide ſapientiam, quia auro melior eſt.* Vnde Sponſa de ſponſo ſuo loquitur: *Caput eius aurum optimum:* quia ſapientia caput eius plenum. Hanc poſtulabat Salomon dicens: *Dabis ſeruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare poſſit, & diſcernere inter bonum, & malum. Quis enim poterit iudicare populum iſtum, populum tuum hunc multum?* Illam ergo nato Regi offeres, quando ſapienter vitam tuam inſtitues, ſapienter proximorum vitam verbo, vel exemplo corriges; quando Deum timere perges, quia *initium ſapientiæ timor Domini.*

Prou. 16. Cant. 5. 3. Reg. 3. Pſal. 110.

Thus verò bona opera ſignificat: nam quoties quis in bono opere ſe exercet, toties thus Deo exhibet. Vnde Raphael Angelus ad Tobiam: *Quando orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abſcondebas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.* Quàm luculenter thus illud aſcendit, quando etiam Archangelus illud obtulit!

Tob. 12.

Myrrha cogitationem futurorũ denotat: nã vix aliquis à peccatis ſe abſtineat, qui non aliquando de futuris cogitat. *Spiritus meus attenuabitur*, dicebat ille, *dies mei breuiabuntur, & ſolùm mihi supereſt ſepulchrum.* Quid autem? *Putredini dixi:*

Iob 17.

Pater meus es: mater mea, & ſoror mea vermibus.

Tertia expoſitio: Aurum charitatem
Gen. 24. deſignat. Seruus Abrahæ *prolatis vaſis argenteis, ac aureis, ac veſtibus, dedit ea Rebeccæ pro munere*. Rebecca animam hominis ſignificat, quæ tum vaſa argentea, & aurea, & veſtes à ſeruo Abrahæ acquirit, quando per miniſtrum Dei gratiam, & charitatem, ac virtutum dona in Sacramentis accipit. Aurum ergo illud Chriſto offeres, ſi ea, quæ tibi à Deo data ſunt, in proximos iterum expendas: vt talentum tuum aureum non abſcondas, ſed plura ſuperlucrando addas.

Thus orationē ſignificat. Vnde Pro-
Pſal. 140. pheta: *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Vis autem ſcire, quantæ virtutis illud ſit incenſum? Audi Angelum
Tob 6. Raphaelem ad Tobiam: *Ipſa*, inquit, *nocte, incenſo iecore piſcis, fugabitur dæmonium.* Tantæ ergo virtutis eſt oratio, vt pellat diabolum: imò aliquod dæmoniorum ge-
Matt 17. nus eſt, *quod non eiicitur, niſi per orationem, & ieiunium.*

Myrrha denotat carnis mortificatio-
Iud. 13. nem. *Tulit Manue hœdum de capris, & libamenta, & poſuit ſuper petram, offerens Domino. Cumq; aſcenderet flamma altaris in cælum, Angelus*

gelus Domini pariter in flamma ascendit. Hœdus immortificatū designat hominem, qui quantum voluntatis propriæ possidet, tantum penes se fœtoris habet. Sed tunc gratum Deo fit sacrificium, quando hœdus ille super altare mortificationis ponitur, & propria voluntas tota comburitur: tunc scilicet ascendit flamma in cælum. Angelus quoque in flamma ascendit, quia in mortificatione hominum delectantur Angeli, & socios illos optant in gaudio cælestis regni. Vel myrrha denotat pœnitentiam. Quamdiu enim homo in peccatis permanet, tamdiu hœdus adhuc coram Deo fœtet. Sed si peccata comburantur in altari pœnitentiæ, flamma ascendit, quia Deus placatur: Angelus quoque in flamma ascendit, quia *gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia.* Luc 15.

Sed ante omnia Saluatorem nostrum oportet agnoscere, antequam munera illi possimus offerre. *Omnia quippe elementa*, ait Gregorius *homil.* 10. *in Euangelia, auctorem suum venisse testata sunt. Deum hunc cæli esse cognouerunt, quia stellam protinus miserunt. Mare cognouit, quia sub plantis eius calcabile se præbuit. Terra cognouit, quia*

 eo mo-

Digitized by Google

eo moriente contremuit. Sol cognouit, quia lucis suæ radios abscondit. Saxa, & parietes agnouerunt, quia tempore mortis eius scissa sunt. Infernus agnouit, quia hos, quos tenebat, mortuos reddidit. Et hunc homo non agnoscet? Solus illum homo ignorabit? Agnoscamus Saluatorem nostrum, nostra illi offeramus munera, vt aliquando nos etiam coronet in gloria. Amen.

IN CONVERSIONE S. PAVLI.

Exordium:

OLim apud Athenienses vir quidam eruditissimus, cùm ictum lapidis capite excepisset, cetera omnia tenacissima memoria retinens, litterarum tantummodo, quibus præcipuè inseruierat, oblitus est. Vtilius aliquanto fuisset ad talia studia aditum non impetrasse, quàm iam percepta eorum dulcedine caruisse.

A Ita *Saulus adhuc spirans minarum, & cædis in discipulos Domini*, cùm *cadens in terram audiuisset vocem dicentem sibi: Saule, Saule, quid me*

[illegible] quaero? omnis amatus Dei obtinet nomina, ut sapiens dicit: Domine, [illegible]

Evangelium.

Dixit Simon Petrus ad Iesum: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Matt. 19.

Thema:

Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.

Occasione festi huius, an [illegible] Saulus Christum in terra vidit, qui tamen in caelo erat, probabimus hoc [illegible] non implicare contradictionem, & proinde possibile esse, vt vnum corpus sit in pluribus locis.

Primum argumentum sumetur a Scriptura, quae testatur Deo nihil esse impossibile: *Apud Deum omnia possibilia sunt.* Ibid.

Explicabunt adversarii, Omnia, praeter ea, quae implicant contradictionem, quale est, vnum corpus esse in duobus locis. At vero, potest haec explicatio multis modis, etiam ex eorum principiis.

Primum principium eorum est, nihil esse credendum sine verbo Dei. At verbum Dei nusquam excipit a Dei omnipotentia, vnum corpus esse in duobus locis. Excipit quidem alia, ut mentiri Deum, *impossibile est mentiri Deum.* Et alibi: Heb. 6.
Negare seipsum non potest. Ex quibus recte 2. Tim. 2.

colligitur, Deum illa tantùm non posse, quæ facere, non est facere, sed deficere. Sed vnum corpus in duobus locis esse, non potest clare ad illa reduci; proinde excipi non debuit.

Secundum principium eorũ est, eam esse veram doctrinam, quæ Deum exaltat, & hominem deprimit: & contrà falsam esse, quæ hominem exaltat, & deprimit Deum. At qui dicit, inter ea, quæ potest Deus, esse etiam, ponere vnum corpus in pluribus locis, hic Deum exaltat, & hominem deprimit, cùm fateatur plura posse facere, quàm nos intelligamus: qui autem id negat, Deum deprimit, & hominem exaltat, cùm dicat, Deum non posse facere, quod homo non potest capere. Ergo.

Tertio, Illa implicant contradictionem, quæ pugnant cum essentia rei, ita vt dicatur res esse, & non esse. At esse in loco non est de essentia corporis, sed quid extrinsecum, & accidentarium. Nam cælum vltimũ est verum corpus, & non est in loco. Ergo non repugnat essentiæ corporis, esse in vno, vel pluribus locis, cùm sint extrinseca omnia, & posteriora ipsa corporis essentia.

Secundum argumentum ducitur ab
Act.9. & 22. exemplo Scripturæ sacræ. Nam Christus

ſtus cùm Apoſtolo Paulo apparuit, fuit ſimul in ſummo cælo, & in terra, ſiue in aëre terræ vicino. Igitur vnum corpus in pluribus ſimul locis eſſe poteſt. Fuiſſe autem tunc Chriſtum ſimul in cælo, patet ex illo Petri: *Quem oportet cælum ſuſcipere vſque ad tempus reſtitutionis omnium.* Act.3.

Ad hoc argumentum duplex ſolutio dari poteſt. Vna eſt, quòd Paulus non viderit reipſa Chriſtum in propria perſona, ſed in ſpecie aliqua ſibi apparente, & audierit vocem non ex ipſo Chriſti ore, ſed vocem quandam diuinitus factam: qualis fuit vox Dei Patris ſuper ipſum Chriſtum in Baptiſmo, & in monte Thabor. Ita videtur Caluinus totum hunc locum intellexiſſe *in c. 9. Act.*

Altera, quòd Paulus viderit quidem, & audierit Chriſtum, ſed in cælo exiſtentem, ita vt diuina virtute factum fuerit, vt oculi, & aures Pauli cælos penetrarent. Et hoc modo reſpondet ad argumentum propoſitum Caluinus *lib. 4. Inſtitution. cap. 17. §. 29.* Cui ſanè commodum eſſet obiicere, quod idem ſcribit *l. 3. Inſtitution. c. 20. §. 24.* vbi ridet Sanctorum inuocationem: *Quis*, inquit, *eouſque longas illis*

esse aures reuelauit, vt ad voces nostras porrigantur? oculos etiam tam perspicaces, qui necessitatibus nostris aduigilẽt? Quid igitur, si illi obiiciamus, non habuisse Paulum tam longas aures, nec oculos tam perspicaces, vt in cælum vsque penetrarent, & ibi Christum viderent, & audirent? Quid, quæso, respondebit, nisi diuina virtute id fieri potuisse? At si diuina virtute fieri potest, vt oculi carnei, & aures carneæ in cælum penetrent; non poterit eadem virtute fieri, vt oculi, & aures spirituales animarum glorificatarum in terram vsque penetrent?

Sed his omissis probandũ nobis est, à Paulo ipsum Christũ verè, & propriè visum esse oculis corporalibus, idque in terra, non in cælo. Ac primum quidem non modò certissimum, sed etiam euidentissimum est. Nam cùm Lucas dicat

Act.9. de comitibus Pauli: *Viri autem illi, qui comitabantur cum eo, stabant stupefacti: vocem quidem audientes, neminem autem videntes:* ponit antithesin inter Paulũ, & comites eius: quasi dicat: Comites eius audiebant vocem loquentis, sed non videbant, quis loqueretur: Paulus autem & vocem audiebat, & videbat eum, qui loquebatur.

Ibid. Et: *Barnabas apprehensum illum duxit ad Apostolos, & narrauit illis, quomodo in via vidisset*

Domi-

Damascum, & quis locutus esset. Itemque Ananias dixit ad Paulū de visione illa quam habuerat in via: Deus Patrum nostrorum præordinauit te, vt cognosceres voluntatem eius, & videres iustum, & audires vocem ex ore eius. Act. 22.
Vidit igitur tunc Paulus Christum, & vocem audiuit, non ex aliena labe, aut Angelorum ministerio formatam in aere, sed ex ore Christi. Et ipse Christus Paulo dicit: Ad hoc apparui tibi, vt constituam Act. 26.
te ministrum, & testem eorum, quæ vidisti. Vbi facit illum Apostolum, & testem oculatum resurrectionis. Non fuisset autem verus testis, nisi ipsum corpus vidisset, quod resurrexerat, idque oculis corporalibus. Propterea Paulus probaturus A- 1. Cor. 9.
postolatum suum: Nonne, inquit, Iesum Dominum nostrum vidi? Et enumeratis testibus oculatis resurrectionis Christi, postquam posuerat Petrum, Iacobum, & alios, subdit: Nouissime autem omnium, tanquam abortiuo visus est & mihi: qua professione nihil valeret, nisi videret ipse, vt alij viderunt. Itaque dubitari non potest, quin verè corporalibus oculis corpus ipsum Christi viderit.

Id verò quod Christum viderit, non in cœlo, sed in terra, vel aere propinquo terræ, probatur, quia tanta lux eum, qui illi apparuerat, Paulus circumfulsit, Act. 9.
vt eum planè excæcauerit. Non autem

lædere

lædere potuisset eius oculos lux illa corporis Domini, nisi propinqua fuisset. Deinde, lumẽ quoddã etiam comites eius viderunt, & sonum quoque vocis audierunt: quod est argumentum certissimum, in terra, vel in aëre proximo Christum apparuisse: nec enim comites Pauli summum cælum oculis, & auribus penetrare potuissent. Adhæc; Licet comites Pauli audierint vocem, tamen non distinctè intellexerunt, quid
Ibid. Dominus dixerit. Quare propinquior
Act. 22. Paulo Dominus fuit, quàm aliis, & quasi in aurem ei locutus est. Si autem de cælo vox facta fuisset, omnes æquè audiuissent. Præterea, illa interrogatio: *Quis es, Domine?* & illa responsio: *Ego sum Iesus, quem tu persequeris*: apertè indicant præsentiam Domini. Si enim vidisset Paulus Christum in summo cælo, vt eum vidit Stephanus, non dubitasset, quisnam esset: sed quia repentè vidit coram se hominem quemdam supra lucem solis rutilantem, ideo dixit: *Quis es, Domine?* Denique, si solùm in cælo Paulus Christum vidisset, non fuisset idoneus testis resurrectionis: potuissent enim facilè homines calumniari eius testimonium, & dicere eum deceptum fuisse, aut sola imaginatione vidisse.

Confir-

Confirmatur ex aliis Chriſti apparitionibus. Nam inprimis Petro Apoſtolo Chriſtum apparuiſſe in terra, & cum eo collocutum, teſtantur grauiſſimi auctores, Ambroſius *in orat. contra Auxent.* Hegeſippus *l.3. de excidio vrbis Ieroſol. c.2.* Et Athanaſius licet paulò obſcuriùs, *in apologia pro fuga ſua.* Deinde, Chriſtum apparuiſſe S. Antonio, poſteaquã à dæmonibus grauiſſimè cæſus fuerat, & ad Chriſti præſentiam dæmones fugiſſe, & plagas Antonij repentè curatas, teſtatur Athanaſius *in vita eius.* S. Gregorius *l.4. Dialog. c.16.* affirmat, ipſum Chriſtum verè apparuiſſe S. Therſillæ amitæ ſuæ paulò ante obitum: & realem, non imaginariam viſionem fuiſſe, probat ex immenſa odoris fragrantia, quæ in cubiculo relicta eſt. Et ipſi Gregorio Dominum humana ſpecie verè apparuiſſe, teſtatur Ioannes Diaconus *l. 2. vitæ ipſius c. 22.* aliaque id genus multa ex probatis auctoribus poſſent adduci: quæ ſi quis velit omnia negare, meritò impudentiæ, ac temeritatis argui poſſet.

Tertium argumentũ ſumitur à teſtimoniis Patrũ, qui rem vnã in pluribus ſimul locis eſſe poſſe docent. Ac primũ Chryſ. *l.3. de Sacerd.* diſertis verbis affirmat, eundẽ Chriſtum eodem temporis

articulo

articulo, & ſurſum in cælo cum Patre ſedere, & in terra omnium communicantium manibus pertractari. Et non loqui eum de pertractatione ſolùm in ſymbolo, patet, quia tribuit id miraculo. Idem etiam Chryſoſtomus, & cum eo Primaſius, & Anſelmus, & commentarius Ambroſio adſcriptus *in c. 10. ad Hebr.* idem corpus Domini in multis altaribus ſimul offerri dicunt, nec loquuntur de ſigno corporis, ſed de vero corpore.

Item, Cyrillus *l. 12. in Ioannem, c.* 32. & Theophylactus *c. 19. Ioannis*, diſertis verbis docent, Chriſtum per carnem ſuam in Euchariſtia perceptam ſanctificare animas, & corpora omnium communicantium in toto mundo, & eſſe in omnibus totum, & impartibilem.

S. Auguſtinus *l. de cura pro mortuis c. 16.* proponit quæſtionem: vtrùm cùm diuerſis locis ſimul fiant miracula alicuius Martyris, ſit ipſe Martyr præſens tam multis locis; an iſta fiant miniſterio Angelorum? Et reſpondet, quæſtionem eſſe ſupra ingenij vires. Ex quo intelligimus nō exiſtimaſſe Auguſtinum impoſsibile eſſe, vt vna res ſit in diuerſis locis: alioqui non dubitaſſet, ſed apertè dixiſſet (vt Caluiniſtæ dicunt)

impli-

implicare contradictionem, vt sit vnum aliquid in diuersis locis simul. Præterea c. 17. refert historiam quandam S. Ioannis Monachi, qui, cùm ex monasterio suo non discessisset, apparuit tamen adhuc viuens in somnis cuidam alteri longè posito: ac deinde dicit dubium esse, an spiritus eius reuera fuisset in vtroque loco, an id esset factũ alio modo. Denique dicit se, si cum sancto illo Monacho loqui potuisset, ab eo quæsiturum fuisse solutionem vtriusq; quæstionis, & verbis eius crediturum.

Si quis obiiciat, aliam esse rationem corporum, aliam spirituum: Augustinum autem spiritibus concedere, vt posint esse in pluribus locis simul, non corporibus; is facilè refelli poterit. Nam ratio, cur corpora non videantur posse esse in pluribus locis, non est tam moles, quàm vnitas. Non enim quæstio est: An posit corpus occupare duo loca: nam corpus Christi non occupat, nisi vnum locum ordinariè: in Sacramento enim non est localiter, nisi ratione dimensionũ panis. Et licet etiam localiter arbitramur posse vnum corpus esse in pluribus locis, & id probant exempla allata in secundo argumento; tamen ad mysterium Eucharistiæ defenden-

fendendum non requiritur, vt vnum corpus poſsit occupare, ſeu replere plura loca, ſed ſatis eſt, ſi poſsit quocunque modo eſſe in pluribus locis. Ideo autem non videtur poſſe eſſe, quia non poteſt diuelli à ſeipſo; & videtur neceſſariò debere diuelli, ac diſtrahi à ſe, ſi ponatur in variis locis. Quocirca Petrus Martyr, cùm negat idem corpus poſſe eſſe in duobus locis, rationē reddit, quia geminaretur. Porrò iſta repugnantia, quæ ſumitur ab vnitate rei, non minùs inuenitur in ſpiritu, quàm in corpore: vtrumque enim eſt vnum, & à ſe diuidi non poteſt. Quare perinde eſt in hac quæſtione, ſiue de corpore, ſiue de ſpiritu probetur.

Quartum argumentum ſumitur ab exemplis Dei, & animæ rationalis. Deus enim, cùm ſit res vna, & ſimplicißima, atque indiuiſibilis; tamen eſt ſimul in infinitis locis. Eſt enim præſens totus Deus omnibus rebus creatis. Quod certè ſuperat captum hominum: nec enim poſſumus cogitare rem vnam in diuerſis locis, niſi cogitemus, aut loca illa fieri vnum locum, aut rem vnam diuidi in plures. Vnde Auguſtinus *epiſt. 3. ad Voluſianum* de hac exiſtentia Dei in tot locis ſimul ait: *Miratur hoc mens humana, &*

quia non capit, fortasse non credit.

Pari ratione anima rationalis tota est in qualibet parte corporis: alioqui enim, si extenderetur ad extensionem corporis, esset materialis, & à corpore penderet; proinde non esset immortalis; quod cum fide Catholica pugnat.

Quintum argumentum sumitur à mysteriis nostræ fidei vel difficilioribus, vel æquè difficilibus, atque hoc, de quo agimus.

Primum mysterium Trinitatis est (quod etiam Lutherani, & Caluinistæ admittunt) in quo vnam naturam in tribus personis reipsa verissimè distinctis credimus: quod sanè mirabilius est, quàm vt corpus vnum sit in pluribus locis. Nam sicut hic est realis distinctio locorum, ita ibi Personarum: sicut hic vnitas corporis, ita ibi vnitas naturæ. Sed mirabilius est mysterium Trinitatis, quia natura in Trinitate identificatur realiter, & formaliter cum singulis personis: corpus autem non identificatur vllo modo cum locis. Si ergo potest vna numero natura non distrahi à seipsa, licet identificetur cum Personis realiter distinctis: cur non faciliùs poterit vnum corpus coniungi extrinsecùs cum distinctis locis, & tamen

men non distrahi à seipso?

Secundum est mysterium Incarnationis, in quo vnam hypostasin in duabus naturis perfectis, & dissimillimis confitemur. Et quia longè maior vnio est inter hypostasin, & naturam, quàm inter locatum, & locum; (cùm illa intrinseca, & substantialis; hæc extrinseca, & accidentaria sit) profectò rectè inspicienti mirabilius videtur, vnam esse hypostasin in duabis naturis, quàm vnum corpus in duobus locis.

Adde, quòd illa hypostasis identificetur prorsus realiter, & formaliter cum altera naturarum, id est, cum natura diuina; & tamen vnitur intimè cum natura humana, quæ realiter, & formaliter differt à natura diuina. Ex quo sequitur, vt sit planè incomprehensibile, quomodo in illa vnione vel non confundantur naturæ, vel non diuidatur hypostasis.

Tertium est mysterium resurrectionis mortuorum, quod vt semper Philosophis impossibile visum est, ita semper à fidelibus certa fide creditum est, & nunc etiam à Lutheranis, & Caluinistis creditur, si tamen creditur. Porrò in hoc mysterio id maximè difficile, & mirabile est, vt vnum, & idem indiui-

diuiduum fiat bis. Si enim bis fit, quomodo non duplici actione? Si duplici actione, quomodo non sunt duo? nam effectus per se ab actione dependet, vt eius terminus. Atqui id maximè cernitur in accidentibus, quæ penitùs perierunt, & tamen eodem numero restituuntur à Deo.

Quartũ est creatio, & annihilatio, quæ ab omnibus fidelibus diuinæ potentiæ cõceduntur, licet à Philosophis rideantur, & contradictionem implicare dicantur. Nam qui dicit ex nihilo aliquid fieri, quod est creari, vel ex aliquo nihil fieri, quod est annihilari, videtur dicere, nihil esse aliquid, vel aliquid esse nihil. Et sanè superat humanam cogitationẽ, quòd res aliqua nunc existat, quæ paulò antè nihil erat. Quis enim concipiat, vnde venerit? vnde extracta sit? vnde processerit in lucem, si nusquam latebat, nisi ipsum nusquam aliquid sit? Pari ratione quis intelligat, ex aliquo nihil fieri, nisi ipsum nihil sit aliquid? Et tamen ista credunt, aut credere se dicunt, qui nolunt credere ea, quæ faciliora sunt; vt vnum corpus posse à Deo poni in pluribus locis.

Quintum mysterium æternitas est. Difficilius enim videtur, vt vnũ instans

durationis ſimul ſit in diuerſis temporibus, ſiue coexiſtat diuerſis temporibus; quàm vt vnum corpus ſimul ſit in locis diuerſis. Tempora enim fluunt, & impoſſibile eſt ſimul manere præteritum, & futurum: at loca ſimul permanent, licet diſtincta, & ſeparata ab inuicem. Iam æternitas eſt vnum inſtans durationis non fluens, & proinde coexiſtens toti tempori præterito, & futuro: & tamen nec ipſum inſtans diuiditur, nec tempora cõfunduntur: quod ſuperat plane humanum captum.

Sextum argumentum ſumitur à ſimili. Nam poteſt vnus locus capere duo corpora ſibi adæquata ſimul: & tamen neque locus diuiditur in duo loca, neque corpora illa confunduntur in vnum corpus. Ergo poterit etiam vnum corpus replere duo loca, etiamſi nec ipſum corpus diuidatur in duo corpora, nec loca illa conueniant in vnum locum. Conſequentia videtur optima, quia ita ſe habet locatum ad locum, ſicut locus ad locatũ. Antecedens certum eſt exemplis diuinæ Scripturæ de egreſſu corporis Chriſti ex clauſo ſepulchro; & aliis.

Quidam tamen Catholici (atque in eis S. Thomas *in 4. diſt. 14. q. 2. ar. 3.*) exiſtimant,

mant,

mant, non poſſe vnum corpus eſſe in duobus locis localiter, ſed tantùm Sacramentaliter, vel in vno localiter, in aliis Sacramentaliter; & ideo negant conſeq. argumenti adducti. Et rationem hanc reddunt, quia vnum eſt illud, quod eſt indiuiſum in ſe, & diuiſum à quocumque alio: ex quibus conditionibus prior eſt eſſentialis, & inſeparabilis; poſterior autem eſt accidentaria, & ſeparabilis. Cùm autem duo corpora ſint in vno loco, tollitur tantum poſterior conditio vnitatis, ac proinde non deſtruitur eſſentia vnitatis: cùm verò vnum corpus ponitur in locis diuerſis, tollitur prior conditio, ac deſtruitur tota eſſentia vnitatis.

Sed hæc ratio, pace tanti Doctoris, non eſt ſolida. Nam duplex eſt indiuiſio in ſe, & diuiſio ab aliis. Vna reſpectu loci, quæ extrinſeca eſt, & planè accidentaria. Altera reſpectu rei ipſius, quæ intrinſeca eſt; & vel eſt de eſſentia, vel certè proprietas quædam vnitatis. Iam igitur, quando duo corpora ſunt in vno loco, non tollitur diuiſio ab aliis intrinſeca, ſed extrinſeca ſolùm, quæ eſt reſpectu loci. Nam licet ſe penetrent duo corpora, ſunt tamen duo diuerſa, & diſtincta

quoad omnia principia essentialia, imò etiam quoad accidentalia, excepto situ. Sic etiam, cùm vnum corpus est in diuersis locis, nō tollitur indiuisio intrinseca, sed solùm extrinseca respectu loci: nam non diuiduntur principia intrinseca, quæ corpus constituunt, sed solùm diuiduntur situs, siue Vbi illius corporis.

Adde, quòd, si non posset esse vnum corpus localiter in duobus locis; quia diuideretur à seipso; profectò nec posset esse Sacramentaliter, eadem ratione: licet enim esse alicubi Sacramentaliter, non dicat esse per loci occupationem; tamen dicit esse per realem, & veram præsentiam in pluribus hostiis, siue altaribus: quæ realis præsentia in tot altaribus, & non in locis intermediis non minùs tollere videtur indiuisionē rei, quàm repletio plurium locorum.

Morale.

SEd de S. Paulo quæri potest, vnde tam citò conuersus sit. Nimirum ob quatuor causas. Primò, ex verbi Dei
Act. 9. virtuosa operatione. *Cadens* enim *in terram, audiuit vocem dicentem sibi: Saule, Saule, quid me persequeris?* Nam, vt ait Apostolus: *Viuus*

Viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Tunc enim *dedit voci suæ vocem virtutis.* Heb 4. Psal 67.

Secundò, ex inspiratione diuina. Vnde dixit: *Quis es, Domine? Et tremens, ac stupens dixit: Domine, quid me vis facere?* Act. 9.

Tertiò, ex fulgore diuinitatis relucentis in humana Christi facie, *in quam desiderant Angeli prospicere.* Si enim *vniuersa terra desiderabat videre faciem Salomonis,* certè *plus, quàm Salomon, hic.* Vnde & Saulum *subitò circumfulsit lux de cælo.* 1. Pet 1. 3 Reg. 10. Matt 12. Act. 9.

Quartò, ex potenti Dei attractione. Si enim magnes ferrum attrahit, quanto magis Dominus cæli, & terræ trahit, quem vult? *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit illum.* Vnde & Dominus ad Saulum: *Ego sum Iesus, quem tu persequeris: durum est tibi contra stimulum calcitrare.* Ioan. 6. Act. 9.

IN PVRIFICATIONE B. MARIÆ.

Exordium:

DIxit Gedeon ad Deum: *Si saluum facis per manum meam Israel, sicut locutus es, ponam* Iud 6.

nam hoc vellus lanæ in area: si ros in solo vellere fuerit, & in omni terra siccitas, sciam, quòd per manum meam, sicut locutus es, liberabis Israel. Et rursum: *Oro, vt solum vellus siccum sit, & omnis terra rore madens.*

Moraliter:

Vellus Gedeonis significat D. Virginem, quæ sola illo cælestis gratiæ rore repleta fuit, vt mereretur concipere filium Dei, & parere. Rursum: Quando tota terra peccato maduit, illa sola à peccato, paucis exceptis, libera, & sicca fuit.

Euangelium:

Luc. 2. *Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ, secundùm legem Moysi, tulerunt Iesum in Ierusalem, vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini.*

Thema:

Ibid. *Secundum quod dictum est in lege Domini.*

D. Thomas *p. 3. q. 37. art. 3.* quærit: Vtrum Christus conuenienter fuerit in templo oblatus? Respondet: dicendum, inquit, quòd Christus voluit *sub* Gal. 4. *lege fieri, vt eos, qui sub lege erant, redimeret,* & vt iustificatio legis in suis membris spiritualiter impleretur. Sic Iudas orãs pro fratre suo Beniamin, dixit ad Ioseph: Gen. 44. *Manebo seruus tuus pro puero in ministerio domini*

mini mei, & puer ascendat cum fratribus suis.

De prole autem nata duplex præceptum in lege traditur. Vnum quidem generale quoad omnes: vt scilicet completis diebus purificationis matris offerretur sacrificium pro filio, siue pro filia. Et hoc quidem sacrificium erat, & ad expiationem peccati, in quo proles erat concepta, & nata; & etiam ad consecrationem quandam ipsius; quia tunc primò præsentabatur in templo; & ideo aliquid (scilicet agnus anniculus) offerebatur in holocaustum, & aliquid (turtur scilicet, aut pullus columbæ) pro peccato. Ita Anna etiam *adduxit secum Samuel, postquam eum ablactauerat, in vitulis tribus, & tribus modiis farinæ, & amphora vini, & adduxit eum ad domum Domini in Silo.* Leuit. 12 / 1. Reg. 1.

Alterum præceptum erat speciale in lege de primogenitis, tã in hominibus, quàm in iumentis. Sibi enim Dominu deputauerat omne primogenitum filiorũ Israel, pro eo, quòd ad liberationem populi Israel percusserit primogenita Ægypti, ab homine vsque ad pecus, primogenitis filiorum Israel reseruatis. In hoc etiam præfigurabatur Christus, qui est *primogenitus in multis fratribus*, vt ait Apostolus. Exod. 13 / Rom. 8.

Quia igitur Christus ex muliere puta-

batur natus quasi primogenitus, voluit fieri sub lege, & hæc duo Euangelista circa eum fuisse obseruata ostendit.

Luc 2. Primò quidem id, quod pertinet ad primogenitos, cùm dicit: *Tulerunt eum in Ierusalem, vt sisterent eum Domino: sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur.* Secundò illud, quod pertinet communiter ad omnes, cùm dicit: *Vt darent hostiam, secundum quod dictum erat in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.*

Num. 28 Sed obiicit D. Thomas: Inter legales hostias præcipua fuit Agnus, qui erat iuge sacrificium: vnde etiam Christus Ioan 1. dicitur Agnus: *Ecce Agnus Dei.* Magis ergo fuit conueniens, quod pro Christo offerretur agnus, etiam secundũ legem, quàm par turturum, aut duo pulli columbarum.

Leuit. 12 Respondet, quod in lege pręcipiatur, vt, qui possent, agnum pro filio, aut filia, simul & turturem, siue columbam offerrent. Qui verò non sufficerent ad offerendum agnum, duos turtures, vel duos pullos columbarum offerrẽt. Dominus ergo, qui, *cùm diues esset, propter nos egenus factus est, vt illius inopia diuites essemus,* pro se pauperum hostiam voluit offerri: sicut & in ipsa natiuitate pannis inuoluitur,

(Margin: 2. Cor. 8. beside "minus ergo"; Luc. 2. beside "ri: sicut")

uoluitur, & reclinatur in præsepio.

Est & alia ratio mystica. Quia enim Sponsus in Canticis frequenter Sponsam suam columbã appellat, hinc considerare oportet conditiones columbæ, vt ex iis Sponsa, id est, anima Christiana consideret, quas in se perfectiones debeat habere.

Primò, Columba est victu munda. In cuius signum Columba *non inueniens, vbi requiesceret pes eius*, (quia scilicet in aquam non poterat descendere, nisi super cadauera mortuorum) *reuersa est ad Noë in arcam*. Ita anima Christiana à cadaueribus vitiorum, & rerum mundanarum debet abstinere, nec nisi in virtuosis actibus quiescere. Gen. 8.

Secundò, Columba est fructu fœcunda. Nam in regione calida, sicut est Ægyptus, omni mẽse pullos dat. Et quanto pennosior, tanto fructuosior. Sic anima Christiana in bonis operibus esse debet fructuosa, & omni tempore pullos bonorum operum gignere. Et ideo debet esse in calida regione, id est, in charitatis feruore; & pennosa in virtutum multiplicitate. Vnde Dauid: *Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Psal. 45.

Tertiò, Colũba est cantu gemebunda.

Ita

Ita anima Christiana pro cantu mundanarum lætitiarum,& humanæ consolationis debet habere gemitum tristis
Isa.59. & gemebundæ meditationis. *Quasi columbæ meditantes gememus*. Vnde etiam
Isa 38. Ezechias: *Meditabor, vt columba: attenuati sunt oculi mei, suspicientes in excelsum*. Columba enim semper meditando vadit, & postquam diu meditata fuerit, pro conclusione gemit. Ita etiam meditari debet anima, præterita,præsentia, & futura. Alioqui similis erit serpenti, Scila nomine, qui nullo modo potest respicere retro se: si enim flecteretur, creparet.

Quartò, Columba caret felle. Ita mansueta debet esse anima Christiana. Vis exemplum? Tolle corpus exanime, (dicebat S. Franciscus, vt refert D. Bonauentura *c.6.vitæ*) & vbi placuerit, pone: videbis non repugnare motum, non murmurare situm, non reclamare dimissum. Quòd si statuatur in cathedra, non alta, sed ima respiciet: si collocetur in purpura, duplo pallescet.

Quintò, Columba rostro non lædit. Hoc taciturnitatem significat animæ Christianæ, & neminem lædendum vitio linguæ. Taciturnitas enim puri cor-
Prou. 18. dis est custodia. Et Sapiens ait: *Mors, &*

vita

vita in manu linguæ; ſcilicet non tam ratione guſtus, quàm ratione loquelæ. Quare columba ſecunda, quam Noë ex arca emiſerat, *venit ad eum ad veſperam, portans ramum oliuæ virentibus foliis in ore ſuo.* Gen. 8. Ramus oliuæ pacem ſignificat, quam debemus in ore gerere: virentia folia pulchritudinem ſignificant refrænatæ linguæ.

Sextò, Columba in cauernis petrarum nidificat. Ita nidificare debet anima Chriſtiana in vulneribus Chriſti. Nam dum S. Franciſcus (*c.1. vitæ*) ſequeſtratus oraret, & præ nimietate feruoris totus eſſet abſorptus in Deum, apparuit ei Chriſtus Ieſus veluti cruci confixus: ad cuius conſpectum liquefacta eſt anima eius, & memoria paſſionis Chriſti ab illa hora ita illi inhærebat, vt de ea cogitans non poſſet à lacrymis abſtinere.

Septimò, Columba nutrit pullos alienos. Significat proximorum tolerandos eſſe defectus. Ita S. Franciſcus (*c.1. vitæ*) cùm obuium haberet leproſum, à quo abhorrebat, ex equo lapſus, accurrit, & pecuniam ei cum oſculo dedit. Poſtea equum conſcendens, ſtatim vt ſe vertit, leproſum illum minimè vidit.

Octauò,

Octauò, Columba alias errantes asso-
ciat, recolligit. Significat ex charitate monendos esse à via recta aberrantes. 1.Reg.9. Ita *Cis dixit ad Saul: Tolle tecum vnum de pueris, & consurgens vade, & quare asinas. Qui cùm transissent per montem Ephraim, & per terram Salisa, & non inuenissent, transierunt etiam per terram Salim, & non erant: sed & per terram Iemini, & minimè repererunt.* A sinę aberrantes sunt animæ deuiantes.

Nonò, Columba iuxta fluenta manet, & in iis vmbram accipitris de lõge venientis inspicit, quam videns statim ad interiora foraminis fugiens se abscondit. Accipiter diabolus est: vmbra illius in aqua splendet, quando tentatione mundi hominem torquet. Matth.4. Ita *assumpsit Iesum diabolus in montem excelsum valdè: & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Sed Christus eum repulit, & ad interiora sacræ Scripturæ confugit, dicẽs: *Scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.*

Decimò, Columba meliora grana eligit. Significat animam frequenter corpore Christi nutriendam. Sic Ruth Ruth 2. in agro Booz *colligebat spicas post terga metentium.* Metentes sunt Sacerdotes, qui quotidiè cæleste illum panem de mensa Domini

Domini metunt. Tunc autem & animæ ſpicas colligunt, quando menſæ Domini aliquando participes fiunt.

Vndecimò, Columba gregatim volat, & ſocietatem diligit. Quod ſignificat bonam quærendam eſſe ſocietatem. Ita Eſau, licet malus eſſet, dicebat Iacob: *Gradiamur ſimul, eroq́ ſocius itineris tui.* Gen. 33.
Ille tamen nolebat, dicens: *Præcedat Dominus meus ante ſeruum ſuum, & ego ſequar paulatim veſtigia eius.* At ille: *Oro te, vt populo, qui mecum eſt, ſaltem ſocij remaneant viæ tuæ.*

12. Columba ſanguinem habet medicinalem. Dicitur enim, quòd ſanguis eius ſub dextera ala extractus, & calidus oculis inſtillatus dolorem mitigat, & ſanat ophthalmiam oculorum. Sanguis, qui per animam viuit, ſignificat fidem, quæ per charitatem viuit. Fides autem vera ſanat ophthalmiam oculorũ, quia cæcitatem pellit hæreticorum. Iſto ſanguine *Ieſus tetigit oculos cæcorum* ſecus viam Matt. 20.
ſedentium; *& confeſtim viderunt, & ſecuti ſunt eum.* Qui ſecus viam ſedebant errorum, illuminati fuerunt per veram fidẽ, & ſecuti ſunt Ieſum per charitatem.

13. Obliuioſa iniuriæ: nam ſublatis pullis, damni ſui immemor, nidificare, pullificare iterum in eodem loco non omittit. Ita cùm *Iudæi ſuſtuliſſent lapides, vt* Ioan. 10.
lapida-

lapidarent Iesum, & eum quærerent apprehendere, statim oblitus eorũ, dixit ad discipulos suos: *eamus in Iudæam iterum*. At illi:
Ioan. 11. *Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc?*

14. Columba, quando potat, caput suum non erigit, quousque ei haustus potus sufficiat. Aqua significat gratiam diuinam, quæ è cælo pluit sicut aqua ex aëre descendit. Hanc oportet diligenter haurire, nec ad mundi auxilia interdum respicere, neque ad carnis blanditias caput leuare, neque etiam ad occursum diaboli trepidare; sed continuò ad satietatem bibere. Ita Dominus dixit Paulo:
2. Cor. 12. *Sufficit tibi gratia mea*. Quasi dicat: Noli aliunde expectare auxilium, noli caput tollere, sed ad satietatem bibe: *sufficit enim tibi gratia mea*.

15. Caro columbina dura est ad digerendum, & viscosa: vnde grossum nutrimẽtum dat, maximè caro pullorum. Sed quando volare incipiunt, ratione motus multum ex illa grauitate amittunt. Quanto autẽ senior, tanto durior ad digerendum. Tunc columba carnem habet pullorum, quando adhuc mortificata est anima, nec per virtutes adhuc volare potest. Tunc autem senuit, quando primus feruor efferbuit, & charitas langue-

languescit. Vnde Sponsus dicit: *Vtinam frigida esses, aut calida: sed quia tepida es, incipiam te euomere ex ore meo.* Apoc. 3.

16. Columba aliquando inuenitur domita, quæ ad deceptionem siluestrium est instructa. Nam siluestribus se associans, ad rete illas ducit, & cum illis rete intrat, & inuolui se permittit, & ita eas decipit. Ita anima, si per morum disciplinam fuerit edomita, facilè alios ad virtutes trahet. Ita B. Agnes post sedecim dies à conuersione S. Claræ, diuino afflata spiritu, properat ad sororem Claram, eiq́ue indicat se velle penitùs Domino deseruire. Quam illa gaudenter amplectens: Gratias, ait, ago Deo, dulcissima soror, quòd me de te sollicitam exaudiuit.

17. Columba aliquando est litteræ gerula. Diligit enim naturaliter locũ, vbi primitùs est nutrita: & quantumcunque deferatur ad longinquas partes, semper redit ad propria, si libertati fuerit restituta. Vnde columbæ solet alligari epistola sub ascella, quæ eleuat se in aëra, & non cessat, donec ad natiuitatis suæ locum redeat. Tunc colũmba fert epistolam, quando anima per orationem ad cælestem tendit patriam. Proficiscitur etiam tunc in terram longinquam: ex

qua tunc refert epistolã, quando è cælo responsionem accipit diuinam.

Talem mittebat Ezechias epistolam, quando accepta mortis sententia ora-
4. Reg. 20. bat dicens: *Obsecro, Domine, memento, quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum est coram te, fecerim.* Mittebatur hæc epistola in cælum: sed quale inde tulit responsum? *Hæc dicit Dominus Deus patris tui Dauid: Audiui orationem tuam, & vidi lacrymas tuas: & ecce sanaui te, die tertio ascendes in templum Domini.*

Quòd si has columbæ proprietates anima Christiana habeat, necesse est, vt æterno sponso placeat. Tunc benignè
Cant. 2. ab illo vocabitur: *Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, & veni.* Surge à veteri conuersatione, propera per virtutum incrementum, & veni per optatum perseuerantiæ complementum.

IN

IN CATHEDRA
S. PETRI.

Exordium:

Olim apud Romanos Metello Africano debitus honos non solum a civibus, sed etiam ab hostibus tributus est. Siquidem rex Antiochus bello, quod cum Romanis gerebat, filium eius a militibus suis interceptum, honorificentissime exceptum, regiis muneribus donatum, vivum, & colorem pacis remisit: quamquam ab eo non maxime finibus imperii pellebatur. Sed & Rex successum malitiarum, excellentissimi viri, quem magis dolorem suum violari malebat.

Quanto ergo honore, & reverentia S. Petrus Apostolus excipiendus est, qui caput Ecclesiae in terris a Christo constitutus est?

Evangelium:

Venit Iesus in partes Caesareae Philippi, & interrogabat discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse filium hominis? Matt. 16.

Thema:

Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Ibid.

Hæretici noſtri temporis, cùm in aliis ferè dogmatibus non minùs inter ſe, quàm à nobis diſſentiant, in hoc tamen omnes conueniunt, vt totis viribus, ſummaque animi contentione Romani Pontificis ſedem oppugnent: & nulli fuerunt vnquam hoſtes Chriſti, atque Eccleſiæ, qui ſimul cũ hac ſede bellum non geſſerint. Quod longè ante præuidiſſe, & prædixiſſe videtur Iſaias: *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretioſum, in fundamento fundatum*. Et vt hæreticorum contentionem, & impetum ſignificet, vocat hunc ipſum lapidem, *lapidem offenſionis, & petram ſcandali*. Quæ poſteriora verba etſi ab Iſaia non eodem loco poſita ſint, quo priora, tamen Apoſtolus Paulus, & Apoſtolus Petrus ita hæc Prophetæ verba copularunt, vt nemini dubium eſſe poſſit, quin ad eundem finem, idemque propoſitum referantur: & quanquam hæc verba in Chriſtum præcipuè conuenire non ignoramus, eadem tamen non ineptè in Vicarium Chriſti quadrare cenſemus.

Iſa. 28. Iſa. 8. Rom. 9. 1. Pet. 2.

Quæ ſunt igitur fundamenta Sion? Explicat hoc Apoſtolus Ioãnes. Deſcribens enim huius eiuſdem ciuitatis partes omnes, atque ornamenta, inter cetera

tera sic ait: *Et murus ciuitatis habens fundamenta duodecim,& in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum agni.* Fundamenta ergo Sion Apostoli sunt: in his numeratur,& excellit singularis quidam lapis. *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem.* Quis iste lapis sit, nemo ignorat, qui Euangelium legit. Cùm enim ex Apostolis duodecim vnus diceretur Simon, Dominus ei nomen mutauit,& pro Simone Petrum dici voluit, petram inquam: siquidem lingua Syrorum, qua Dominus sine dubio vtebatur, nihil aliud Cephas, quàm petram significat. *Intuitus autem eum Iesus, dixit: Tu es Simon filius Iona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Et alibi: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus,* siue petra, sed nos Latini commodiùs dicimus Petrus, *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ecce vobis lapidem in fundamentis Sion. Sed qualem putatis lapidē? *Lapidem,* inquit, *probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum.*

Apoc. 21 · Isa. 28. · Ioan. 1. · Matt. 16. · Isa. 28.

Lapidem probatum: siquidem omni genere probationis tentata est hæc petra, omnes portæ inferorum in eam impetum fecerunt. Ac vt omittam persecutiones Iudæorum, & Ethnicorum, quæ huic sedi cum reliqua Ecclesia communes fuerunt, certè inprimis hæretici

permulti non ſemel, neque bis, ſed frequentiſſimè renouatis exercitibus cum hac ſede aperto Marte conflixerunt.

Deinde Græcorum æmulatio, ac ſuperbia non antea diſtitit cum hac ſede bellum gerere, quàm ipſi à Turcarum Imperatore oppreſſi religionem quoque cum dignitate amiſerunt.

Tum Imperatores potentiſsimi, & Chriſtiani, & quod maius eſt, ſub nomine religionis, & pietatis, hanc ipſam ſedem, vnde ad ipſos Imperij Romani ſceptra peruenerunt, deiicere, atque euertere ſunt conati. Nec enim ignoratis, quas tragœdias in Eccleſia Henricus IV. Henricus V. Otho IV. Fridericus II. aliique nonnulli aduerſis temporibus excitauerint.

Et quaſi hæc parua fuiſſent, addidit Satan Romanum populum contra Pontifices commouere. Extat adhuc S. Bernardi epiſtola grauiſsima ad Senatum, populumque Romanũ, qua ſeditionem eorum contra Eugenium Papam à Diabolo concitatam ſedare conatur. Eiuſmodi verò ſeditiones turbulentiſsimæ, & pernicioſiſsimæ, atque ad Romanum Pontificem perdendum aptiſsimæ aliquot non diebus, neque menſibus, ſed annis, imò & ſæculis durauerunt.

Huc

Huc accesserunt schismata grauissima,& plurima ipsorum inter se Romanorum Pontificum, quibus non potuisset vllo modo non cedere, & tandem labefactari,ac destrui Petri sedes, si non petra esset firmissima, ac probatissima, & ab illo in fundamentis Sion constituta, qui ait: *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Matt. 16.

Ac ne fortè putaremus ob vitam incorruptã, & mores integerrimos summorum Pontificũ tam diu stetisse hanc sedem, permisit ad extremum Deus, vt etiam quidam parum probi Pontifices aliquando hanc sedem tenerent, & regerent: quales sanè fuerunt Stephanus VI. Leo V. Christophorus I. Sergius III. Ioannes XII. aliique non pauci, si vera sunt, quæ de eorum vita, & moribus, & rebus gestis apud Historicos eorum temporum scripta legũtur. Itaque nihil est, quòd hæretici tãtùm laborent in quorũdam Pontificum vitiis conquirendis. Nos agnoscimus enim, & fatemur,ea fuisse non pauca: sed tantùm abest, vt iis gloria huius sedis obscuretur, vel minuatur, vt iisdem potiùs vehementer crescat, & amplificetur. Hinc enim intelligimus, non humano consilio, prudentia, viribus Romanum Pon-

edificatũ tamdiu consistere, sed quia hæc petra sit à Domino roborata, diuinitus fundata, Angelorũ custodia septa, singulari Dei prouidentia, & protectione munita est, ut aduersus eam portæ inferorum nullo modo preualere possint, siue illa portis persecutio Tyrannorum, siue rabies Hæreticorum siue schismaticorum furor, siue scelera & flagitia designentur.

Eph. 2. *Angularem* qui ut murum duos parietes continebat. Quod positum videtur ad demonstrandum discrimen inter Pontifices Christianorũ, & Iudæorũ. Ille enim lapis quidam erat, & fundamentum, sed non lapis angularis. Nec enim parietes duos, sed unum tantum sustinebat. At noster lapis angularis est utriusq; Iudæi & Gentes, quasi parietes duo connexi simul, atque unam Christianam Ecclesiam facientes, ab hoc uno angulari lapide continentur.

Ibid. *Perenniter.* Hoc uno verbo infinitus honorum thesaurus significatus est, qui à Petri sede in omnem Ecclesiam continuo fluxit, atq; vberrime deriuatur. Vnde ad Germanos, Gallos, Anglos, aliasq; remotissimas prouincias nulli fuere, qui Euangelium prædicarent, nisi ab hac sede à Romanis Episcopis de suis sedibus

pulsi,

pulsi, totoque orbe profugi, vt Athanasius quondam, & Petrus Alexandrini, Paulus, & Chrysostomus Constantinopolitani, auxilium, & refugium inuenerunt, nisi in hac sede? Vnde dogmatum explicationem, ritus Sacramentorum, indulgentiarum communicationẽ habemus, nisi ab hac sede? Vnde, vt cetera prætermittam, quæ nimis longum esset enumerare, consensio in doctrina, vinculum pacis, vnitas fidei, quæ est ipsa salus, & vita religionis, nisi ab hac sede? Alioqui enim cur hæretici nostri temporis, cùm satis multas, & amplas prouincias obtineant, Angliam, Scotiam, Daniam, Noruegiam, Sueciam, & Germaniæ, Poloniæ, Boëmiæ, Hungariæ non exiguam partem, nunquã adhuc vnum generale Concilium, in quo vel de vno articulo omnes cõuenirent, cogere potuerunt? Cur etiam Græci ab anno D. CCC. quo à sede Petri, Romanaque Ecclesia discesserũt, per illos totos fermè D. CCC. annos ne vnam quidem Synodum celebrarunt in argumentum mutuæ per ipsos consensionis, & pacis? Cùm nos è cõtrario ab eo tempore circiter decem Concilia generalia, eaque frequentissima habuerimus, quorum postremum est hoc ipso tempore, quo

Digitized by Google

Lutherani inter ſe acerrimè digladiantur, & de concordia planè deſperant, ſumma Patrum conſenſione celebratum. Quæ poteſt eſſe huius tantæ differentiæ ratio, niſi quòd illi eo duce, ac rectore carent, qui ſolus poteſt, ac debet fratres omnes in fide confirmare, & Eccleſiam vniuerſam in vnitate retinere?

Iſa 28. *In fundamento fundatum.* Quid eſt In fundamento fundatum, niſi fundamentum poſt fundamentum, fundamentum ſecundarium, non primarium? Siquidem primum, ac præcipuum Eccleſiæ fundamētum non ignoramus eſſe Chriſtum,
1. Cor 3. de quo Apoſtolus ait: *Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.*. At poſt Chriſtum fundamentum eſt Petrus, & niſi per Petrum, non peruenitur ad Chriſtum. Iactent licet Hæretici Chriſtum, eiuſque verbum, & doctrinam ſequi ſe glorientur, neceſſe tamen eſt, vt inquit magnus Leo *epiſt. ad Epiſcopos Viennenſis prouinciæ*, exortem miniſterij illum eſſe diuini, qui auſus fuerit à Petri ſoliditate recedere.
Iſa. 28. Eſt igitur Petri ſedes *lapis probatus, angularis, pretioſus, in fundamento fundatus*: & id quidem nobis.

At verò aduerſariis noſtris hæreticis nihil

nihil eſt aliud, quàm *lapis offenſionis, & petra ſcandali.* Cùm enim deberent ſe ſuper eam ædificare in templum ſanctum in Domino, illi contrà vt verè cæci, atque furentes in eam impingunt. Diſplicet enim humanæ ſapientiæ, diſplicet ſuperbiæ eorum, qui in oculis ſuis prudentes ſunt, vt vnus mortalis, quo nec eruditione, nec probitate, nec vlla alia ratione inferiores ſe iudicant, fundamentum dicatur Eccleſiæ, ſuper quod tantum, tam ingens, tam ſublime, tam immenſum ædificium collocetur. Propterea verò eis hoc diſplicet, quia non intelligũt, quàm ſit Deo non ſolùm facile, ſed etiam glorioſum *infirma eligere, vt confundat fortia.* Nec animaduertunt hanc eſſe Dei conſuetudinem, vt per fidem, & humilitatem, ad ſapientiam, & gloriam nos deducat. Sic nimirum conſtituit per ſtultitiam prædicationis crucifixi ſaluos facere credentes. Sic piſcatores elegit, vt conuerteret Imperatores. Sic rebus abiectis, ac vilibus, aqua, oleo, panis, viniq́ue ſpeciebus Sacramentorum virtutes, & infinitos donorum cæleſtium theſauros alligauit: vt dum fide, & humilitate rebus illis abiectis ſubiicimur, ad ſortem filiorum Dei, & ad ipſius diuinæ naturæ conſortium eueha-

Iſa. 8.

1. Cor. 1.

euehamur. Sed illi ad hæc omnia oculos claudunt, & solùm contra petram salutarem, contraque consilium Dei insanire, & debacchari non cessant, vt verè sit illis *lapis offensionis, & petra scandali.* Hanc enim sedem Donatistæ quondã cathedram pestilentiæ nominabant: huius sedis Pontificem Berengarius Pompificem, atque pulpificẽ vocitabat: hanc Waldenses purpuratam meretricem: hanc Ioannes Wiclef Satanæ synagogam: hanc Lutherani, Caluinistæ, Anabaptistæ, Antichristi solium esse contendũt. Et cùm à nobis in plurimis aliis rebus dissideant, tamen hinc solùm nobis nomen imponere voluerunt. Nec enim aliud, quàm Papistas nos vocant, quasi vel solùm, vel præcipuè in summo Pontifice tuendo errare nos arbitrentur. Neque putant se maiori contumelia aliquem afficere posse, quàm si eum nominent Papam. Quin etiam è contrario loca omnia cœnosa, ac sordida, & quidquid turpe in rerum natura reperitur, Papę vocabulo appellare cœperunt. Denique is est Caluini, atque Lutheri, eorumque similium in Pontificem animus, vt cùm de omnibus aliis rebus mordaciter, & petulanter, scribant, in Pontifice summo vexando, & probris,

probris, calumniis, conuiciis onerando, furiis agitari, & malo dæmone pleni eſſe, vel potiùs hominem exuiſſe, & dæmonem induiſſe videantur. Ceterùm quia ipſi, velint, nolint, lutei fragileſque ſunt, ſummus verò Pontificatus firmiſſima petra eſt, non ipſi, dum ad hanc ſedem offendunt, eam confringent, ſed ab ea potiùs ſine dubio cōterentur. *Qui ceciderit ſuper lapidem iſtum*, ait Dominus, *confringetur: ſuper quem verò ceciderit, conteret eum.* Matt.21. Vt enim ingens aliquis ſcopulus, qui in medio mari ſuper vndas, ac fluctus eminet, non deiicitur vnquam, nec mouetur, licet identidem vētorum flatus, mariſque fluctus magno impetu in eum incurrant, ſed eos potiùs omnes ſoluit, ac frangit: ſic Petri ſedes toties iam à Iudæis, ethnicis, hæreticis, ſeditioſis, ſchiſmaticis, incredibili furore pulſata, illis ferè omnibus vel conſumptis, vel ſubactis, vel proſtratis, ſupra mille & ſexcentos annos ſtat immota: & ſemper fruſtra circumlatrantibus hæreticis culmen auctoritatis obtinuit. Sicut *accedens Abimelech iuxta turrim, pugnabat fortiter: & appropinquans oſtio, ignem ſupponere nitebatur: & ecce vna mulier fragmen molæ deſuper iaciens, illiſit capiti Abimelech, & confregit cerebrum eius.* Iudic.9.

Morale.

Morale.

Matt. 16. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

SAnctus Petrus ter exaltatus fuit in
Psal. 88. terra. Primò per electionem. *Exaltaui electum de plebe mea.* Præ ceteris enim electus est à Christo in pastorem ouium. *Dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu scis, quia amo te.* Quod eum secundò, & tertiò in-
Ioan. vlt. terrogauit, & tunc dixit ei: *Pasce oues meas.* Ter hoc eum interrogauit, ad designandum, quòd S. Petrus cum successoribus suis populum sibi subiectum tripliciter debet pascere: verbo, exemplo, & ora-
1. Pet. 5. tione. *Pascite, qui in vobis est, gregem.* Nam
Ezec. 34. *hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum.* Et
Ibid. paulò antè: *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos: nonne greges à pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat, occidebatis: gregem autem meum non pascebatis.* Pastores itaque peruigilare
Heb. 13. debent, *quasi rationem pro animabus* ouium
Sap. 6. *reddituri: quoniam iudicium durissimum his, qui præsunt, fiet.*

Secundò fuit exaltatus per miraculo-
Act. 5. rum operationem. *Magis autem augebatur* creden-

credentium in Domino multitudo virorum, & mulierum, ita vt in plateas eiicerent infirmos, & ponerent in lectulis, ac grabatis, vt veniente Petro, saltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis. Iterum: *Inuenit autem ibi hominem quemdam, nomine Æneam, ab annis octo iacentem in grabato, qui erat paralyticus. Et ait illi Petrus: Ænea, sanat te Dominus Iesus Christus: surge, & sterne tibi. Et continuò surrexit.* Item: *In Ioppe autem fuit quadam discipula, nomine Tabitha. Factum est autem in diebus illis, vt infirmata moreretur. Eiectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua orauit: & conuersus ad corpus, dixit: Tabitha, surge. At illa aperuit oculos suos, & viso Petro resedit. Et quidam vir, qui erat claudus ex vtero matris suæ, baiulabatur.* Ad quem Petrus: *Quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula. Et exiliens stetit, & ambulabat.* Act. 9. Ibid. Act. 5.

Tertiò exaltatus fuit per passionem: nam à terra eleuatus in cruce suspensus fuit pedibus sursum, & capite in terram dimisso. *Cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quò tu non vis. Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum.* Ioan. vlt.

Porro D. Augustinus *serm. 1. de cathedra S. Petri* ait: Institutio solennitatis hodiernæ à senioribus nostris Cathedræ nomen

nomen accepit, ideo quòd primus Apostolorum Petrus hodie Episcopatus Cathedram suscepisse refertur. Sicut Pha-
Gen. 41. rao dixit ad Ioseph: *Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: uno tantum regni solio te praecedam.* Sic
Psalm. 104. Christus S. Petrum *constituit dominum domus suae, & principem omnis possessionis suae*, scilicet Ecclesiae, ita ut vicem Christi in terris habeat. Ipsum ergo honoremus in hoc mundo, ut eum nobis propitium sentiamus in caelo. Amen.

IN FESTO S. MATTHIAE.

Exordium:

Iosue 4. *Cum arca Domini transiret Iordanem, dixit Dominus ad Iosue: Elige duodecim viros, singulos per singulas tribus, & praecipe eis, ut tollant de medio Iordanis alveo, ubi steterunt pedes Sacerdotum, duodecim durissimos lapides, quos ponetis in loco castrorum, ubi fixeritis hac nocte tentoria.*

Moraliter:

Duodecim illi lapides significant duode-

duodecim Apostolos. Quamdiu in hoc mundo agimus, quasi Iordanem fluentium aquarum transimus: & felices, qui sicco transeunt pede, nec madefiunt præterlabente vanitate. Vbi autem tentoria figuntur Catholicæ Ecclesiæ, ibi lapides illi sunt ponendi: quia fundamenta Ecclesiæ sancti collocātur Apostoli. Vnde Paulus: *Iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorū, & domestici Dei, superædificati supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide, Christo Iesu.* Ephes. 2.

Euangelium:

Confiteor tibi Pater, Domine cæli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus. Matt. 11.

Thema:

Idem.

Occasione horum verborū duo ponemus dogmata de ordinatione, & vocatione Ministrorum Ecclesiæ.

Primum est: Vocatio, seu missio Ministrorum non ad populum pertinet; sed ad Episcopos, & potissimùm summum Pontificem.

Probatur primò ex verbo Dei: legimus enim Petro collatam potestatem: *Tibi dabo claues.* Et: *Pasce oues meas.* Et rursus Matt. 16. Ioan. 21.
Apostolis: *Ego mitto vos: quorum remiseritis* Ioan. 20.

 peccata,

peccata, remittuntur eis. Multitudini autem fidelium Christus auctor omnis Ecclesiasticæ iurisdictionis nihil vnquam tribuisse legitur.

Probatur secũdò ex Apostolica consuetudine: nam Paulus & Barnabas Episcopi, & Apostoli constituebant per ciuitates Presbyteros. Et: *Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt constituas per ciuitates Presbyteros, sicut ego constitui tibi.* Et ipsi etiam Centuriatores *cent. 1. l. 2. c. 2.* fatentur, primos Episcopos post Apostolos ab Apostolis constitutos.

Act 14. Tit. 1.

Probatur tertiò ex eo, quòd electio Episcoporum populo nequaquam conuenit: ex quo sequitur maiori ratione, vocationem eidem populo non conuenire.

Dogma secundum: Electio Ministrorum Ecclesiæ non fit à solo Deo. Asseritur illud aduersus errores Ioannis Wiclef, & Ioannis Husi, qui damnati sunt in Concilio Constantiensi.

Refellitur iste error, & sententia nostra probatur primò exẽplo ipsius Dei, qui non semper eligit prædestinatos ad gubernacula politica, vel Ecclesiastica. Nam Saulem Deus elegit, qui tamen postea reprobus fuit. Et Christus Iudam elegit, quem constat minimè fuisse prædestina-

1. Reg. 10.

destinatum. *Nonne ego*, inquit, *vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est?* Ioan.6.

Probatur secundò exemplis Apostolorum, qui elegerunt Diaconos, & inter eos Nicolaum, qui postea fuit Hæresiarcha. Ex quo apparet, eos non laborasse in electione, essentne prædestinati, an reprobi, quos eligebant, cùm satis intelligerent, id sciri non posse. Act.6.

Probatur tertiò ex Patribus. Origenes *hom.4. in l. Iudic.* docet ac demonstrat, sæpe diuinam prouidentiam ad punienda peccata populorum efficere, vt impij sedeant ad gubernacula, tum regnorum, tum etiam Ecclesiarum. Chrysostomus autem *homil. postrema in epistola ad Hebræos*, Augustinus *l.2.c.4. contra epist. Parmeniani*, & Bernardus *serm.66. in Cant.* docent, homines malos veros esse posse Episcopos, si legitimè eligãtur. Id quod etiam confirmat S. Bernardus ex testimonio illo de Caipha: *Cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit.* Fuit enim Caiphas, etsi iniquus, & reprobus, verissimus Pontifex, cùm eius dignitatis gratiâ Deus dederit ei, vt prophetaret. Ioan.11.

Probatur quartò ratione. Si solus Deus eligeret Pastores Ecclesiæ, aut id faceret sola sua voluntate, sine vllo signo externo, & visibili: aut certè visibili

Digitized by Google

aliquo signo. Si primū affirmetur, quid nobis eiusmodi electio prodesset? Nunquam enim sciremus, quis Ecclesiæ esset Pastor. Si secundum, aut signum illud prodigiosum esset, ac præter ordinem naturæ; vt columbæ descensus, aut cælestis aliquis fulgor: aut certè loco signi accipiendæ essent sortes; quomodo Apostoli cupientes S. Matthiam eligi à solo Deo, sortibus vsi sunt.

At prodigia illa columbæ, & luminis rarissima esse solent, certè hoc tempore minimè videmus.

Sortibus autē vti, cùm humano consilio res potest transigi, nullo modo licet. Nam sortes putantur gubernari, aut à casu, aut à cælo, aut à diabolo, aut à Deo. Si à casu, stultum est homines ratione præditos velle sortibus eligere Pastores suos, & fortunæ temeritati committere, quod poterant cōsilij maturitate definire. Si à cælo, superstitionis vitium est, vti sortibus in eiusmodi electionibus. Neque enim cælum vim habet moderandi liberas actiones, quales sunt iacere sortes, vel educere.

Si à diabolo, impium, & sacrilegum est, sacrarum rerum auctorē diabolum facere. Si denique à Deo, peccatum est tentationis Dei, expetere, atque expe-

ctare

ctare à Deo, vt ipse sortes dirigat, quando neque ipse facturum id se promisit, neque deest humanum consilium.

Quocirca Ecclesia rationem eligendi Prelatos sortibus meritò improbauit *c. Ecclesia, Extra. de sortilegiis*: quam rationem reprehendunt etiam Hieronymus *in c. 1. Ionæ*, & Beda *in c. 1. Act.*

At, inquies, Salomon asserit sortes gubernari à Deo: *Sortes mittuntur in sinu, à Domino autem temperantur*. Respondetur Salomonem dicere voluisse, omnia gubernari à diuina prouidētia, etiamsi nobis planè casu quodam fieri videantur; vt id, quod sorte alicui contingit. Porrò diuina prouidētia in sortibus cernitur, non quod semper, qui sorte eligitur, melior sit, sed quòd siue melior, siue peior sit, non sine Dei prouidentia eligatur: qualis prouidentia in omnibus aliis euentibus, quamuis maximè fortuitis, cernitur. Proinde non tollit ista communis prouidentia casum, neque facit, vt melius sit, Præpositos Ecclesiæ sorte eligere, quàm suffragiis. Prou. 26.

Neque his repugnat exemplū Matthiæ, qui sorte electus fuit. Nam inprimis non fuerunt fortassis illæ sortes propriæ dictæ, sed cæleste aliquod lumen super Matthiam à Deo effusum; vt Act. 1.

indicare videtur Dionysius Areopagita *de Ecclesiastica Hierarchia c.5.p.3.* Aut sortes illæ certè veræ, & propriæ fuerunt, sed priuilegium, atque inspiratio Dei peculiaris causa fuit, cur iis Apostoli vterentur. Quia enim Apostoli ceteri à Christo electi fuerant, ne videretur S. Matthias ceteris inferior, voluit fortaßis idem Christus per se illum eligere. Itaque inspirauit Apostolis, vt vterentur sorte. Sed priuilegium, vt Hieronymus notat *in c.1. Ionæ*, non debet trahi in exemplum ordinarium electionum.

Aut postremò sine vllo priuilegio sortibus Apostoli in ea electione vti voluerunt, quòd Matthias, & Barnabas adeò essent pares sanctitate, & doctrina, vt humano iudicio discerni non posset, vter esset præponendus. In eiusmodi enim casibus licitus est sortiũ vsus, tum quia non tentatur Deus, cùm ab eo exquiritur, quod humano iudicio non potest declarari: tum quia nullum est periculum, quicunque sorte exeat, etiamsi planè exiret casu, quando pares sunt, de quibus præficiendis agitur, & tollitur materia querimoniarum, nullique fit iniuria.

Quapropter sortibus vtendum esse in eiusmodi casibus, docet S. Augusti-

nus *l.1.doctrinæ Christianæ,c.28.& in ep.180. ad Honoratum:* Quomodo apud Iudæos ex multis sacerdotibus sorte eligebatur vnus, qui certo tempore thus Domino adoleret. Vnde illud: *Sorte exiit, vt Zacharias incensum poneret,*&c. Atque ad hunc ritum respexisse Apostolos in electione Matthiæ, testantur Ambrosius *in c.1.Lucæ,*& Beda *in c.1.Actorum.* Luc.1.

Morale.

Abscondisti hæc à sapientibus,& prudentibus. Matt.11.

SCiendum est,quòd aliter eligit mundus,aliter Christus. Mundus eligit ad honores nobiles, & potentes: eligit iudices, & sapientes: eligit diuites, & abundantes.

Christus autẽ primò elegit infirmos, & ignobiles. Vnde scribitur: *Ibi fuerunt gigantes nominati,illi qui ab initio fuerunt,statura magna, scientes bellum. Non hos elegit Dominus.* Quare,quæso? Vt ostenderet se humana non indigere potentia:tunc enim tota laus in Deum refertur,cùm potentissimus ab infirmissimo expugnatur. Nemo miratur,quando felis vincit murem, canis leporem, lupus ouem, leo bouem: sed magna esset admiratio, si mus Baruch 3

indicare videtur Dionysius Areopagita *de Ecclesiastica Hierarchia c.5.p.3.* Aut sortes illæ certè veræ, & propriæ fuerunt, sed priuilegium, atque inspiratio Dei peculiaris causa fuit, cur iis Apostoli vterentur. Quia enim Apostoli ceteri à Christo electi fuerant, ne videretur S. Matthias ceteris inferior, voluit fortassis idem Christus per se illum eligere. Itaque inspirauit Apostolis, vt vterentur sorte. Sed priuilegium, vt Hieronymus notat *in c.1.Ionæ*, non debet trahi in exemplum ordinarium electionum.

Aut postremò sine vllo priuilegio sortibus Apostoli in ea electione vti voluerunt, quòd Matthias, & Barnabas adeò essent pares sanctitate, & doctrina, vt humano iudicio discerni non posset, vter esset præponendus. In eiusmodi enim casibus licitus est sortiũ vsus, tum quia non tentatur Deus, cùm ab eo exquiritur, quod humano iudicio non potest declarari: tum quia nullum est periculum, quicunque sorte exeat, etiamsi planè exiret casu, quando pares sunt, de quibus præficiendis agitur, & tollitur materia querimoniarum, nulliqúe fit iniuria.

Quapropter sortibus vtendum esse in eiusmodi casibus, docet S. Augusti-

nus

nus *l.1. doctrinæ Christianæ, c.28. & in ep.180. ad Honoratum:* Quomodo apud Iudæos ex multis ſacerdotibus ſorte eligebatur vnus, qui certo tempore thus Domino adoleret, Vnde illud: *Sorte exiit, vt Zacharias incenſum poneret,* &c. Atque ad hunc ritum reſpexiſſe Apoſtolos in electione Matthiæ, teſtantur Ambroſius *in c.1. Lucæ,* & Beda *in c.1. Actorum.* Luc.1.

Morale.

Abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus. Matt.11.

SCiendum eſt, quòd aliter eligit mundus, aliter Chriſtus. Mundus eligit ad honores nobiles, & potentes: eligit iudices, & ſapientes: eligit diuites, & abundantes.

Chriſtus autẽ primò elegit infirmos, & ignobiles. Vnde ſcribitur: *Ibi fuerunt gigantes nominati, illi qui ab initio fuerunt, ſtatura magna, ſcientes bellum. Non hos elegit Dominus.* Quare, quæſo? Vt oſtenderet ſe humana non indigere potentia: tunc enim tota laus in Deum refertur, cùm potentiſsimus ab infirmiſsimo expugnatur. Nemo miratur, quando felis vincit murem, canis leporem, lupus ouem, leo bouem: ſed magna eſſet admiratio, ſi mus Baruch 3

felem inuaderet, lepus canem occideret, ouis lupum fugaret, bos sibi leonem
1.Cor.1. subiiceret. Ita *infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non sunt, vt ea, quæ sunt, destrueret: vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.* Quis vilior Petro? & tamen per ipsum Dominus totum Romanum Imperium subiugauit. Videmus etiam, quòd aquila timeat hirundinem, elephas murem, leo gallum albas pennas habentem, lupus lapidem. Ita sæpe
Iud.16. potentes à debilibus superantur. Samsonis sufficiat exemplum, qui à femina ligatus fuit, à Philistæis excæcatus. Cum ergo in omnibus rebus magna, & fortia timeant parua, & debilia: cur diuinam mirabimur prouidentiam, quæ trepidare facit fortia, & debilia facit esse secura?

Secundò non elegit Christus Philosophos, & sapientes, sed stultos, & sim-
1.Cor.1. plices. *Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, vt confundat sapientes.* Quis Ioãne simplicior? Ipse rusticus, piscator, indoctus: & tamen Christi magnalia intonuit, dicens:
Ioan.1. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* Hoc doctus Plato nesciuit: hoc Demosthenes eloquens ignorauit. Augustinus tamen dicit *l.*10.
de

de ciuitat.c.29. se legisse in libris Platonis totum Ioannis Euangelium à principio vsque ad eum locum: *Verbum caro factum est:* quia incarnationis beneficium non agnouit. Et dicit S. Augustinus se audiuisse à S. Simpliciano sene, quod quidam Platonicus Euangelium S. Ioannis legens ad circumstantes dixerit: Hoc aureis deberet litteris conscribi, & in loco valdè alto suspendi, vt ab omnibus possit legi. Refert etiam Cassiodorus *l.2. historiæ tripartitæ c.4.* quòd dum Constantinus fidem Christi acceperat, quidã Philosophus eum arguebat, quòd antiquam inconsultè fidem reliquisset. Et cùm disputare vellet cum Alexãdro Episcopo Constantinop. viro simplicissimo, sed sancto, & in Deo confidente, is coram omnibus dixit Philosopho: *In nomine Christi tibi præcipio, vt non lo uaris.* Quo audito loqui non potuit obligato sibi ore. S. etiam Catharina solum Christũ confessa electos philosophos obmutescere fecit, & eos ad Christi fidem conuertit.

Tertiò Dominus elegit pauperes. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se?* Quare hoc? Ne si per diuites mundum vicisset, non Deo victoria, sed diuitiis attributa fuisset. Nam & Romani Iac. 2.

rusticos ab aratro subtrahebant, quos ad Imperium promouebāt, & per eos gentes subiugabant. Maximum hoc igitur miraculorum est, quòd Deus per paucitatem Apostolorū mundi vicerit multitudinem; per eorum infirmitatē mundi potentiam; per eorum simplicitatem mundi sapientiam; per eorum paupertatem mundi diuitias & sæculi gloriam.

Psal. 64. Vnde Psalmista: *Beatus, quem elegisti, & assumpsisti: inhabitabit in atriis tuis.* Quem elegisti secundùm veritatem, non secundùm opinionem: secundùm æternitatem, non secundùm vocationem temporalē. Nam & de Iuda dicit Dominus:

Ioan. 6. *Nonne ego vos duodecim elegi: & ex vobis vnus diabolus est? Dicebat autem Iudam Simonis Iscariotem: hic enim erat traditurus eum, cùm esset vnus ex duodecim.* Atria Domini sunt habi-

Psal. 83. tacula cælestia. *Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum: concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.* Ad hæc atria hodie ingressus est Apostolus, qui loco Iudæ in Apostolum prius electus erat. Nam

Act. 1. *Apostoli statuerunt duos, Ioseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus, & Matthiam. Et dederunt sortes eis, & cecidit sors super Matthiam, & annumeratus est cum vndecim Apostolis.*

IN ANNVNCIATIONE B. MARIÆ.

Exordium:

IN arca Noë, per quam ſalus mundo remanſit, erat feneſtra vitrea, per quam lux intrabat habitantibus in arca; & tamen aqua diluuij per feneſtram illam intrare non valuit. Per arcam nota B. Virginem, in qua Noë, ſcilicet vera requies, id eſt, Dei Filius requieuit. *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* Aures namque eius adeò erant diaphanæ, vt per ipſas intraret diuina lux Angelo nunciante, quam omnes ſaluandi perciperent. *Ego feci*, inquit, *in cælis, vt oriretur lumen indeficiens.* Sed etiam tantæ ſoliditatis fuit B. Virgo, vt nec aquæ alicuius peccati per ipſam, vel ad ipſam poſſent accedere. Qui igitur ad æternam venire volunt patriam, hanc lucem indeſinenter aſpiciant, vt valeant peruenire.

Gen. 6.

Eccli. 24.

Ibid.

Euangelium:

Miſſus eſt Gabriel Angelus à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem deſpon-

Luc. 1.

desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, & nomen Virginis, Maria.

Thema:

Idem.

Quatuor hîc breuiter cum D. Thoma *p.3.q.30.* quæstiones tractabimus, quibus mysteria annuntiationis Angelicæ aperiemus. Prima est: Cur annunciatum fuerit Virgini, quod in ea generandum erat? Nunquid etiam sine nuncio concipere poterat?

Quatuor huius rei causas inuenio.

Primò, vt seruaretur congruus ordo coniunctionis filij Dei ad Virginem, vt scilicet priùs mens eius de ipso instrueretur, quàm carne eum conciperet. Vnde S. Augustinus *l. de virginitate, c.3.* dicit: *Beatior Maria percipiendo fidem Christi, quàm concipiendo carnem Christi.* Et postea subdit: *Materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi fælicius Christum corde, quàm carne gestasset.* Beatior sanè fuit Euangelicus ille Paralyticus, quando audiuit à Domino: *Remittuntur tibi peccata tua*: quàm quando illi dixit: *Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.*

Matth.9.

Secundò, vt posset esse certior testis huius Sacramenti, quando super hoc diuinitùs erat instructa. Ita vxor Manue, postquam

Digitized by Google

postquam ab Angelo didicerat fœcunditatem, quasi certa venit ad maritum, dicens: *Vir Dei venit ad me, habens vultum Angelicum, terribilis nimis. Quem cùm interrogassem, quis esset, & vnde venisset, & quo nomine vocaretur, noluit mihi dicere; sed hoc respondit: Ecce concipies, & paries filium: caue ne vinum bibas, nec siceram, & ne aliquo vescaris immundo: erit enim puer Nazaræus Dei ab infantia sua, ex vtero matris suæ vsque ad diem mortis suæ.* Iud. 13.

Tertiò, vt voluntaria sui obsequij munera Deo offerret: ad quod se promptam obtulit dicens: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Ita Abigail, cùm peteretur à Dauid in vxorem, respondit: *Ecce famula tua sit in ancillam, vt lauet pedes seruorum Domini mei.* 1. Reg. 25

Quartò, vt ostenderetur esse quoddam spirituale matrimonium inter Filium Dei, & humanam naturam: & ideo per annunciationem expectabatur consensus Virginis, loco totius humanæ naturæ. Sicut etiam, antequam Rebecca daretur vxor Isaac, dixerunt: *Vocemus puellam, & quæramus ipsius voluntatem. Cumq; vocati essent, sciscitati sunt: Vis ire cum homine isto? Quæ ait: Vadam.* Gen. 24.

Secunda quæstio est: Cur annunciatio B. Virgini per Angelum fieri debuerit?

Conue-

Conueniens fuit annuntiari matri Dei diuinæ incarnationis mysterium per Angelum, propter tria.

Primò, vt in hoc etiam seruaretur diuina ordinatio, secundùm quam mediantibus Angelis diuina ad homines perueniunt. Vnde Dionysius *c.4. Cælestis hierarchiæ* dicit, quòd diuinum Iesu benignitatis mysterium Angeli primò edocti sunt, postea per ipsos ad nos cognitionis gratia transiuit. Sic ergo diuinissimus Gabriel Zachariam quidem docuit, Prophetam Ioannem ex ipso na-
Luc. 1. scitturum, dicens: *Vxor tua Elisabeth pariet tibi filium.* Mariam autem, quomodo in ipsa fieret thearchicum ineffabilis Dei
Luc. 2. formationis mysterium. *Ecce concipies & paries filium.*

Secundò, hoc fuit conueniens reparationi humanæ, quæ futura erat per Christum. Vnde Beda dicit, *glossa ordinar. in c.1. Lucæ: Aptum humanæ restaurationis principium, vt Angelus à Deo mitteretur ad Virginem partu consecrandam diuino: quia prima perditionis humanæ fuit causa, cùm serpens ad mulierem mittebatur spiritu superbiæ decipiendam.* Tunc
Gen. 3. serpens dicebat: *Scit enim Deus, quòd in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis, sicut Dij, scientes bonum & malum.*

Tertiò, hoc congruebat virginitati matris

matris Dei. Vnde Hieronymus dicit *in serm. Assumpt. Bene Angelus ad Virginem mittitur, quia semper est Angelis cognata virginitas. Profectò in carne præter carnem viuere, non terrena vita est, sed cælestis.* Sicut Abrahã quando vxorem filio suo eligi voluit, non puerum aliquem, aut iuuenem misit, sed *seruum seniorem domus suæ, qui præerat omnibus, quæ habebat:* sic & Dominus Archangelum ad eligendam matrem filio suo. Gen. 24.

Tertia quæstio est: Vtrùm Angelus annuncians debuerit B. Virgini in corporali specie apparere?

Dicendum, quòd Angelus annuncians apparuit matri Dei corporea visione.

Et hoc conueniens fuit. Primò quidem, quantum ad id, quod annunciabatur. Venerat enim Angelus annunciare incarnationẽ inuisibilis Dei, per quam visibilis fieret. Vnde etiam conueniens fuit, vt ad huius rei declarationem inuisibilis creatura formam assumeret, in qua visibiliter appareret.

Sicut, cùm capta esset arca Domini à Philistæis, *currens vir de Beniamin ex acie, venit in Silo in die illa, scissâ veste, & conspersus puluere caput.* 1. Reg 4. Et, cùm occisus esset Saul, *apparuit homo veniens de castris Saul, veste conscissâ, & puluere conspersus caput.* 2. Reg. 1. Tristes ergo veniebant,

niebant, qui tristia nunciabant. Ita & Angelus specie apparuit corporea, vt incarnationis Dominicæ annunciaret mysteria.

Secundò, fuit congruum dignitati matris Dei, quæ non solùm in mente, sed in corporeo ventre erat Dei filium receptura, & ideo nō solùm mens eius, sed etiam sensus corporei erant visione Angelica refouendi. Vnde & Magi, antequam inuenirent Regem Iudæorum,
Matth. 2. priùs stellam viderunt, & dixerunt: *Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Et Zachęus, antequam Iesum in domum suam reciperet, antequam filius
Luc. 19. Abrahæ fieret, priùs *quærebat videre Iesum, quis esset.*

Tertiò, cōgruit certitudini eius, quod annuntiatur. Ea enim, quæ oculis subiecta sunt, certiùs apprehēdimus, quàm ea, quæ imaginamur. Vnde Chrysostomus, *homilia 4. in Matth.* dicit, quòd Angelus non in somnis, imò visibiliter Virgini astitit; nam, quia magnam valdè relationem accipiebat ab Angelo, egebat ante tantæ rei euentus visione solenni. Sanè, nisi Angeli apparuissent Saræ corporali specie, forsitan non credidisset
Gen. 18. dicentibus Abrahæ: *Reuertens veniam ad te tempore isto, vitâ comite, & habebit filium Sara,*

vxor tua. Nam *audito eo Sara risit post ostium tabernaculi.* Putásne, si non vidisset Angelos, quòd credidisset? Nam dicebat intra se: *Postquam consenui, & Dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo?* Vnde & Zacharias, licet Angelum viderit *stantem à dextris altaris incensi,* non tamē filium promittēti credidit, sed dixit: *Vnde hoc sciam? Ego enim sum senex, & vxor mea processit in diebus suis.* Et ideo à Domino punitus fuit. Luc. 1.

Quarta quæstio est: Quo ordine fuerit Annunciatio per Angelum perfecta?

Tria Angelus circa Virginem intendebat. Primò quidem, reddere mentem eius attentam ad tantæ rei considerationem: quod fecit salutando eam quadam noua, & insolita salutatione. Ita *cùm vidisset Abigail Dauid,* captare priùs voluit beneuolentiam, *festinauit, & descendit de asino, & procidit coram Dauid super faciem suam, & adorauit super terram, & cecidit ad pedes eius, & dixit: Loquatur, obsecro, ancilla tua in auribus tuis, & audi verba famulæ tuæ:* & tum demum iratū placauit. Et, cùm obsessa esset ciuitas Abela à Ioab, *exclamauit mulier sapiens de ciuitate: Audite, audite, dicite Ioab: Appropinqua huc, & loquar tecum. Qui, cùm accessisset ad eam, ait illi: Tu es Ioab? Et ille respondit: Ego. Ad quem sic locuta est: Audi sermones ancillæ tuæ:* & postea rationibus suis ciui- 1. Reg. 25. 2. Reg. 20.

atatem ab obsidione liberauit. Ita & Angelus salutando Virginem, eam studuit attentam reddere, dicens: *Aue*. Deinde, eam ad conceptum talem idoneam iudicauit illis verbis: *Gratia plena*. Tum conceptum expressit, dicens: *Dominus tecum*. Denique, honorem consequentem, quando ait: *Benedicta tu in mulieribus*.

Luc. 1.

Secundò, intendebat eam instruere de mysterio Incarnationis, quod in ea erat implendum. Quod quidem fecit in prænunciando conceptum, & partum, dicens: *Ecce concipies in vtero*, &c. & ostendendo dignitatem prolis cõceptæ, cùm dixit: *Hic erit magnus*, &c. & etiam demonstrando modum conceptionis, cùm dixit: *Spiritus sanctus superueniet in te*.

Tertiò, intendebat animum eius ad consensum inducere: quod fecit exemplo Elisabeth: *Et ecce Elisabeth cognata tua*, &c. & ratione ex diuina omnipotentia sumpta: *quia non erit impossibile apud Deum omne verbum*.

Itaque amemus Virginem, & eam colamus, quia & eos, à quibus honoratur, honorat. Vis exemplum? Religiosus quidam nomine Ioscio, B. Virginem singulari deuotione venerabatur, adeò vt in honorem nominis MARIA ad singulas litteras quotidie Psalmum legeret.

Digitized by Google

geret. Pro prima legebat, *Magnificat*: pro ſecunda, *Ad Dominum, cùm tribularer*: pro tertia, *Retribue ſeruo tuo*: pro quarta, *In conuertendo Dominus captiuitatem*: pro quinta, *Ad te leuaui oculos meos*: addens ad ſingulos Pſalmos verſiculum, *Poſt partum virgo inuiolata permanſiſti*, &c. & collectam, *Concede nos famulos tuos*, &c. Anno verò Domini M.C.LXIII. in nocte S. Andreæ Apoſtoli, cùm præter morem à choro abeſſet, & cella eius à Superiore viſitaretur, mortuus in lecto inuentus eſt: ſed miræ pulchritudinis roſæ ex ore eius, & vtroque oculo & aure excreuiſſe videbãtur. In roſa oris ſcriptum erat M. cum primo verſu *Magnificat*: in roſa oculi dexteri ſcriptum erat A. cum primo verſu ſecundi Pſalmi: in roſa oculi ſiniſtri ſcriptum erat R. cum primo verſu tertij Pſalmi: in roſa dexteræ auris ſcriptum erat I. cum primo verſu quarti Pſalmi: in roſa ſiniſtræ auris ſcriptum erat A. cum primo verſu quinti Pſalmi. Quo viſo miraculo omnes obſtupuerunt, & ſummas Deo ac matri eius glorioſæ gratias retulerunt. Contigit hoc in Monaſterio S. Bertini oppidi S. Audomari in Artheſia, tempore Leonis Abbatis dicti Monaſterij, & Theodorici Flandriæ Comitis.

IN RESVRRECTIONE DOMINI.

Exordium:

Gen. 39. &c. IOseph, post captiuitatem, & compedes, post patris ploratum videntis tunicam eius cruentam, factus est dominus, & dispensator totius domus Regis Pharaonis: ad quem fratres accedentes, vt cibum emerent, non cognouerunt eum; ipse verò cognoscebat illos.

Moraliter:

Ioseph, id est, augmentum, Christum
Psal. 104. significat, de quo dicitur: *Auxit populum suum vehementer*. Hic ergo post venditionem à discipulo, post lacerationem, & cruentationem suæ carnis, resurgens à mortuis, iam ampliùs non moriturus accepit potestatem à Patre in cælo, & in terra, & factus est dispensator tam diuinæ gloriæ in futuro, quàm gratiæ in præsenti.

Euangelium:

Mar. 16. *Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum.*

Thema:

Thema:

Surrexit, non est hic. Ibid.

Quatuor hic quęstiones cum D. Thoma *p.3.q.54.* tractandæ sunt: prima de Resurrectione Domini quæstio est: An post resurrectionem suam Christus habuerit verum corpus?

Respondetur, quòd, sicut Damascenus dicit *l.4.c.28.* illud resurgere dicitur, quod cecidit. Corpus autem Christi per mortem cecidit, in quantũ scilicet fuit ab eo anima separata, quæ erat eius formalis perfectio. Vnde oportuit ad hoc, quòd esset Christi vera resurrectio, vt idem corpus Christi iteratò eidem animæ vniretur. Et quia veritas naturę corporis est ex forma, consequens est, quod corpus Christi post resurrectionem, & verum corpus fuerit, & eiusdem naturę, cuius fuerat prius. Si autem eius corpus fuisset phantasticum, nõ fuisset vera resurrectio, sed apparens. Vnde, cùm discipuli *conturbati & conterriti existimabant se spiritum videre*; dixit Dominus: *Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Luc. 24.

Videtur tamen, quòd Christus post resurrectionem non habuerit verum corpus. Nam verum corpus non potest

Sed respondeo, quòd Christus resurrexerit ad immortalem gloriæ vitam. Hæc est autem dispositio corporis gloriosi, vt sit spirituale, id est, subiectũ spiritui. Nam *seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.* 1. Cor. 15

Ad hoc autem, quòd sit omninò corpus subiectum spiritui, requiritur, quòd omnis actio corporis subdatur spiritus volũtati. Quod autem aliquid videatur, fit per actionem visibilis in visum, vt patet ex Philosopho *l. 2. de anima, tex. 74. & 75.* Et ideo, quicunque habet corpus glorificatum, in potestate sua habet, videri quando vult; & quando non vult, non videri. Hoc tamen habuit Christus non solùm ex conditione corporis gloriosi, sed etiam ex virtute diuinitatis, per quam fieri potest, vt etiam corpora non gloriosa miraculosè nõ videantur. Vnde, cùm Iudæi præcipitare vellẽt Iesum de monte, *ipse transiens per medium illorũ ibat.* Luc. 4. Et, cùm tollerent lapides, vt iacerent in eum, *abscondit se, & exiuit de templo.* Ioan 8. Dicitur ergo, quòd Christus ab oculis discipulorum euanuit, non quia corrumperetur, aut resolueretur in aliqua inuisibilia, sed quia sua voluntate desiit ab iis videri, vel eo præsente, vel etiam eo abscedente velociter per dotem agilitatis.

Secunda quæſtio eſt: An corpus Chriſti reſurrexit integrum?

Reſpondeo, quòd corpus Chriſti in reſurrectione eiuſdẽ fuerit naturæ, ſed alterius gloriæ. Vnde quidquid ad naturam corporis humani pertinet, totum fuit in corpore Chriſti reſurgentis. Manifeſtum eſt autem, quòd ad naturam corporis humani pertinent carnes, oſſa, & ſanguis, & alia huiuſmodi: & ideo iſta omnia in corpore Chriſti reſurgentis fuerunt, & etiam integraliter abſque omni diminutione; alioqui non fuiſſet perfecta reſurrectio, ſi non fuiſſet redintegratum, quidquid per mor-

Gen. 31. tem ceciderat. Ita Iacob *tulit omnem ſubſtantiam ſuam, & greges, & quidquid in Meſopotamia acquiſierat, pergens ad Iſaac patrem ſuum*

Ioſu. 10. *in terram Chanaan.* Et, cùm deuiciſſent filij Iſrael Gabaonitas, *reuerſus eſt omnis exercitus ad Ioſue in Maceda, vbi tunc erant caſtra, ſani, & integro numero.* Ita Dominus Ieſus, poſtquam in morte ſua diabolum ſuperauit, ſano, & integro corpore reſurrexit. Nos etiam fortiter pugnemus, vt fæliciter mori valeamus, & integri re-

Matt. 10. ſurgere, quia nobis dictum eſt: *Veſtri ca-*

Luc. 21. *pilli capitis omnes numerati ſunt.* Et alibi: *Eritis odio omnibus propter nomen meum, & capillus de capite veſtro non peribit.*

Morale.

Morale.

Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata. Mar. 16.

QVid Maria Magdalena significat, nisi rationem; Maria Iacobi, nisi rationalem appetitum; & Salome, nisi sensitiuum? Istæ sunt mulieres, quæ per ciuitates & castella sequebantur Dominum, & *ministrabant ei de facultatibus suis*. Se- Luc. 8.
quatur etiam anima Christiana Dominum, siue per castra solitudinis, siue per ciuitatem multitudinis, & tribus suis potentiis illi ministret. Maria autem Magdalene primo loco ponitur, quia ratio imperare debet appetitui: facilè enim sensus à via recta aberrat, & voluntas deuiat, nisi ratio illa dirigat.

Emerunt aromata. Quid est aromata Mar. 16.
emere, nisi labore magno & industria, bona sibi opera comparare? Pecunia, quæ pro re empta datur, laborem significat, quo opera bona acquiruntur? Multi quidem vngere Dominum cupiunt, sed emere aromata nolunt. Vellent quidem gratum illi offerre obsequium, sed vt gratum sit, laborare refugiunt. Quàm durum videtur quibusdam, aliquali car-

apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei, qui *in Sole posuit tabernaculum suum*. Multi sanè olim vngere Dominem voluissent, si sol exortus fuisset. Quomodo, putas, vnxisset Dominum mulier illa Sareptana, quæ Eliæ subcinericium afferebat panem? Quomodo Sunamitis illa mulier vnxisset Dominum, quæ hospitio excipiebat Elizæum? Attamen tunc nondum Sol exortus erat. *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Dico enim vobis, quòd multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt; & audire, quæ auditis, & non audierunt.* Tit. 3. Psal. 18. 3. Reg. 17. 4. Reg. 4. Luc. 10.

Et valdè manè. Significat illud intentionem rectam operi bono adhibendam. Ita Pharisæi, multa bona opera fecerunt; sed quia recta illis intentio defuit, nequaquam Dominum vnxerunt. Quomodo enim ab iis vngeretur Dominus, qui *iustitiam suam faciebant coram hominibus, vt viderentur ab eis? Amen dico vobis, receperunt mercedem suam*. Matth. 6.

Vnâ Sabbatorum, statum designat gratiæ, sine quo opera bona Deo nequeunt placere. Quis enim nesciat, in Sabbato ab operibus vacandum esse seruilibus? *Septimo die Sabbatum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo*. Ita sanè à serui- Mar. 16. Exod. 20

seruitute peccati liber esse debet, qui Dominum Iesum vngere studet. Ideo & Pharisæus ille Dominum non vngebat,
Luc. 18. qui *ieiunabat bis in Sabbato, & decimas omnium, quæ possidebat, dabat*; quia nimirum elationis vitio inflatus erat.

Ex his, puto, intellexistis, quid sit *vngere Iesum*; nempe virtuosa exercere opera, & proximo charitatem impendere, quia charitas nunquã otiosa. Vnguenta sunt opera fructuosa. An non vnguenta pretiosa, esurientibus cibum, sitientibus potum, nudis præbere vestimentũ? An non pretiosa vnguenta, hospites colligere, infirmos, & incarceratos visitare? Et, qui talia agunt dicuntur vngere Iesum, quia
Matt. 25. *quamdiu fecistis vni ex fratribus meis minimis, mihi fecistis.*. Vnde & Mariæ istæ veniunt ad monumentum, vt mortuum scilicet vngerẽt Iesum. Iam enim quasi mortuus est, & sentire non videtur vnctionem bonorũ operum, viuit tamen, & quò occultiùs, eò fructuosiùs omnia obseruat. Dicet aliquando in extremi
Ibid. die iudicij: *Esuriui, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere.* Tunc respondebunt iusti: *Domine, quando te vidimus esurientem, & pauimus te: sitientem, & dedimus tibi potum?* Nunquid, quando te vnximus, eras mortuus? Quasi mortuus omnia dissimu-

dissimulat: viuus tamen omnia notat.

Et dicebant ad inuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Lapis iste iustorum tentationes significat, & bonorum impedimenta operum. Cùm enim operam illis dare quis desiderat, heu, quot obstacula! Tobiam, cùm sepelisset mortuos, & tamen cæcus factus fuisset, irridebant parentes eius, & cognati, dicentes: *Vbi est spes tua, pro qua eleemosynas, & sepulturas faciebas?* Cùm Iob cunctis nudatus esset, & vlcere percussus pessimo, dixit illi vxor sua: *Adhuc tu permanes in simplicitate tua? Benedic Deo, & morere.* Cùm Maria Magdalene vnguentum pretiosum super caput recumbentis Iesu effunderet, indignati sunt discipuli, dicentes: *Vt quid perditio hæc? Potuit enim istud venundari multò, & dari pauperibus.* Quis reuoluet nobis istum lapidẽ ab ostio monumenti? Frequenter enim magnus est valdè. Tam magnus ille lapis quibusdam videtur, vt potius opera bona relinquant, quàm obloquentium linguas incurrere audeant. Mar. 16. Tob. 2. Iob 2. Matt. 26.

Et respicientes viderunt reuolutum lapidem. Respicere significat mentem in Deum intendere, & inuidentiũ, vel obloquentium susurria non curare. Ita cæcus clamauit, dicens: *Iesu, fili Dauid, miserere mei.* Mar. 16. Luc. 18.

Et,

An non vnxit eam, quando *iuuenem sedentem à dextris* illi misit? Et nota, quòd additur: *Coopertum stolâ candidâ*. Bene operitur stolâ, qui futuram vitam, in qua nulla erit nuditas, nulla egestas, annunciare veniebat: vnde & iuuenis ille, vt quietem illius vitæ ostenderet, sedebat. Operitur autem candidâ stolâ, vt ex splendore candoris, gloriam intelligeremus resurrectionis. Sicut exploratores terræ Chanaan retulerũt palmitem cum vua sua, mala granata, & ficus, vt ex vbertate fructuum, fertilitatem ostenderent terrarum. Num. 13

Et obstupuerunt. Quis non obstupeat, qui amplam gloriæ mercedẽ, tenui reddendam iustorum labori considerat? *Quicunque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli, non perdet mercedem suam*. Quis non obstupescat? Pro potu aquæ frigidæ, calicem gloriæ? *Dico autem vobis: Non bibam amodò de hoc genimine vitis, vsque in diem illum, cùm illud bibã vobiscum nouum in regno Patris mei.* Quis non obstupeat? *A sæculo non audierunt, neq; auribus perceperunt: oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti expectantibus te.* Vt autẽ ad istam gloriam venire valeamus, eamus, dicamus discipulis eius, & Petro, quia præcedet nos in Galilæam. Qui sunt discipuli Domini, Mar. 16. Matt. 10. Matt. 26. Isa. 64.

uit humanam naturam, de qua ſcriptum eſt: *Tu fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, dicit Dominus, & ego ſuſcipiam te.* Intrauit autem in Gazam, quæ ſignificat, diuidens, quia, vt canit Eccleſia: Ierem. 3.

Se naſcens dedit ſocium,
Conueſcens in edulium:
Se moriens in pretium,
Se regnans dat in præmium.

Igitur tempore paſſionis, dum obdormiſſet per mortem, Philiſthini, id eſt, Phariſæi, curarunt circumdari domum, id eſt, muniri ſepulchrum, & cuſtodiri, putantes coram mundo Chriſtum extinguere, & ipſius denigrare virtutes: ſed poſt mediam noctem conſurgens à morte, & via vitæ patefacta, aſcendit in montem, in quo beneplacitum eſt ei habitare cum ſanctis ſuis.

Euangelium:

Duo ex diſcipulis Ieſu ibant ipſa die in caſtellum, quod erat in ſpacio ſtadiorum ſexaginta à Ieruſalem, nomine Emmaus. Luc. 24.

Thema:

Et ita intrare in gloriam ſuam? Ibid.

Tertia quæſtio eſt: An Chriſti corpus reſurrexerit glorioſum?

Respondetur, Triplici ratione apparet, Christi corpus in resurrectione fuisse gloriosum. Primò quidem, quia resurrectio Christi fuit exemplar, &
1.Cor.15 causa nostræ resurrectionis. *Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum.* Sancti autem in resurrectione habebunt
Ibid. corpora gloriosa. *Seminatur* enim corpus *in ignobilitate, surget in gloria.* Vnde, cum causa sit potior causato, & exemplar exemplato, multò magis corpus Christi
Num.17 resurgentis fuit gloriosum. Ita virga Aaron arida fuit posita in tabernaculo testimonij: sed sequenti die germinasse inuenta est. Christus mortuus positus in sepulchro, tertia die gloriosus resurrexit.

Iud.6. Ita & siccũ vellus positum fuit à Gedeone in area, atque nocte sequenti inuenit illud rore plenum. Mortuum fuit corpus Christi positum in tumulo, sed resurrexit gloria fulgidum.

Secundò, quia per humilitatem passionis meruit gloriam resurrectionis.
Ioan.12. Vnde & ipse dicebat: *Nunc anima mea turbata est*: quod pertinet ad passionem: & postea subdit: *Pater, clarifica nomen tuum:*
Iosu.7. in quo petit gloriã resurrectionis. Sicut Iosue, postquam pronus ceciderat in terram coram arca Domini vsque ad vespe-

vesperam, postquam puluerem super caput suum miserat, postquã longa illi prece supplicuerat, tandem audiuit à Domino: *Surge cur iaces pronus in terra?* & manè surrexit. Gedeon, postquam coram Angelo se humiliauerat, dicens: *Ecce familia mea infima est in Manasse, & ego minimus in domo patris mei*; audiuit a Domino: *Surge, & descende in castra Madian, quia tradidi eos in manu tua.* Ita Dominus Iesus, postquam *quasi leprosus, & percussus à Deo, & humiliatus* reputatus fuerat, descendit ad inferos, prædam faucibus inferni eripuit, surrexit à mortuis, & virtute sua aëreas potestates cõtriuit. Saul quoque, postquam se coram Samuele humiliauerat, dicens: *Nunquid non filius Iemini ego sum, de minima tribu Israel, & cognatio mea nouissima inter omnes familias de tribu Beniamin?* postquam in solario dormiuerat, dixit Samuel: *Surge, & dimittam te.* Surrexit Saul, & in Regem vnctus fuit. Ita Dominus Iesus postquam per passionem humiliatus erat; *& cum sceleratis reputatus*, postquam dormiuerat in tumulo, surrexit à morte, & vnctus fuit vnctione gloriæ suæ.

Iud. 6.
Iud. 7.
Isa. 53.
1. Reg 9.
Isa. 53.

Tertiò, quia anima Christi à principio suæ conceptionis fuit gloriosa per fruitionem diuinitatis perfectam. Est

autem dispensatiuè factum, vt ab anima gloria non redundaret in corpus, vt ita nostrę mysterium redemptionis sua impleret passione: & ideo peracto hoc mysterio passionis, & mortis Christi, statim anima in corpus per resurrectionē resumptum suam gloriam deriuauit; & ita factum est corpus illud gloriosum. Cùm audiuisset Dauid à Nathan, mori-
2. Reg. 12. turum filium natum ex Bethsabee, *deprecatus est Dominum pro paruulo, & ieiunauit Dauid ieiunio, & ingressus seorsum, iacuit super terram.* Christus Dominus orauit pro
Luc. 23. crucifigentibus se, dicens: *Pater, dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt.* Ieiunauit, quando vinum cum felle mistum gustauit, & *noluit bibere.* Iacuit seorsum super
Matt. 27. terram, quando Ioseph ab Arimathæa *posuit corpus eius in monumento suo nouo, quod ex-*
2. Reg. 12. *ciderat in petra.* Quid autem? *Surrexit autem Dauid de terra, & lotus vnctusq́; est. Cumq́; mutasset vestem, ingressus est in domū Domini.* Christus Dominus à mortuis surrexit: lotus vnctusque est, quando gloriam suam assumpsit: vestem mutauit, quando etiam gloriosus apparuit, & gloriosus in domum Patris sui iuit. Dixit aliquando Sa-
1. Reg. 10. muel ad Saul: *Hoc tibi signum, quia vnxit te Deus in Principem: Cùm veneris in collem Dei, vbi est statio Philisthinorum, insiliet in te Spiritus Domini,*

Domini, & mutaberis in virum alterum. Hoc signum, quòd Dominus Iesus *vnctus sit oleo lætitiæ præ consortibus suis*, quia, quando surrexit à mortuis, quando milites sepulchrum custodientes transiuit, insiluit in illum gloria corporis, & in alterum virum mutatus fuit. Psal. 44.

Morale.

Mane nobiscum, Domine, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies. Luc. 24.

QVod si Dominus olim Sodomæ pepercisset, si in ea 50. iustos, aut 45. aut 40. aut 30. aut 20. imò & 10. reperire potuisset: quid non faciet ob præsentiam Saluatoris nostri, per cuius *obedientiam iusti constituuntur multi?* Nunquid ob peccata nostra nos delere poterit? *Mane nobiscum, Domine, quoniam aduesperascit*. Laban etiam, cùm ab eo Iacob vellet discedere, dixit illi: *Inueniam gratiam in conspectu tuo: experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te*. Quantò magis benedicet nobis propter Iesum Christum Filium suum? Inueniamus gratiam in conspectu eius: *mane nobiscum, Domine, quoniam aduesperascit*. Quòd si *benedixerit Dominus domui Ægyptij propter Ioseph, & multiplicauerit* Gen. 18. Rom. 5. Luc. 24. Gen. 30. Luc. 24. Gen. 39.

tam in ædibus, quàm in agris cunctam eius substantiam: nobis, putas, propter Saluatorem nostrum non benedicet? *Mane nobiscum, Domine, quoniam aduesperascit. Seruiuit Israel Domino cunctis diebus Iosue, & seniorum, qui longo vixerunt tempore post Iosue, & qui nouerant omnia opera Domini, quæ fecerat in Israel.* Et præsente Iesu, Domino non seruiemus? Quomodo mandata eius transgredi poterimus? *Mane nobiscum, Domine, quoniam aduesperascit.* Elizæus in honorem Iosaphat, Regis Iuda, Deum colentis, impetrauit aquas dari exercitui, in quo erant duo alij mali Reges, Ioram Rex Israel, & Rex Edom. Dicebat enim ad Ioram: *Viuit Dominus exercituum, in cuius conspectu sto, quòd si non vultum Iosaphat, Regis Iuda erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem.* Ita etiam nobis dabuntur aquæ gratiæ, si præsentem habeamus Saluatorem nostrum: *mane nobiscum, Domine, quoniã aduesperascit.* Dum Paulus Romam vinctus nauigaret, *erant vniuersæ animæ in naui ducentæ septuaginta sex:* in summo autem potestatis periculo propter Paulum omnes saluati sunt. Astiterat enim ei nocte Angelus, & dixerat: *Ecce donauit tibi Deus omnes qui nauigant tecum.* Quantò magis præsente Saluatore nostro nemo peribit? *Mane nobiscum, Domine, quoniam aduesperascit.*

Luc 24. Iosu. 24. Luc 24. 4. Reg 3. Luc 24. Act. 27. Luc 24.

uesperascit. Nunc enim motus factus est magnus in mari huius sæculi, nauicula nunc operitur fluctibus; *Domine, salua nos, perimus*. Vbi surget, imperabit ventis, & mari; tranquillitas magna statim aderit: *mane nobiscum, Domine, quoniam aduesperascit*. Tu ad discipulos tuos venisti ambulans super mare: tu iussisti Petrum super aquas ad te venire, &, cùm cœpisset mergi, extendisti illi manum tuam, & apprehendisti; cùm ascendisses in nauiculam, contrarius ventus cessauit: *mane nobiscum, Domine, quoniam aduesperascit*.

Matth. 8.
Luc. 24.
Matt. 14.
Luc. 24.

FERIA III.

RESVRRECTIONIS.

Exordium:

NOë, cùm iam aquæ diluuij decrescerent, secundam misit ex arca columbam. *At illa venit ad eum ad vesperam, portans ramum oliuæ virentibus foliis in ore suo*. Gen. 8.

Moraliter:

Columba ista Christi animam denotat, quæ egressa est de corpore eius in morte, quando *inclinato capite emisit spiritum*. Ioan. 19.

tum. Sed in resurrectione sua ad carnem rediit virore immortalitatis induta. Oliua autem misericordiam designat. Vnde scriptum est: *Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui, vt custodias, & facias omnia mandata eius, &c. Oliuas habebis in omnibus terminis tuis, & non vngeris oleo: quia defluent, & peribunt*. Nunc oliuæ sunt in omnibus terminis nostris: nunc Saluator noster tot modis misericordiã suam erga nos aperuit, dum pro nobis vinculis ligatus, flagellatus, spinis coronatus, crucifixus, & mortuus est: & tamen peccatoribus oliuæ illæ defluũt, & pereunt, quia nequaquam passionis Domini, & sanguinis effusi participes fiunt.

Deut. 28.

Euangelium:

Luc. 24. *Stetit Iesus in medio discipulorum suorum, & dixit eis: Pax vobis: ego sum, nolite timere.*

Thema:

Ibid. *Videte manus meas, & pedes.*

Vltima nunc quæstio superest de resurrectione Domini: An corpus Christi debuerit cum cicatricibus resurgere?

Respondeo, quòd conueniens fuerit, animã Christi in resurrectione corpus cum cicatricibus resumere. Primò, propter gloriam ipsius Christi. Dicit enim Beda

Beda c. 97. in Lucam, quòd non ex impotentia curandi, cicatrices seruauit, sed vt in perpetuum victoriæ suæ circumferret triumphum. Vnde & S. Augustinus *l. 22. de ciuitate Dei, c. 20. in princ.* dicit, quòd fortassis in illo regno in corporibus Martyrũ videbimus cicatrices vulnerum, quæ pro Christi nomine pertulerunt. Non enim deformitas in eis, sed dignitas erit, & quædã, quamuis in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit. Angelus, qui luctabatur cum Iacob, *cum videret, quòd eum superare non posset, tetigit neruum femoris eius, & statim emarcuit.* Vnde ipse in signum, quòd cum Deo luctatus fuisset, *claudicabat pede.* Quanta hæc illi erat gloria! *Si cõtra Deum fortis fuisti, Iacob, quanto magis contra homines praualebis?* Ita & cicatrices vulnerum in corpore Domini, pugnæ eius & victoriæ fuere signa. Gen. 32.

Videmus in bello Tarentino, quòd Romani cum Pyrrho Græciæ Rege gesserunt, quales illi fuerint milites. Nam apud Heracleam, & Campaniæ fluuium, Sirim, Læuino Consule prima pugna. Quæ tam atrox fuit, vt Ferentanæ turmæ præfectus, Obsidius, in Regem inuectus turbauerit, coëgeritque proiectis insignibus prælio excedere. Actũ erat,

nisi elephanti conuersi in spectaculum belli procurrissent: quorum tum magnitudine, tum deformitate, & nouo colore, simul ac stridore consternati equi, cùm incognitas sibi belluas ampliùs, quàm erant, suspicarentur, fugam, stragémque latè dederunt. Quinam illi viri fuerunt, quos ab elephantis in isto prælio obrutos accepimus? Omnium vulnera in pectore, quidam hostibus suis immortui, omnium in manibus enses, & relictæ in vultibus minæ, & in ipsa morte ira viuebat. Quod adeò Pyrrhus miratus est, vt diceret: *O quàm facile erat, orbis imperium occupare, aut mihi Romanis militibus, aut me Rege Romanis!*

Secundò, ideo Christus cum cicatricibus resurrexit, ad confirmanda corda discipulorum circa fidem suæ resurre-
2.Reg.1. ctionis. Si enim Amalecites ille, vt probaret mortem Saul, attulit diadema, quod erat in capite eius, & armillam
2.Reg 4. brachij illius ad Dauid. Et si Rechab, & Baana attulerint caput Isboseth ad Dauid in Hebron, dicentes: *Ecce caput Isboseth, filij Saul, inimici tui, qui quærebat animam tuam*· quantò magis oportuit Saluatorem nostrum resurrectionem suam per cicatrices probare? Et hoc est, quod di-
Luc.24. cit: *Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipse*

ipse sum. Et, cùm illis manus, & pedes ostenderet, nondum tamen eum resurrexisse credebant: quid fecissent, si cicatrices non habuisset?

Tertiò, vt Patri pro nobis supplicans, quale genus mortis pro homine pertulerit, semper ostendat. Ita fratres Ioseph tinxerunt tunicam eius in sanguine hœdi, quem occiderant, mittentes, qui ferrent ad Patrem, & dicerent: *Hanc inuenimus: vide, vtrum tunica filij tui sit, an non. Quam cùm agnouisset pater, scißis vestibus indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore*, ita vt consolationem à liberis suis nollet accipere. Et Dominus Iesus, quando vulnera sua Patri ostendet, putásne, illum non flectet? An non ad miserendum nobis eum impellet? Gen. 37.

Cùm ex obsidione facta esset fames magna in Samaria, & Ioram Rex Israel transiret per murum, mulier quædam exclamauit ad eum, dicens: *Salua me, Domine mi Rex.* Et ille: *Quid tibi vis?* Quæ respondit: *Mulier ista dixit mihi: Da filium tuum, vt comedamus eum hodie, & filium meum comedemus cras. Coximus ergo filium meum, & comedimus. Dixique ei die altera: Da filium tuum, vt comedamus eum. Quæ abscondit filium suum. Quod cùm audisset Rex, scidit vestimenta* 4. Reg. 6.

sua,

sua, & transibat per murum. Mulier ista diuinam significat iustitiam, quæ coëgit Filium Dei ad passionem, ita vt quasi dentibus Iudæorum comederetur, cùm ab
Matt 27. iis clamabatur: *Crucifigatur. Ait illis Præses: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, dicentes: Crucifigatur.* Cùm ergo Pater cælestis ista in filio suo aspiciet vulnera, putasne, iracundiæ suæ non scindet vestimenta? Imò & per murum transibit, quia, quidquid ab eo petet filius, impetrabit.

Quartò, vt sua morte redẽptis, quàm misericorditer sint adiuti, propositis eiusdem mortis indiciis insinuet. Cùm Saul percussisset Ammon, & dispersisset eos, ita vt non relinquerentur in eis duo pariter, dixit omnis populus ad Samuelem:
1. Reg. 11. *Quis est iste, qui dixit: Saul non regnabit super nos? Date viros, & interficiemus eos.* Ita & nos regnare Dominum Iesum super nos curemus, & mandata illius obseruemus: quia ipse vicit diabolum, ecce vulnera adhuc in corpore gerit.
1. Reg. 18. *Porrò, cùm reuerteretur percusso Philistæo Dauid, egressæ sunt mulieres de vniuersis vrbibus Israel, cantantes, chorosq́; ducentes in occursum Saul Regis, in tympanis lætitiæ, & in sistris.* Et nos nonne exultabimus? nonne Christo Domino gratias agemus? Ipse diabolũ percussit, ecce

ecce vulnera adhuc in corpore gerit.

Postremò, vt in iudicio, quàm iustè damnentur, ibidem denuntiet. Vnde S. Augustinus dicit *l. 2. de Symbolo, c. 8.* Sciebat Christus, quare cicatrices in corpore suo seruaret. Sicut enim demonstrauit Thomæ non credenti, nisi tangeret, & videret; ita etiã inimicis sua demonstraturus est vulnera, vt conuincens eos veritas dicat: Ecce hominẽ, quem crucifixistis: videtis vulnera, quæ infixistis: agnoscitis latus, quod pupugistis: quoniam per vos, & propter vos apertũ est, nec tamen intrare voluistis. Cùm Dauid audiuisset de morte Saul nuncium, vocans vnum de pueris suis, ait: *Accedens irrue in eum. Qui percußit illum, & mortuus est.* 2. Reg. 1. Quia nimirum Saul occiderat, vt necaretur ab alio, dignus erat. Et cùm Rechab, & Baana retulissent ad Dauid caput Isboseth, *præcepit pueris suis, & interfecerunt eos, præcidentesq; manus & pedes eorum, suspenderunt eos super piscinam in Hebron.* 2. Reg. 4. Dignæ manus sunt, quæ ligauerunt, flagellauerunt Dominum Iesum, coronã spineam illi imposuerunt, & crucifixerũt, dignæ sunt, vt abscindãtur. Et pedes, qui illum ad Pontificem, Præsidem, & mortem duxerunt, quid meruerunt? *Ligatis manibus, & pedibus* Iudæorum *mittite in tenebras* Matt. 22.

bras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium.

Morale.

LVbet nunc ex Euangelio vobis proponere prandiolum, nempe *partem piscis aßi, & fauum mellis.* Etsi enim nunc carnibus vesci liceat, quorundã tamen eas ferre nequit stomachus: nec me pudebit piscem proponere, quando dignatus fuit Saluator noster ex eo comedere, & reliquias discipulis dare.

Primò, piscis non est diuturnæ vitæ. Tu etiam te moriturum aliquando co-
Eccli 7. gita, & peccata deuita. *In omnibus operibus tuis*, ait Sapiens, *memorare nouißima tua, & in æternum non peccabis.*

Secundò, piscis viuit in aquis. Ita & peccator in pœnitentia viuere debet.
Psal. 6. Sicut Dauid: *Lauabo per singulas noctes lectum meum, & lacrymis meis stratum meum rigabo.*
Matt. 26. Et Petrus *egressus foras fleuit amarè.* Ac Maria Magdalena *lacrymis cœpit rigare pedes Iesu.*

Tertiò, pisces in cauernis meliores sunt, quàm in paludibus, quòd significat
Colos. 3. sublimitatem conuersationis. *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt, sapite, & non quæ super terram.*

Quartò

Quartò, piſcis aſſus ſignificat charitatem. Scribit S. Hieronymus *in comment. in epiſtolam ad Galat. l. 3. in cap. 6.* quòd beatus Ioannes Euangeliſta, cùm Epheſi moraretur vſque ad vltimam ſenectutem, & vix inter diſcipulorum manus ad Eccleſiam deferretur, nec poſſet in plura vocem verba contexere, nihil aliud per ſingulas ſoleret proferre collactas, niſi hoc: *Filioli, diligite alterutrum.* Tandem diſcipuli, & fratres, qui aderant tædio affecti, quòd eadem ſemper audirent, dixerunt: *Magiſter, quare hoc ſemper loqueris?* Qui reſpondit dignam Ioanne ſententiam: *Quia præceptum Domini eſt, &, ſi ſolum fiat, ſufficit.*

Quintò, tantùm appono partem piſcis, vt diſcatis ſplendorem, & ſuperfluitatem vitare in conuiuiis. Nam diues ille, qui *epulabatur quotidie ſplendidè,* poſtea Luc. 16. triſti clamat voce: *Crucior in hac flamma.*

Porrò mel dulce ſignificat Saluatoris præſentiam, cuius nomen mel in ore. Exemplum ab heſterno ſumamus Euangelio, quia diſcipuli illi præſente Domino nullum habuerunt in via tædium, ſed ad inuicem dixerunt: *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum* Luc. 24. *loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?*

Secun-

Secundò, Mel sanat vulnera. Tristes erãt illi discipuli: sed vbi cognouerunt
Luc. 24. Dominum, abiit tristitia, *& surgentes regressi sunt in Ierusalem eadem hora.*

Tertiò, Mel illuminat oculos. Ita discipuli illi præsente Domino illuminati
Ibid. sunt: *& aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum.* Det nobis Dominus ita eum in hac vita cognoscere, vt facie ad faciem illum aliquando possimus videre. Amen.

IN FESTO S. MARCI.

Exordium:

Gen. 24. CVm seruus Abraham veniret in Mesopotamiam, Laban apposuit iumentis, & camelis paleas, & fœnum; hominibus verò panem.

Moraliter:

Laban frater Rebeccæ significat concionatorem: nam Laban est candidatio. Candidus enim debet esse, tã per splendorem scientiæ, quàm per lucem bonæ vitæ. Nam lex prædicatoribus est posita, vt viuendo illuminẽt, quibus loquendo suadere

ſuadere feſtinant. Hic prædicator apponere debet iumentis, id eſt, rudibus, fœnum & paleas, id eſt, expoſitiones groſſiores, vt eas capere poſſint: hominibus, id eſt, acutioribus, ſubtiliora debet prædicare. Non enim vna, & eadem exhortatio omnibus congruit, quia nec cunctos peccatorum qualitas aſtringit. Sæpe namque alios offendunt, quæ aliis proſunt: & quæ hæc animalia nutriunt, alia occidunt. Leuis etiam ſibilus equos mitigat, qui canes inſtigat: & medicamentum, quod hunc morbum ſanat, alteri virus iungit: panis etiam, qui vitam fortium roborat, paruulorum vitam necat. Pro qualitate igitur audientium formari debet ſermo doctorum, vt ars eorum ſingulis congruat, & tamen à communis ædificationis arte nunquam diſcedant.

Euangelium:

Deſignauit Dominus & alios ſeptuaginta duos, & miſit illos binos ante faciem ſuam in omnem ciuitatem, & locum, quò erat ipſe venturus. Luc. 10.

Thema:

Ite, ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos. Ibid.
Et: *Dicite illis: Appropinquauit in vos regnum Dei.*

O Opor-

Oportunè explicabitur, nondum regnare cœpisse, neque venisse Antichristum: sed venturum, & regnaturum circa mundi finem, qui quantum adhuc absit, nullo modo sciri potest. Hæc sententia demonstratur sex rationibus. Sex enim signa certa aduentus Antichristi nobis in diuinis litteris dedit Spiritus S. duo præcedentia ipsum Antichristum: duo concomitantia: & duo sequentia.

Primum signum est prædicatio Euangelij in toto mundo. Testantur enim Scripturæ, in toto mundo prædicandum Euangelium, antequam veniat vltima persecutio, quę excitabitur ab Antichri-
Matt. 24. sto. *Prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus Gentibus.*

Quod autem hęc verba: *In vniuerso orbe*, propriè, & simpliciter sint intelligenda, id est, in omni Gente prædicari debere Euangelium, & Ecclesias constitui, probatur primò, nam ideo expresse additur: *In testimonium omnibus Gentibus*: id est, ne vlla Gens in die iudicij possit excusare infidelitatem suam prætextu ignorantiæ.

Secundò, quia Christus dicit, prædicationem illam in vniuerso orbe esse signum consummationis sæculi. Sic enim subiungit: *Et tunc veniet consummatio.*

At,

At, si non propriè, sed per synecdochen deberet prædicari Euangelium in toto mundo, sumendo totum pro parte, nihil valeret illud signum. Nam eo modo primis xx. annis fuit prædicatum ab Apostolis in toto mundo.

Tertiò, quia, vt Augustinus *epist.80. ad Hesychium* argumentatur, omnes Gentes sunt Christo promissæ. *Omnes gentes seruient ei.* Et Christus generaliter pro omnibus mortuus est: & ideo describũtur electi *ex omnibus Gentibus, & tribubus, & populis, & linguis.* Psal.71. Apoc. 7.

Porrò quòd hoc signum nondum impletum sit, docet experientia. Inuentæ sunt enim in Oriente, & Occidente regiones vastissimæ, in quibus nulla extat memoria Euangelij. Neque dici potest, fuisse ibi fidem, sed postea extinctã esse. Nam saltẽ aliqua vestigia remanerent, vel ibi, vel in scripturis veterum. Sicut, cùm Iosue cum populo transisset Iordanem siccis vestigiis, *duodecim lapides positi sunt in Iordanis medio, in monumentum filiorum Israel vsque in æternum.* Iosue 4. Præterea; scimus, vbi prædicauerũt omnes Apostoli, fuisse loca multis nota, ne dicam omnibus. At nouus orbis terræ nũc inuentus, non fuit cognitus ab Apostolorum temporibus, nisi paulò antè nostrã ætatem.

Digitized by Google

Oportunè explicabitur, nondum regnare cœpisse, neque venisse Antichristum: sed venturum, & regnaturum circa mundi finem, qui quantum adhuc absit, nullo modo sciri potest. Hæc sententia demonstratur sex rationibus. Sex enim signa certa aduentus Antichristi nobis in diuinis litteris dedit Spiritus S. duo præcedentia ipsum Antichristum: duo concomitantia: & duo sequentia.

Primum signum est prædicatio Euangelij in toto mundo. Testantur enim Scripturæ, in toto mundo prædicandum Euangelium, antequam veniat vltima persecutio, quę excitabitur ab Antichri-
Matt. 24. sto. *Prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus Gentibus.*

Quod autem hęc verba: *In vniuerso orbe*, propriè, & simpliciter sint intelligenda, id est, in omni Gente prædicari debere Euangelium, & Ecclesias constitui, probatur primò, nam ideo expresse additur: *In testimonium omnibus Gentibus*: id est, ne vlla Gens in die iudicij possit excusare infidelitatem suam prætextu ignorantiæ.

Secundò, quia Christus dicit, prædicationem illam in vniuerso orbe esse signum consummationis sæculi. Sic enim subiungit: *Et tunc veniet consummatio.*

At,

At, si non propriè, sed per synecdochen deberet prædicari Euangelium in toto mundo, sumendo totum pro parte, nihil valeret illud signum. Nam eo modo primis xx. annis fuit prædicatum ab Apostolis in toto mundo.

Tertiò, quia, vt Augustinus *epist*.80. *ad Hesychium* argumentatur, omnes Gentes sunt Christo promissæ. *Omnes gentes seruient ei.* Et Christus generaliter pro omnibus mortuus est: & ideo describũtur Psal 71. electi *ex omnibus Gentibus, & tribubus, & populis, & linguis*. Apoc. 7.

Porrò quòd hoc signum nondum impletum sit, docet experientia. Inuentæ sunt enim in Oriente, & Occidente regiones vastissimæ, in quibus nulla extat memoria Euangelij. Neque dici potest, fuisse ibi fidem, sed postea extinctã esse. Nam saltẽ aliqua vestigia remanerent, vel ibi, vel in scripturis veterum. Sicut, cùm Iosue cum populo transisset Iordanem siccis vestigiis, *duodecim lapides positi sunt in Iordanis medio, in monumentum filiorum Israel vsque in æternum.* Præterea; scimus, vbi prædicauerũt omnes Apostoli, fuisse loca multis nota, ne dicam omnibus. At nouus orbis terræ nũc inuentus, non fuit cognitus ab Apostolorum temporibus, nisi paulò antè nostrã ætatem. Iosue 4.

Secundum signum aduentus Antichristi est desolatio omnimoda Rom. Imperij. Sciendum est enim Rom. Imperium tandem diuidendum in decem Reges, quorum nullus erit, vel dicetur Rex Romanorum, etsi omnes occupabunt prouincias aliquas Rom. Imperij. Sicut modo Rex Galliæ, & Rex Hispaniæ, Rex Angliæ, & fortè alij aliqui, tenent partes Rom. Imperij, & tamen non sunt Romani Reges, vel Imperatores. Donec autem hoc non fit, non potest Antichristus venire.

Probat hoc Irenæus *l.5.c.26.* primò ex illo loco, vbi describitur successio præcipuorum regnorũ vsque ad finẽ mundi per statuam quandã; cuius caput aureum significat primum regnum, id est, Assyriorũ. Pectus argenteũ est regnum secundum, id est, Persarũ. Venter æneus tertium regnum, id est, Græcorũ. Tibiæ ferreæ regnum quartũ, id est, Romanorum: quod longissimo tempore fuit bipartitum, sicut tibiæ duæ sunt, & longissimæ. Porrò ex duabus tibiis oriebantur decem digiti, & in eis tota illa statua desinebat: quia videlicet Rom. Imperium tandem in decem Reges erat diuidendum, quorum nullus erit Rex Romanorum, sicut nullus digitus est tibia.

Dan.2.

Proba-

Probat secundò ex alio loco, vbi clarissimè Daniel per quatuor bestias eadem quatuor regna designat; & addit, ex vltima bestia proditura decem cornua, quæ decem vltimos Reges significant, qui orientur quidem ex Romano Imperio, sed non erũt Romani Imperatores: sicut cornua ipsa oriuntur ex bestia, sed bestia ipsa non sunt. Dan. 7.

Probat tertiò ex illo loco, vbi describit Ioannes bestiã cum septẽ capitibus, & decem cornibus, super quam mulier quædam sedebat. Et explicat, mulierem esse vrbẽ magnam, quæ sedet super septem colles, id est, Romam: septẽ capita esse septẽ illos montes, & etiam septem Reges; quo numero intelligũtur omnes Rom. Imperatores. Decem cornua dicit esse decẽ Reges, qui vno tempore simul regnabunt: &, ne putemus, hos fore Romanos Reges, addit, quòd hi reges odio habebunt fornicariam, & desolatam facient illã, quia ita inter se diuidẽt Rom. Imperium, vt illud penitus destruant. Apoc. 17

Probat quartò ex eo: *Et nunc quid detineat, scitis, vt reueletur in suo tempore, vt, qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat, & tunc reuelabitur ille iniquus*. Vbi Paulus, non ausus apertè scribere de euersione Romani Imperij, quod tamen apertè 2. Thes. 2

illis coram explicauerat, sic loquitur, & sensus est: Scitis, quid impediat aduentum Antichristi. Dixi enim vobis Romanum Imperium impedire, quia non non sunt adhuc impleta eius peccata, & non ante veniet Antichristus, qui hoc imperium propter sua peccata tollat è medio. Ideo, qui nunc tenet Rom. Imperium, teneat, id est, regnet, donec de medio fiat, id est, aboleatur, & tunc reuelabitur ille iniquus.

Tertium signum est aduētus Henoch & Eliæ, qui adhuc viuunt, & ad hoc viuunt, vt venienti Christo se opponant, & conseruent electos in fide Christi, & tandem Iudæos conuertant: quod tamen certū est, nondum esse impletum.

Quatuor de hac re Scripturæ extant.

Malac 4. Prima est: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & conuertet corda patrum ad filios, & corda filiorum ad patres eorum.*

Eccli. 48. Secunda est, vbi de Elia legimus: *Qui receptus es in turbine ignis, in turbine equorum igneorum: qui inscriptus es in iudiciis temporum, linire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad*

Eccli. 44. *filium, & restituere tribus Iacob.* Et: *Henoch placuit Deo, & translatus est in paradisum, vt det Gentibus pœnitentiam.*

Quòd hæc non possint intelligi de quibus-

quibuſcunque doctoribus, vt de Luthero, Zwinglio, & ſimilibus, patet: nam Malachias dicit, ab Elia conuertendos eſſe Iudæos, & propter Iudæos præcipuè mittendum, vt patet ex illo: *Mittam vobis.* Et Eccli. *Reſtituere tribus Iacob.* At Lutherus & Zwinglius nullum Iudæorum conuerterunt.

Quod etiam non poſsint hæc intelligi de Ioanne Baptiſta ad litteram, ſed ſolùm de Elia, patet, quia Malachias loquitur de ſecundo aduentu Domini, qui erit ad iudicandum. Sic enim ait: *Antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis.* Primus enim aduẽtus non vocatur dies magnus, & horribilis, ſed tempus acceptabile, & dies ſalutis. Vnde etiam ſubditur: *Ne fortè veniens feriam terram anathemate*, id eſt, ne veniens ad iudicium, & inueniens omnes iniquos, omnẽ terram condemnem: ideo mittam Eliam, vt habeam aliquos, quos ſaluem. At in primo aduentu Dominus non venit iudicare, ſed iudicari; nec perdere, ſed ſaluare.

Quòd etiam Eccli. loquatur de perſonis ipſis Henoch & Elia, non de aliquibus aliis, probatur, Nam dicit illum Henoch venturum, *qui tranſlatus eſt in paradiſum*: & illum Eliam venturum, qui in curru igneorũ equorum raptus fuerat.

Quæ certè non conueniunt, nisi illis particularibus personis.

Matt. 17. Tertia Scriptura est: *Elias quidem venturus est, & restituet omnia.*

Quòd ista verba intelligantur de vero Elia, nō de Ioan. Baptista, planū est, quia Ioānes iā venerat, & absoluerat cursum suum; & tamē Dn̄s dicit: *Elias venturus est.*

Quòd verò non intelligantur de omnibus Doctoribus; sed de vno vero Elia, probari potest. Primò, quia Apostoli, qui mouerunt quæstionem de Elia, fuerunt Petrus, Iacobus, & Ioannes, & occasionem acceperunt ex transfiguratione Domini, vbi Moysen & Eliam viderūt.

Ibid. Itaque eum interrogabant: *Quid ergo Scribæ dicunt, quia Eliam oportet venire primum?* & loquebantur de illo Elia, quem viderāt in monte cum Christo. Et Christus respondens: *Elias quidē venturus est, & restituet omnia*; loquitur etiā de illo Elia particulari, qui apparuerat in transfiguratione.

Deinde; Idem patet ex illis verbis: *Et restituet omnia.* Id enim non fecit Ioannes Baptista, nec vllus alius. Nam restituere omnia, est omnes Iudæos, & hæreticos, & fortè multos Catholicos ab Antichristo deceptos reuocare ad veram fidem.

Apoc. 11 Quarta Scriptura est: *Dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus M.CC.LX.*

Quòd

Quòd hęc verba intelligantur de singularibus personis Henoch & Elia, non de omnibus Doctoribus patet: nã Ioannes addit eos interficiẽdos ab Antichristo, & corpora eorũ per tres dies mãsura insepulta in platea Ierusalẽ, & post tres dies eos resurrecturos, & in cælũ ascensuros: quæ nulli hactenus contigerunt.

Quartum signũ est, quòd Antichristi persecutio erit notissima, & grauissima, ita vt cessent omnes publicæ religionis cæremoniæ, & sacrificia, quorum nihil adhuc videmus.

Quòd illa vltima persecutio sit futura grauissima, patet ex illo: *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, neque erit.* Matt. 24. Et ex illo, vbi legimus: *Tunc satanã soluendum*, qui vsque ad illud tempus fuerat ligatus. Apoc. 20. De quo loco disputãs August. *l. 20. ciuit. Dei, c. 8. & 9.* dicit Antichristi tẽpore diabolum soluendũ, & proinde tãto grauiorẽ fore illam persecutionẽ omnibus præcedentibus, quanto crudeliùs potest diabolus sæuire solutus, quàm ligatus. Et Hippolytus Martyr *in oratione, de mundi consummatione*, ac Cyrillus *catechesi* 15. dicunt Martyres, quos Antichristus occidet, futuros illustriores omnib. præteritis, quia pręteriti cõtra homines diaboli ministros; at futuri cõtra ipsũ diabolum perso-

personaliter grassantem pugnabunt.

Quòd autem illa persecutio sit futura notissima,& manifestissima, probat sanctus Augustinus *l.20.de ciuitate Dei,c.11.* ex Apoc.20 illis verbis: *Et circuierunt castra Sanctorum, & dilectam ciuitatẽ.* His enim verbis significatur, omnes prorsus impios simul futuros in exercitu Antichristi, & aperto Marte oppugnaturos omnẽ Sanctorum Ecclesiam. Nunc enim sunt multi ficti in Ecclesia, qui suam tegẽtes malitiam, corde sunt extra Ecclesiam, corpore intus: At tunc erumpẽt omnes, inquit Augustinus, in apertam persecutionem ex latebris odiorum.

Denique: Quòd propter atrocitatem persecutionis Antichristi cessare debeat publicum, & quotidianum Ecclesiæ officium,& sacrificium, apertè docet Daniel: Dan.12. *A tempore, cùm ablatum fuerit iuge sacrificium, dies M.CC.XC.* Vbi omnium consensu loquitur de tempore Antichristi, vt Patres exponunt. Et sensus est, Antichristum interdicturum omnem diuinum cultum, qui in Ecclesiis Christianorum nunc exercetur; ac præsertim sacrificium Eucharistiæ.

Quintum signũ est duratio Antichristi. Dan.7. 12. Non enim regnabit, nisi tres annos cũ medio. Colligitur hoc ex Daniele & Apoc.

Apoc. vbi legimus daturũ Antichristi regnum *per tempus, & tempora, & dimidium temporis*. Nam per tẽpus intelligitur vnus annus; per tempora, duo anni; per dimidium temporis, medius annus. Sic enim explicat idem Ioannes. Nam dicit, Antichristum regnaturum mensibus XLII. qui rectè faciunt tres annos cum medio. Et dicit, Henoch & Eliam prædicaturos diebus M.CC.LX. Nam Hebręi vtebantur annis & mensibus lunaribus, etsi eos reuocarent ad solares, addendo sexto quoque anno vnam lunationem. Tres autem anni lunares cum medio faciunt rectissimè XLII. menses, siue M.CC.LX. dies: siquidem annus lunaris plenus, & perfectus cõstat XII. mensibus, quorum quilibet habet XXX. dies; vt Augustinus docet. *l. 15. de ciuit. c. 14.* Apoc. 12. Apoc. 11. 13. Apoc. 11

Neque obstat, quòd dicitur Antichristus regnaturus M.CC.XC. diebus, id est, diebus XXX. ampliùs, quã dixerat Ioannes. Nam Ioannes loquitur de Henoch & Elia, qui ab Antichristo occidentur vno mense, antequam Antichristus pereat. Dan. 12.

Confirmatur hoc signũ, quia aliquoties legimus septem tempora transitura, quibus erit futurus extra regnum suum Nabuchodonosor: per illa autem tempora Dan. 4.

tempora omnes intelligunt annos.

Deinde Scripturæ dicunt, tempus diaboli soluti, & Antichristi fore breuissi-
Apoc 12 mum. *Væ terræ & mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens, quod modi-*
Apoc. 20 *cum tempus habet*. Et: *Ligauit eam per mille annos: & post hæc oportet illum solui modico tempo-*
Matt. 24. *re*. Vnde Dominus: *Nisi breuiati fuissent dies illi, nō fieret salua omnis caro*. Denique; Christus prædicauit solùm tribus annis, cum medio. Ergo decet etiam, vt Antichristus non permittatur diutiùs prædicare.

Sextum signum est, quòd post Antichristum statim erit mundi consumma-
Dan. 7. tio. Daniel enim bis loquens de Antichristo, semel narrans visionem suam, & semel exponens visionem, vtraque vice subiungit, post Antichristū statim secuturum vltimum iudicium. *Considerabam*, inquit, *cornua, & ecce cornu aliud paruulum ortum est, & tria de cornibus eius euulsa sunt à facie eius. Aspiciebam, donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit*, &c. Et infrà ex-
Ibid. plicans visionem: *Bestia quarta*, inquit, *quartum regnum erit. Porro cornua decem, decem Reges erunt, & alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus, & tres Reges humiliabit*, &c. *Et tradentur in manu eius per tempus, & tempora, & dimidium temporis: & iudicium sedebit*, &c.

Similis

Similis est prophetia Ioannis: *Post hæc oportet illum solui modico tempore: & vidi sedes, & sederunt super illas, & iudicium datum est eis,* &c. Et rursum idem Daniel, postquam dixerat, Antichristi regnum duraturum diebus mille, ducentis, nonaginta, subiungit: *Beatus, qui expectat, & peruenit vsque ad dies mille, trecentos, & triginta quinque*; id est, vsque ad dies XLV. post mortem Antichristi: tunc enim Dominus veniet ad iudicium, & coronas iustitiæ victoribus reddet, vt exponunt Hieronymus & Theodoretus *in comment. huius loci.* Apoc. 20 Dan. 12.

Deinde; Idem colligitur ex eo: *Prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso mundo, in testimonium omnibus gentibus; & tunc erit consummatio.* Et infrà: *Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum: & tunc apparebit signum filij hominis,* &c. Et ex eo: *Tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui,* &c. Vbi Apostolus docet fere immediatè post Antichristum, venturū Christum, quia nimirū intercedet breuissimū tēpus: & doli, & fraudes Antichristi, quæ destrui cœptę erāt per Eliam & Henoch, destruētur penitus per IesuChristi aduentū, & horribilia signa præcedētia. Matt 24 2. Thes. 2

Denique; Idem habetur ex eo: *Filioli, nouissima* 1. Ioan. 2

nouißima hora eſt, & ,ſicut audiſtis, quia Antichriſtus venit, & nunc Antichriſti multi facti ſunt. Vnde ſcimus, quia nouißima hora eſt. Vbi Ioannes dicit, hoc tempus à Chriſto vſque ad finem mundi eſſe nouiſſimã horam, ſiue vltimam ætatem, vt Auguſtinus exponit. Et probat pulcherrimè ex hoc principio, quia ſcimus, Antichriſtũ venturum in fine mundi: & iam videmus multos nunc adeſſe eius præcuſores, ſiue minores Antichriſtos. Det nobis Deus vſque ad finem conſtantes permanere, vt cum ipſo tandem regnare valeamus. Amen.

IN FESTO
SANCTORVM
PHILIPPI ET IACOBI.

Exordium:

Exod. 15. Num. 33 FIlij Iſrael *profecti de Mara venerunt in Elim, vbi erant duodecim fontes aquarum, & palmæ ſeptuaginta: ibiq; caſtrametati ſunt.*

Moraliter:

Mara, id eſt, amara, denotat infidelitatem, & ſtatum peccati. Elim, id eſt, inuocatio Dei, fidem ſignificat, & ſtatum

gratiæ,

gratiæ, in quibus Deum, & Saluatorem noſtrum Chriſtum inuocamus, & credimus. Dum ergo ab infidelitate ad fidem, aut à peccato ad virtutem conuertũtur homines, inueniunt 12. fontes, ſcilicet Apoſtolos effundentes aquas dulcedinis, doctrinæ & charitatis, quibus mundus totus irrigatur. O quàm mirabiles illi fluuios nobis effuderũt, non terram irrigãtes, ſed animas hominum ad producenda virtutum germina ſuſcitantes! 70. autem palmæ deſignant 72. diſcipulos, *quos Dominus deſignauit, & miſit binos ante faciem ſuam, in omnem ciuitatem, & locum, quò erat ipſe venturus.* Illi nobis vmbram adferunt, & prædicatione ſua ab æſtu tentationum defendunt. Luc. 10.

Euangelium:

Non turbetur cor veſtrum. Creditis in Deum, & in me credite: in domo Patris mei manſiones multæ ſunt. Ioan. 14.

Thema:

In domo Patris mei manſiones multæ ſunt. Ibid.

Quorum occaſione verborum opportunum erit demonſtrare, non eſſe omnes iuſtos inter ſe pares.

Conueniunt autem Lutherani in eo, vt dicant, omnes iuſtos æqualiter eſſe iuſtos, ita vt neque vnus ſit iuſtior alio,

neque

neque idem homo in iuſtitia creſcat. Similem errorem docuit olim Iouinianus teſte S. Hieronymo *in l. 2. aduerſus Iouinianum*, quãuis non ex fundamento eodem.

Iouinianus enim docebat, virtutes eſſe pares, & peccata etiam paria, iuxta antiquam ſententiam Stoicorum. Lutherani verò non dicunt (quòd ſciam) virtutes eſſe pares, aut peccata paria; neque negant, poſſe hominẽ creſcere in fide, ſpe, & charitate, aliiſque virtutibus; neque dicunt, non eſſe vnum alio maiorem, quod attinet ad eiuſmodi virtutes: ſed affirmãt, per has virtutes neminem iuſtificari; ac per hoc creſcere in fide, ſpe, & charitate, non eſſe creſcere in iuſtitia; & ex eo, quòd alius alio fide, & charitate ſit maior, non effici, vt vnus ſit alio iuſtior: quandoquidẽ vna & eadem Chriſti iuſtitia fide apprehenſa, atque à Deo imputata, omnes iuſtificari docent.

Quòd attinet ad Iouinianũ, euidenter refellitur error ipſius his teſtimoniis.
Iob 1. *Nunquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quòd non*
1. Reg. 9. *ſit ei ſimilis in terra?* Et: *Non erat vir de filiis*
Eccli. 44. *Iſrael melior illo.* Et: *Non eſt inuentus ſimilis illi, qui conſeruaret legem excelſi*; de Abraham di-
Pſal. 83. citur. Et: *Beatus vir, cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lacrymarum, in loco, quem poſuit. Etenim benedictionem*

dabit

dabit legiſlator, ibunt de virtute in virtutem, &c. Quem locum tractans S. Gregorius *homil.* 15. *in Ezech.* Non mirum, inquit, ſi de virtute in virtutem gradus ſunt, quando ipſa vnaquæque virtus quaſi quibuſdam gradibus augetur, & ſic per incrementa meritorum ad ſumma producitur. Apoſtoli etiam petunt ſibi augeri fidem. Ex quo loco ducit argumentum S. Hieronymus, *l.* 2. *in Iouinianum*: Quare, inquit, dicunt Apoſtoli: *Adauge nobis fidem*, ſi omnium vna menſura eſt? Item: *Non inueni tantam fidem in Iſrael.* Et: *Non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta.* Et: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Luc. 17. Matth. 8. Matt. 11. Luc. 7.

Huc pertinent variæ ſimilitudines. Comparatur enim Eccleſia terræ, quæ pro varia diſpoſitione alicubi reddit fructum tricenum, alicubi ſexagenum, alicubi centenum. Matt 13.

Comparatur etiam corpori humano, in quo ſunt varia membra, alia ſublimiora, alia inferiora; alia nobiliora, alia viliora. Rom. 12. 1. Cor. 12.

Dicuntur in domo Dei eſſe vaſa aurea, & argentea, lignea, & fictilia. Et ſine dubio præſtantiora ſunt aurea, quàm argentea; & argentea, quàm lignea, & fictilia. 2. Tim. 2.

Denique; Idem probant omnia teſti-

monia, quæ docent, præmia in cælo non
1.Cor.15 esse paria. Vt: *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas stellarum; & stella differt à*
Ioan.14. *stella in claritate.* Et hoc loco: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.*

Matt.20. Neque his repugnat, quòd dari videtur idem præmium omnibus operariis, videlicet denarius diurnus. Nam denarius ille significat æqualitatem æternitatis, non gloriæ, & excellentiæ. Itaque datur omnibus idem denarius, quoniam sancti omnes sine fine regnabūt, quamuis non omnes eâdem eminētiâ regnabunt. Quemadmodum commune est stellis omnibus, perpetuo fulgere in cælo, tametsi aliæ aliis clariùs micent. Atque hoc modo hunc locum exponunt sancti Patres.

At, inquies, si denarius diurnus non significat omninò par præmium: vnde murmurabant operarij, qui plus laborauerant, quòd eandem mercedem acciperent cum iis, qui minùs laborauerāt?

Introducitur murmur illud in parabola, non quòd in cælo vllum futurum sit murmur, sed vt ostendatur nullam esse in Deo iniquitatem, si cum aliis liberalior, quàm cum aliis esse velit.

Huius rei figura est: Cùm fratres Ioseph in domo eius mēsæ accumberent,

ſederunt coram eo, primogenitus iuxta primogenita ſua, & minimus iuxta ætatem ſuam. Et mirabantur nimis, ſumptis partibus, quas ab eo acceperant, maiorq́; pars venit ad Beniamin, ita vt quinque partibus excederet. Biberuntq́;, & inebriati ſunt. Eadem menſa ſignificat æqualitatem æternitatis: diuerſa loca diuerſitatem gloriæ. Et ſicut Ioſeph ſine aliorum iniuria maiorē partem miſit Beniamin: ita Deus non facit iniuriam ei, cui debitam mercedem reddidit, ſi parem, vel maiorem alteri ex liberalitate donauerit. Tunc mirabimur, bibemus, & inebriabimur. Mirabimur diuinam præſentiam: audiemus nobis loquentem Dominum: *Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi.* Gen. 43. Cant. 5.

Nunc aduerſus Lutheranos primò pugnat illud: *Iuſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit vſque ad perfectum diem.* Hic enim deſcribitur iuſtitiæ ipſius progreſſus per ſimilitudinem lucis, quæ ab aurora progreditur ad meridiem. Sicut enim vera lux eſt, quæ fulget in aurora, & augetur ſemper, & creſcit vſque ad perfectionem meridianam: ſic etiam vera iuſtitia eſt in hominibus iuſtificatis, & ea tamen ſemper magis, ac magis augetur; donec ad perfectionem beatorum in cæleſti fælicitate pertingat. Prou. 4.

2.Cor.9. Secundò, illud: *Augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ.* Quomodo enim Deus augebit incrementa frugum iustitiæ nostræ, si nulla est in nobis iustitia, nisi Christi, quæ augeri non potest?

Apoc.vl. Tertiò, illud: *Qui iustus est, iustificetur adhuc; & qui sanctus est, sanctificetur adhuc; & qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Quis autem dubitat, eos, qui in sordibus sunt, verè posse adhuc sordescere, & vnum esse sordidiorem alio? cur igitur non concedũt, posse etiam iustos effici iustiores, & vnum alio in iustitia esse maiorem.

Quartò, pugnant aduersus eos omnia loca, in quibus dicitur charitas augeri,
Luc. 7. & in vno maior esse, quàm in alio. *Remittuntur ei peccata multa; quoniã dilexit multum.* Et: *Cui minus dimittitur, minus diligit.* Item:
Ioan. 15. *Maiorem hâc dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Et: *Diligis me plus*
Ioan. 21. *his?* Item: *Perfecta charitas foras mittit timo-*
1. Ioã 4. *rem.* Et: *Qui timet, non est perfectus in charitate.* Nam secundùm Scripturã iustitia nihil aliud est, quàm charitas. Nam Apostolus Ioannes pro eodem accipit, iustum esse,
1. Ioã. 3. & diligere. *In hoc manifesti sunt filij Dei, & filij diaboli. Omnis, qui non est iustus, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum: quoniam hæc est annunciatio, quam audistis ab initio, vt diligatis alterutrum.* Et ibidem: *Qui non diligit, manet*

in morte. Et: *Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres*. Item; Apostolus Paulus, cùm ait: *Regnum Dei est iustitia, pax & gaudium in Spiritu sancto*, per *iustitiam* intelligit charitatem, cuius proprij sunt effectus, Pax, gaudium, iuxta illud: *Fructus autem Spiritus sunt, charitas, gaudium, pax*. Et Dominus, cùm nos admonet: *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum*; præcipuè loquitur de charitate. Scribarum enim & Pharisæorum iustitia erat, diligere amicos, & odio prosequi inimicos: iubet autem Christus, vt diligamus etiã inimicos, & sic iustitia nostra abundet plusquam Scribarũ & Pharisęorum.

Rom. 14

Gal. 5.

Matth. 5.

Quintò, pugnant contra eos omnia loca, quæ docent, in cælo varietatẽ esse præmiorum, & coronarum, suprà allata. Nam præmia regni cęlorum propriè iustis parata sunt: *Ibunt iusti in vitam æternam*. Et Apostolus vocat beatitudinẽ *brauium supernæ vocationis*. Et apertiùs vocat *coronam iustitiæ, quam reddet iustus Iudex*. Quare, si diuersitas est in cælo præmiorum, sine dubio est diuersitas in terra meritorum: & si varia est corona iustitiæ, varia quoque est ipsa iustitia.

Matt. 25.

Philip. 3.

2. Tim. 4.

Morale.

Ioan. 14. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.*

De priuilegiis sancti Philippi nunc agendum erit: de S. Iacobo in aliud tempus reseruabimus.

Primum Philippi priuilegium est, quòd inter primos à Domino vocatus fuerit: primus namque fuit Andreas, secundus Petrus, tertius Philippus. *In crastinum voluit exire in Galilæam, & inuenit Philippum. Et dicit ei Iesus: Sequere me.* Et statim secutus est eum. Vnde bene potuit dicere illud: *Dominus aperuit mihi aurem: ego autem non contradico, retrorsum non abij.* Sed nos (heu!) quoties à Deo per bonas vocamur inspirationes, non audimus. *Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias eius, nec reuersi sunt per semitas eius,*

Ioan. 1.

Isa. 50.

Iob 24.

Secundum priuilegium est, quòd primus annunciauerit Iesum. *Inuenit Philippus Nathanael, & dicit ei: Quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ, inuenimus Iesum filium Ioseph, à Nazareth. Et dixit ei Nathanael: A Nazareth potest aliquid boni esse? Dicit ei Philippus: Veni, & vide.* Ex quo docemur, quòd magna debeamus fiducia Philippum interpellare in cælis, qui charitate plenus dona

Ioan. 1.

dona gratiæ, & fidei alteri communicauit in terris.

Tertium priuilegium est, quòd procurator collegij Christi fuisse videatur. Nam *cùm subleuasset oculos Iesus, & vidisset, quia multitudo maxima venit ad eum, dicit ad Philippum: Vnde ememus panes, vt manducent hi?* Ioan. 6.
Hinc videtur fuisse dispensator Christi. *Quis, putas, est fidelis dispensator, & prudẽs, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram?* Luc. 12. Si ergo volumus refici in cælis, ipsum honoremus in terris.

Quartum priuilegium est, quòd apud Christum Mediator fuit. *Erant autem quidam gentiles ex his, qui ascenderant, vt adorarent in die festo. Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat à Bethsaida Galilææ, & rogabant eum, dicentes: Domine, volumus Iesum videre. Venit Philippus, & dicit Andreæ. Andreas rursus, & Philippus dixerunt Iesu.* Ioan. 12. Si fuerit mediator in mundo, quid credendũ est fieri in cælo?

Quintum priuilegium est, quòd æternæ felicitatis summus fuerit æmulator. Nam cùm Apostoli ceteri visione filij Dei, & promissione Spiritus sancti essent cõtenti, Philippus ex charitatis feruore paternam visionem petere ausus est, dicens: *Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Ioan. 14. Facit enim charitatis diuinæ

çonſolatio in homine familiaritatis auſum: auſus guſtum: guſtus deſiderium, & ita contemptum omnium aliorum.

Sextum priuilegium eſt, quòd familiaritate Chriſti multum fuerit clarus. Cuius ſignum vnum eſt, quod ceteris Apoſtolis non audẽtibus excellentiſſimum donũ petere, ipſe petiuit, ſcilicet gaudiũ viſionis paternę. Magnę in Ioanne familiaritatis fuit indiciũ, quòd pro-
Ioan. 13. ditorem peteret: *Innuit ergo huic Simon Petrus, & dixit: Quis eſt, de quo loquitur?* quia ipſe petere non audebat. *Itaque cùm recubuiſſet ille ſupra pectus Ieſu, dicit ei: Domine, quis eſt?* Sed adhuc maioris familiaritatis fuit aduentum eius,& finem mundi inueſti-
Matt. 24. gare. *Dic nobis, quando hæc erunt? Et quod ſignum aduentus tui, & conſummationis ſæculi?* Et quòd patrem ſibi reuelari petierit, cùm
Exod. 33 Moyſi hoc petenti reſponſum ſit: *Non videbit me homo, & viuet.* Alterum ſignum, quòd Chriſtus magna ei reuelauerit ſe-
Ioan. 14. creta, dicens: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem.* Scilicet aut in via per fidem, aut in patria per claram viſionem.

Septimum priuilegium eſt, quòd in martyrij gloria Chriſto fuerit ſimilis. Nam cùm Hierapolim Phrygiæ veniſſet, pro Chriſti nomine cruci affixus, lapidibuſque obrutus eſt, Kalendis Maij.

Gloria

Gloria magna est sequi Dominum. Nos etiam vitia nostra crucifigamus, vt inter illos simus, de quibus Apostolus: *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis.* Eccli. 23. Gal. 5.

IN INVENTIONE S. CRVCIS.

Exordium:

Videbam, & ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia. Magna arbor, & fortis: proceritas eius contingens cælum: aspectus illius erat vsque ad terminos vniuersæ terræ. Folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius: & esca vniuersorum in ea. Subter ea habitabant animalia, & bestiæ, & in ramis eius conuersabantur volucres cæli: & ex ea vescebatur omnis caro. Dan. 4.

Moraliter:

Arbor hæc denotat crucem Christi. *In medio terræ:* fertur enim, quòd mons Caluariæ sub Æquinoctiali situs sit. *Cælum tăgit:* quia nulla est alia via ad cælum, nisi per crucem Christi. *Ad terminos terræ;* quia omnes ad se Christus vocat. *Fructus*

Digitized by Google

eius Christus est. *Volucres cœli* sunt beati. *Bestiæ* significant viatores, qui adhuc in terris degunt.

Euangelium:

Ioan. 3. *Erat homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Iudæorum. Hic venit ad Iesum nocte, & dixit ei: Rabbi, scimus, quia à Deo venisti, magister.*

Thema:

Ibid. *Nisi quis renatus fuerit.*

Oportunũ erit probare, Baptismum esse necessarium ad salutem, in re, vel in voto, vt medium (nam quòd diuino Christi præcepto sit necessarius, nulla controuersia est) ita vt si quis non baptizetur, pereat, etiãsi fortè ob ignorantiã excusetur à præuaricatione præcepti. De hoc Concilium Trident. *sess. 7. can. 2.* dicit: *Si quis dixerit, Baptismum non esse necessarium ad salutem, anathema sit.*

Ioan. 3. Probatur ex Scriptura: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Quæ verba non sonant præceptum, sed medium, vt Augustinus demonstrat *l. 1. de peccatorum merito & remissione, c.* 30. vbi hunc locum accuratè expendit.

Patet etiam ex ratione, quæ redditur: *Quod*

Quod natum est ex carne, caro est. Et: *Oportet* Ibid.
vos nasci denuò. Indicat enim Dominus, homines nasci carnales, & peccatores, atque adeò seruos peccati; & proinde necessarium esse remedium contra hæc mala, quod remedium deinceps erit Baptismus. Idem apertissimè conuincitur Num.21.
ex figura æneí serpentis, quam ibidem Dominus ponit. Vult enim ita remedium esse contra mortem æternam, renasci per fidem, & Baptismum suum; vt olim fuit serpens æneus remedium vnicum contra morsum serpentiũ. Itaque illud: *Nisi quis renatus fuerit*, &c. simile est, Ioan. 3.
ac si quis diceret: Nisi comedas, non viues: vel, Nisi pharmacum sumas, non conualesces. Ista enim non tam præceptum, quàm medium denotãt. Sed quæstio est: Quando Baptismus cœperit esse necessarius ad salutem?

Pro qua sit dogma primum: *Baptismus ante passionem Domini institutus est.* Negari non potest, quin aliquem Baptismum Christus in vsu habuerit ante passionem: nam dicitur: *Post hæc venit Iesus, & discipuli eius in terram Iudæam, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat.* Et: *Vt ergo cognouit* Ibid.
Iesus, quia audierunt Pharisæi, quòd Iesus plures discipulos facit, & baptizat, quàm Ioãnes (quamquam Iesus nõ baptizaret, sed discipuli eius, &c.) Ioan. 4.

Sed

Sed dubium esse potest: An ille Baptismus fuerit Sacramẽtum illud, quod nunc habemus, de quo fit mẽtio Matth. vlt. an verò fuerit præparatio quædam ad Baptismi Sacramentum postea instituendum, vt erat Baptismus Ioannis?

Et quidem Chrysost. *homil. 28. in Ioan.* Theophylactus *in cap. 3. Ioannis*, apertè docent posteriorem partem. Probabilior tamen est prior pars, & est communis sententia Theologorum, cum Magistro *in 4. d. 3.*

Ioan. 3. Probatur primò, quia Christus dicitur baptizasse, cùm tamen non ipse baptizaret, sed discipuli eius. Ergo ille Baptismus erat propriè Baptismus Christi, vt distinguitur à Baptismo Ioannis: alioqui non ipse, sed Ioannes diceretur eos baptizasse, quos discipuli Christi baptizabant. Adde, quod dicitur de Christo in

Ioan. 1. præsenti: *Hic est, qui baptizat in Spiritu S.*

Act. 19. Probatur secundò, quia legimus rebaptizatos, quos baptizauit Ioannes. At nusquam legimus rebaptizatos, quos discipuli Christi ante passionem eius baptizauerant. Imò probabilissimũ est (vt Aug. docet *ep.* 108) Apostolos non fuisse baptizatos, nisi ante Christi passionem.

Probatur tertiò, Patres docent, communi consensu, Christum, cùm baptizaretur

retur in Iordane, dediſſe aquis vim ſanctificandi: at certè non habuerunt aquæ vim ſanctificandi, niſi ab eo tempore, quo cœperunt eſſe materia Baptiſmi.

Dogma ſecundum: *Baptiſmus Chriſti inſtitutus eſt, quādo Dominus ipſe in Iordane à Ioanne baptizatus eſt.* Nō volumus dicere, Chriſtum in die ſui Baptiſmi verbis docuiſſe materiam & formam Baptiſmi; ſed tum primùm ſtatuiſſe, & decreuiſſe, quod poſtea declarauit Nicodemo, & alio tempore ſuis diſcipulis, vt aqua eſſet materia Baptiſmi, & forma eſſet inuocatio trium perſonarum diuinarum. Matth. 3.

Determinauit enim aquas ad Baptiſmi materiam, cum eas tactu mundiſsimæ carnis ſuæ cōſecrare, & illuſtrare dignatus eſt. Et ſimul determinauit formam, cū in eius baptiſmate tota Trinitas ſenſibiliter apparuit. Vbi etiam declaratus eſt effectus Baptiſmi à Chriſto inſtituti; nimirum quòd baptizatis aperiatur cælum, & à Patre in filios adoptantur, & à Spiritu S. replentur.

Dogma tertium: *Baptiſmus Chriſti nō fuit neceſſarius neceſsitate medij, aut præcepti, ante Chriſti mortem.*

Probatur, quia vſque ad Chriſti mortem lex antiqua vim ſuā retinuit; vt patet, quia Chriſtus eam ſeruauit vſque ad

mortem.

mortem. Nam pridie, quàm pateretur,
Matt. 23. seruauit cæremoniam Agni Paschalis: & monebat homines, vt seruarent, & facerent, quæ Scribæ & Pharisæi docebant ex cathedra Moysis. Quare illud Christi
Ioan. 3. verbum: *Nisi quis renatus fuerit,* &c. non significat, ab eo die, quo Dominus cum Nicodemo loquebatur, fuisse Baptismũ necessarium: sed significat, necessarium futurum fuisse in lege noua, postquam cessarent legales cæremoniæ. Similiter
Luc. 16. illud: *Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem,* non significat, tunc legem cessasse, quoad vim, & obligationem; sed quoad prædicationem: Ioannes enim fuit vltimus Prophetarum. Vnde subiungitur: *Ex eo regnum Dei euangelizatur.*

Præterea; In morte Christi cessauit efficacia cæremoniarum, & totius legis veteris. Ergo cessauit etiam vis Circumcisionis. Ergo vsq; ad tempus illud vim habuit lex vetus. Porro in morte Christi cessasse vim legis, patet ex Euãgelio:
Matt. 27. Ioan. 19. *Scissum est velum.* Et: *Consummatum est.* Item,
Rom. 7. ex Apostolo: *Mortificati estis legi per corpus Christi.* Item; Omnes ferè cæremoniæ le-
Colos. 2. Heb. 10. gis erant figuræ Christi. Christus autem in sua morte compleuit opus redemptionis.

Dogma quartum: *Baptismus Christi capit*

Digitized by Google

esse necessarius necessitate medij, & precepti, in die Pentecostes, vbi promulgatus fuit.

Nota, veterem legem simpliciter cessasse in morte Christi, quia tunc cessauit vniuersaliter ratio legis: tamen ob ignorantiam huius rei obligasse adhuc Iudæos vsque ad publicam promulgationem Euangelij: & contrà legem Euangelicam, & Sacramenta Christiana condita fuisse, & multùm profuisse ante Christi mortem; tamen non habuisse vim pręcepti, nisi post promulgationem solennem; vt Concilium Trident. dicit, *sess. 6. c. 4. de Baptismo.*

Et ratio est, quia promulgatio est de essentia legis, vt S. Thomas docet, 1. 2. *q. 90. art. 4.* Promulgatio autem solennis nouæ legis facta est in die Pentecostes.

Quod probatur primò, quia, vt diximus, lex vetus viguit vsque ad Christi mortem: ab eo autem tempore vsque ad Pentecosten, neque Christus, neque Apostoli publicè ad populũ locuti sunt.

Secundò, non debuit promulgari solenniter lex noua, nisi completis omnibus mysteriis redemptionis: mysteria autem completa sunt in ascensione Christi.

Tertiò, lex vetus solenniter promulgata fuit in monte Sina, die quinquagesimo

ſimo poſt Paſcha Iudæorum primum. Ergo lex noua promulgari debuit die quinquageſimo poſt primum Paſcha Chriſtianorũ. Fuiſſe autem illam legis promulgationem, figuram promulgationis Euangelij, docet Auguſt. *epiſt.* 119. Leo *ſermone* 1 *de Pentecoſte*, & alij.

Act. 1. Quartò, cócioni primæ, quam habuit S. Petrus ipſo die Pentecoſtes conueniunt omnes conditiones promulgationis ſolennis. Nam habita eſt in vrbe regia Ieroſolymorum, pręſentibus omnibus hominibus omnium nationum, à ſummo præcone Euangelij, qui erat Apoſtolus Petrus: & in ea concione comprehenſa ſunt præcipua capita totius doctrinæ Euangelicæ. Denique; Continuò etiam cœpit vſus Sacramentorum.

DE CRVCE.

DE Cruce ſciendum, ex tribus lignis eam factam fuiſſe, quorum vnum erat longũ, cui corpus adhærebat: alterum tranſuerſum, ſuperpoſitum longo, cui manus affigebantur: tertium lignum erat infixum in longo ligno, vt in eo pedes crucifixi ſtarent, & affigi poſſent. Id teſtatur Irenæus, *l.* 2. *c.* 42. Habitus, inquit, id eſt, figura crucis fines, & ſummitates habet

habet quinque, duas in longitudinem, duas in latitudinem; vnam in medio, in qua quiescit, qui clauis affigitur. Idem habet Iustinus, *in Dialogo cum Tryphone vltra medium*. Vtrum autem lignum transuersum suprapositum esset ligno longo, ita vt non emineret lignum longum sursum versus, non est certum: nam Beda *in quæst. in Gen.* vbi de victoria Abrahæ loquitur, dicit, crucem similem fuisse litteræ Græcæ T. qualem etiam olim fuisse Hebraicum Thau, docet Hieronymus *in c. 9. Ezechielis*. At B. Augustinus *epist.* 120. *c.* 26. dicit, lignum longum eminuisse supra transuersum. Et hoc est probabilius: nam est conformius verbis Irenæi, & verbis Apostoli: *Vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo & longitudo, sublimitas & profundum.* Sublimitas enim est pars ligni, vbi est titulus supra transuersum. Ephes. 3.

Modus crucifigendi communis non erat, vt multi putant, funibus alligando, sed clauis affigendo. Pictores verò solēt ferè solum Christum depingere clauis affixum; latrones autem, & S. Petrum, atque Andream funibus. Sed non ita est: omnes enim clauis figebantur; imò & omnes crucem suam ferebant, omnesque antea flagellis cædebantur. Adde,

quòdideo dubitabatur, quænam ex tribus repertis crucibus esset Dominica, quia omnes tres habebant similia foramina, & clauos.

De inuentione S. Crucis quatuor notanda sunt.

Primò, quòd non permiserit Deus lignum illud in mare mergi, vel flammis absumi. Quòd enim hostes Christianorum conati sint abolere crucem, eiúsque omnia vestigia, pat et ex eo, quòd altissimè crucem sub terra absconderunt, & in loco crucis, Veneris simulachrum; in loco resurrectionis, Iouis; in loco natiuitatis, Adonidis posuerunt; vt refert B. Hieronymus *in epist. ad Paulinum, de institutione Monachi*. Cur, quæso, non cremarunt crucem, cùm vellent, & possent, nisi quia Deus abstulit illis mentem, vt ad solatium piorum lignum pretiosissimum seruaretur?

Notandum secundò, quòd Deus eo tempore crucem inueniri voluerit, quo tutò poterat coli, nimirum ad initium Imperij Constantini. Nam, si antea reserata fuisset, regnantibus persecutionibus, magis ludibrio, quàm honore excepta fuisset: si autem diu postea, fraudata fuisset S. Crux debito honore.

Notandum tertiò, quòd per euidentia mira-

miracula demonstratum sit,esse veram crucem,& proinde crucis inuentionem ac reuelationem illam esse à Deo.Nam, cùm tres cruces simul inuentę fuissent, nec posset planè crux Domini à crucibus latronum internosci, admotæ fuerunt omnes tres ad quandam mulierem in extremis agentem, &,cùm duæ priores nihil egissent,tertia admota mulieri mox illam reddidit sanitati. Scribit hoc Ruffinus *l.*10.*hist.c.*8. Socrates *l.*1.*cap.*13. Theodoretus *l.*1.*c.*18.Sozomenus *l.*2.*c.*1. & Nicephorus *l.*8.*c.*29.Eodem tempore etiam virũ mortuum excitauit, vt scribunt Paulinus *epist.*11.*ad Seuerum*,Seuerus *l.*2.*hist.sacræ*,& Sozomenus *l.*2.*c.*1.

Notandum quartò,quòd Helena non ex se incitata sit ad crucẽ Domini quærendam, sed diuinis admonita reuelationibus. Sic enim testatur Eusebius *in Chronico*,quod Hieronymus Latinum fecit. Et idem Ambrosius,Ruffinus,Paulinus,Sulpitius,& alij dicunt.

Morale.

Ita exaltari oportet filium hominis. Ioan 3.

FVit autem passus Christus in cruce. Primò,propter exemplum virtutis.

Gen. 30. Oues Iacob, dum varium virgarum colorem aſpiciunt, maculoſas, & vario reſperſas colore oues pariunt. Ita nos humilitatem in cruce Chriſti aſpiciamus, patientiam, charitatem, obedientiam; & illa imitemur.

Gen. 32. Iacob ait: *In baculo meo tranſiui Iordanem iſtum.* Si nihil, niſi baculum, in via habebat, profectò illum frequenter manibus agitabat. Ita nos oportet de cruce Domini frequenter cogitare, & cum Apo-

Gal 7. ſtolo dicere: *Mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.*

Secundò, Chriſtus pependit in cruce, quia Eua in ligno peccauit: vnde ipſe in

Pſal.64. ligno ſatisfecit. *Quæ non rapui, tunc exolue-*

Gen. 44. *bam.* Et ſicut Ioſeph ſcyphum in ſacco Beniamin ligari iuſsit, & ob hoc eum comprehendere voluit: ita Dominus Ieſus ob peccata noſtra comprehenſus fuit, & illa ad montem Caluariæ tulit.

Tertiò, ideo in excelſo ligno, & non ſub tecto paſſus eſt, vt ipſius aëris natura mundetur; ſed & ipſa terra ſimile beneficium ſentiat decurrentis de latere ſanguinis ſtillatione mundata. Hoc ite-

Num.21 rum illa figura deſignat Euangelij: *Sicut*

Ioan. 3. *Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto: ita exaltari oportet Filium hominis, &c.*

Quartò,

Quartò, per hoc, quòd in altum moritur, aſcenſum nobis parat in cælum. *Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum.* Vnde & Zachæus, dum in arborem ſycomorum aſcendit, Saluatorem mundi vidit, & ab eo vocatus fuit. Ioan. 12. Luc. 19.

Quintò, quia hoc competit vniuerſali ſaluationi totius mundi. Sicut Dauid, dum baculo ſuo Philiſtæum ſuperat, vniuerſum Iſrael à ſeruitute eius liberat: ita Chriſtus Dominus diabolum in cruce vicit, & ita ab eius ſeruitute nos omnes liberauit. 1. Reg. 17.

Eſther cum duabus famulabus ad Aſſuerũ intrat, & cùm vultum Regis terribilem aſpiceret, corruit, & laſſum ſuper ancillulam reclinauit caput: at ille feſtinus exiliuit de ſolio, dicens illi: *Quid habes, Eſther? Ego ſum frater tuus, noli metuere. Et tulit auream virgam, & poſuit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eam.* Eſther humanum genus deſignat, quod innitebatur legi nouę, & ſequebatur illud vetus lex. Hoc, dum diuinę rigorem iuſtitiæ conſiderat, nimirum eſt, ſi non per humilitatem cadat. Sed Chriſtus Dominus, dum è cælo in terram exiliit, & carnem humanam aſſumẽdo frater noſter factus fuit; dum per pretioſum crucis lignum nos redemit, quid aliud, quàm oſculando Eſther 15

 pacem

Digitized by Google

pacem composuit? Et ita vniuersum genus hominum redemit.

IN ASCENSIONE DOMINI.

Exordium:

LEgimus in historiis Romanorum, quòd Romulus, cùm concionẽ haberet ante vrbem apud Capre paludem, repentè è conspectu ablatus sit. Discerptum aliqui à Senatu putant ob asperius ingenium: sed oborta tempestas, solisque defectio consecrationis speciem præbuere: cui mox Iulius Proculus fidem fecit, visum à se Romulum affirmans augustiore formâ, quàm fuisset: mandare præterea, vt se pro numine acciperent: Quirinum in cælis vocari placitum Diis: ita gentium imperio Roma potiretur.

Quantò magis nos Saluatorem nostrum Iesum colere debemus, qui ante vrbem Ierusalẽ, in monte Oliueti, dum disci-

discipulis suis loquitur, *videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum?* Act. 1.

Euangelium:

Recumbentibus vndecim discipulis, apparuit Mar. 16.
illis Iesus, & exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.

Thema:

Assumptus est in cælum. Ibid.

Occasione huius festi operæprecium erit errorem Lutheranorum refellere, qui Christum vbique esse docent.

Repugnat autem Vbiquitas ista primò expressis Scripturis, quæ dicunt Christum hominē ratione humanitatis alicubi non fuisse; & proinde non semper fuisse vbique.

Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, vt Ioan. 11.
credatis, quoniam non eram ibi. Et: *Non est hîc,* Matt vlt.
sed surrexit. Mar. vlt.

Repugnat secundò, illis Scripturis, quæ dicunt, Deum esse vbique, vt hoc modo illū discernant ab omnibus creaturis. *Cælum & terram ego impleo.* Et alibi: Iere 23.
Quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Psal 138.
Vnde Patres ex hoc Dei attributo probant, Spiritum sanctum esse verum Deum, non creaturam, quia scriptum

Digitized by Google

Sap 1. est: *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum.*

Repugnat tertiò Vbiquitas testimoniis, quibus Patres probant, in Christo duas esse naturas. Præcipuus enim locus

Ioan 3. est: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo.* Ex quo loco plurimi Patrum deducunt, Christũ esse Deum & hominem, quia, quando erat corpore solùm in terra, dicebat tamen se esse in cælo, nimirum Deitate. At si vera sit Vbiquistarum sententia, hoc argumentum nihil concludit. Nam dicerent Eutychiani ab Vbiquistis edocti, etiam carne tunc fuisse Christum in cælo, in terra, & vbique.

Præterea; Probant Patres, Christum Deum esse & hominem, ex illis locis, vbi dicitur Christus iter fecisse, ac mutasse loca, nunc naui, nũc pedibus, nunc etiam asello, cùm tamen, vt Deus vbique esset, & moueri nõ posset. At secundũ Vbiquistas ista omnia nihil probant. Nam, si Christi caro vbique erat, certè non poterat moueri, nisi metaphoricè: sicut Deus dicitur aliquando descendere de cælo in terram, quia apparet hominibus, non vbi non erat, sed vbi non videbatur. Nam moueri propriè de loco in locum, est deserere vnum locum, & acquirere alium: qui autem est vbique,

que, nec poteſt deſerere vnum, nec alium acquirere.

Repugnat quartò Vbiquitas articulis Symboli.

Ac primò conceptioni Chriſti. Nam fides habet, in ſolius Mariæ vtero fuiſſe carnem Chriſti. At ſecundum Vbiquiſtas mox à conceptione fuit illa caro in vteris omnium mulierum; imò & virorum: & proinde illa laus eſt communis omnibus: *Beatus venter, qui te portauit.* Luc. 11.

Secundò Natiuitati Chriſti. Docet enim fides, Chriſti corpus poſt nonum menſem prodiiſſe ex vtero in lucem, & ſic verè eſſe natum. At ſecundum Vbiquiſtas ante nonum menſem, imò primo die conceptionis fuit extra vterum; & poſt decimum menſem adhuc erat in vtero, imò inde nunquam exiuit.

Tertiò morti Chriſti repugnat. Fides enim requirit, vt in morte Chriſti, corpus & anima ſeparata fuerint; & corpus quidem in ſepulchro fuerit, anima verò ad infernum deſcenderit. At ſecundum Vbiquiſtas, in ſepulchro etiam erat anima cum corpore, & in inferno erat caro cum anima.

Quartò reſurrectioni Chriſti. Tradit enim fides, corpus poſt tres dies rediiſſe à morte ad vitam, & exiiſſe de monu-

Digitized by Google

mento clauſo, & intraſſe ad diſcipulos ianuis clauſis, quæ notantur ab Euangeliſtis, tanquam miracula. At ſecundum Vbiquiſtas nũquam exiit de ſepulchro Chriſtus, nec intrauit ad diſcipulos ſuos; ſed manifeſtauit ſolùm ſe extra ſepulchrum, quamuis ibi manſerit inuiſibiliter; nec intrauit ianuis clauſis ad diſcipulos, ſed tantùm fecit ſe viſibilem in loco, vbi erat viſibiliter.

Quintò Aſcenſioni Chriſti. Habet enim fides, Chriſtum in cælum aſcendiſſe, & inde venturum ad iudicium. At ſecundum Vbiquiſtas nec aſcendit, nec deſcendit. Porrò Catholici credunt, Chriſtum in verum cælum corporeum aſcendiſſe, ſiue maneat intra ipſum cælum, ſiue maneat ſupra, & extra omnes cælos. Iſta enim non ſunt certa. Illud certum eſt, Chriſti corpus nunc eſſe viſibile, & palpabile, & tantum ſpacium occupare, quanta eſt moles corporis, & eſſe in cælo iſto corporeo, ſiue ſit intus, ſiue ſuprà.

Probatur primò, quia Chriſtus ad illud cælum aſcendit, vbi eſt ſedes Dei. Pſal. 113. Illud autem cælum corporeum eſt. *Cælum cæli Domino: terrã autem dedit filiis hominum.* Vbi, cùm opponatur cælum terræ, & terra propriè accipiatur corporea iſta,

ista, quam calcamus, certè & cęlum propriè accipi debet. *Cælum mihi sedes est: terra autem scabellum pedum meorum.* Et: *Nolite iurare per cælum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum est pedum eius.* Et: *Pater noster, qui es in cælis.* Et infrà: *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra.* Vides, vbicunque dicitur cælum sedes Dei, semper opponi terræ, quam nos inhabitamus. Quæ antithesis apertissime docet, cælũ istud corporeum, quod supra nos cernimus, sedem esse Dei, & proinde ad hoc cęlum Christum ascendisse. Isa 66. Matth. 5. Matth. 6.

Probatur secundò ex historia ascensionis, quæ ita describitur in Scriptura, vt nõ possit vllo modo per tropos euerti, nisi quis impudens planè esse velit. *Videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Huc vsque non est locus tropis. Nam Apostoli viderunt eum euntem vsque ad nubes: quę autem videntur, corporea sunt, nisi fortè præstigiatorem faciant Christum. Quòd autem terminus, ac finis illius veri motus non esset nubes, patet: *Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cælum.* Christum autem verè peruenisse eò, quò ibat, testatur Marcus: *Et Dominus quidem Iesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei.* Itaque narrant Act. 1. Luc. 24. Mar. 16.

rant Euangelistæ initium, progressum, & finem ascensionis. Initium autem fuit verum, & propriũ, non metaphoricum, non phantasticum. Igitur & progressus, & finis vera, & propria fuerunt. Verè igitur, ac propriè Christus ascendit in cælum.

Probatur tertiò ex descensu de cælo ad iudicium. Nam de eo cælo descendet
Act. 1. ad iudicium, ad quod ascendit. *Ita veniet,*
Matt 24. *sicut vidistis eum euntem in cælum.* Et: *Tunc ap-*
1. Thes. 4 *parebit signum filij hominis in cælo.* Et: *Ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba*
2. Thes. 1 *Dei descendet de cælo.* Et: *In reuelatione Domini Iesu de cælo.* At certum est, Dominum non descẽsurum de cælo metaphorice, ita vt descendere de cælo sit relinquere gloriam, regnum, & maiestatem; quin potiùs tunc maxime apparebit in potestate magna, & maiestate. Igitur cælum, vnde descendet, non est regnum, & maiestas, sed locus quidam.

Probatur quartò ex loco Sanctorum. Nam ibi est homo Christus, vbi sunt, &
Ioan. 14. erunt sancti homines. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Si quò minùs, dixissem vobis, quia vado parare vobis locum. Et, si abiero, & præparauero vobis locum, iterum veniam, & accipiam vos ad meipsum, vt, vbi ego sum, & vos sitis.* At Sancti non erunt vbique, sed in certo

loco,

loco, & si in certo loco certè in nobilissimo, id est, in cælo. Ergo & Christus homo in eo loco est, & erit.

Repugnat quintò Vbiquitas cum ipso Sacramento Eucharistiæ. Nam si caro Christi est vbique, non egemus Eucharistia, & frustra imus ad templa, frustra recitamus verba cœnæ, frustra paramur ad illam cœnam, cùm domi habeamus in pane, & vino, & aliis omnibus cibis corpus Christi.

Morale.

Assumptus in cælum. Mar vlt.

CHristus ex monte Oliueti ascendit in cælum. Multi cum illo in cælum vellent ascendere; sed alios cum ipso montes nolunt subire.

Primus mons, quem priùs ascendere oportet, est ille, de quo scriptum est: *Assumit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem,* Matt. 1. *fratrem eius, & ducit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos.* Significat mons ille, propositum nos debere habere in omnibus actionibus gloriæ æternæ finem. Vnde Apostolus: *Sic currite,* 1. Cor. 9. *vt comprehendatis.* Et: *Ego sic curro, non quasi in incertum.*

Secun-

Secundus mons eſt, de quo legimus:
Matth.4. *Iterum aſſumpſit eum diabolus in montem excelſum valdè, & oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum*, &c. Significat contemptum
1.Cor.7. temporalium, iuxta illud: *Tempus breue eſt: reliquum eſt, vt, qui habent vxores, tanquam non habentes ſint: & qui flent, tanquam non flentes: & qui gaudent, tanquam non gaudentes: & qui emunt, tanquam non poſſidentes: & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur: præterit enim figura huius mundi.*

Matth.5. Tertius mons eſt: *Videns Ieſus turbas, aſcendit in montem, & cùm ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, & aperiens os ſuum, docebat eos.* Significat doctrinam vitæ, ad quam
Prou.1. nos adhortatur Sapiens: *Audi, fili mi, diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ, vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo*
Prou.4. *tuo.* Et alibi: *Fili mi, ne obliuiſcaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum cuſtodiat: longitudinem enim dierum, & annos vitæ, & pacem apponent tibi.*

Matt.14. Quartus mons eſt: *Dimiſſâ turbâ aſcendit in montem ſolus orare.* Significat intentio-
Matth.6. nem rectam in operibus bonis. *Cùm oratis, non eritis, ſicut hypocritæ, qui amant in ſynagogis, & in angulis platearum ſtantes orare, vt videantur ab hominibus: amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam.*

Matt.15. Quintus mons eſt: *Aſcendens in montem, ſedebat*

sedebat ibi. Tunc curauit cæcos, mutos, claudos, debiles, & alios multos: & quatuor millia septem panibus nutriuit. Significat opera misericordiæ. Ibi Christus dixit: *Misereor turbæ, quia iam triduo sustinent me*, &c. Et pauperum nullus nostrûm miseretur. Quò ditiores homines sunt, eò auariores.

Sextus mons est: *Et baiulans sibi crucem, exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ, locum.* Significat patientiam. *Qui non baiulat crucẽ suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.* Ioan. 19. Luc 14.

Septimus mons est, ex quo ascendit Dominus: *Vndecim autem discipuli abierunt in Galilaam, in montem, vbi constituit illis Iesus.* Matt. 28. Qualis ille mons fuerit, Lucas indicat: *Tunc reuersi sunt Ierosolymam, à monte, qui vocatur Oliueti, qui est iuxta Ierusalem, Sabbathi habens iter.* Act. 1. Si quis ergo ex hoc monte ascendere cum Domino desiderat, alios priùs necesse est, montes cum eo conscendat. Vnde matri petenti: *Dic, vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram, in regno tuo:* respondit Dominus: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* quasi dicat: Priùs laborandum erit in patientia, antequam sedendum in gloria. Matt 20.

IN FESTO S. BERNARDINI

Ordinis Minorum.

Exordium:

Num. 4. OLim tres familiæ Leuitarũ ad cultum Sanctuarij erant deputatæ, Gersonitæ, Meraritæ, Caathitæ. Quæ significant tria hominum genera, quæ ad colendum Deum in Christiana religione deputata sunt. Gersonitæ in profectione castrorum portabant cortinas, & tectum tabernaculi, & vela, & quæque tactu mollia: & in erectione castrorum ad occidentem, post tabernaculum castrametabantur. Hi sunt molles Christiani, qui non nisi leuia pœnitentię opera agunt, & proinde in humiliori gloriæ splendore locabuntur. Meraritæ portabant tabulas tabernaculi, & columnas, & vectes, & illa maximè, quæ dura erant, & media inter cortinas, & Sanctuarium: & in erectione tabernaculi ad Aquilonem castrametabantur. Hi sunt Christiani aliquantò perfectiores, qui multa bona opera faciunt; ad perfectionem

tamen

tamen religioſorum non pertingunt. Caathitæ portabãt ipſum Sanctuarium, id eſt, arcam, & altare, & menſam propoſitionis cum vaſis ſuis; inuoluta tamen, & cooperta: & in erectione tabernaculi caſtramẽtabantur ad Meridiem. Hi Religioſos ſignificant, qui dura pœnitentiæ onera ferẽtes, ceteris altiorem in cælis gloriam conſequentur. Talis etiã fuit S. Bernardinus. Prioribus duabus familiis iuſſit Dominus dari plauſtra: hi verò, qui ſeruiunt in tabernaculo, onera propriis portabant humeris: quia ſæculares à bonis tẽporalibus ſubſidium habent; Religioſi verò his deſtituti, tantò grauiùs in via Domini laborant, quantò magis à temporalibus ſe rebus elongant.

Euangelium:

Dixit Simon Petrus ad Ieſum: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Quid ergo erit nobis? Matt. 19.

Thema:

Secuti ſumus te.

Antequam ad vitam S. Bernardini accedamus, videndum erit, quid ſit Religio.

Religio eſt ſtatus hominum ad perfectionem Chriſtianam per paupertatis, continentiæ, & obe-

dientiæ vota tendentium. Sunt autem quædam notanda.

Primum est, verã perfectionẽ in charitate consistere. Perfectio enim vniuscuiusque rei in eo posita est, vt suo fini vltimo quàm arctissimè cõiungatur. Finis verò hominis Deus est. Charitas autem maximè vnit hominem cum Deo,
1. Ioan. 4 iuxta illud: *Qui manet in charitate, in Deo ma-*
Colos. 3. *net, & Deus in eo*. Et: *Charitas est vinculum perfectionis*: id est, vinculum, quod ligans hominem cum Deo, hominem reddit perfectum. Vel (vt Chrysostomus exponit) vinculum, quod ligans, & continens in homine omnes virtutes, hominem reddit perfectum. Vt enim spiritus humanus ligat, & continet omnes humores, & partes alioqui dilapsuras: ita Spiritus sanctus inhabitãs corda nostra per charitatem, continet omnes virtutes alioqui dilapsuras. Quod Apostolus osten-
1. Cor. 13. dit, dicens: *Charitas patiens est, benigna est, &* quæ sequuntur. Itaque Irenæus *l. 5. c. 6.*
1. Thess. vlt. exponens illud Apostoli: *Vt integer spiritus vester, & anima, & corpus conseruetur*, dicit, hominem perfectum tribus constare, corpore, anima, & Spiritu sancto inhabitante per charitatem. Vt enim, si desit ei corpus, vel anima, erit imperfectus in genere naturæ: ita, si desit charitas, erit imper-

imperfectus in genere moris. Et eo modo hunc locum intelligunt fere omnes Græci.

Denique, quòd charitas sit Christiana perfectio, ex eo patet, quòd ad eam omnia referantur: *In his duobus præceptis vniuersa lex pendet, & Prophetæ*. Et: *Finis præcepti, charitas*. Matt. 22. 1. Tim. 1

Notandum secundò ex Diuo Thoma *opusc. de perfectione*, quatuor esse gradus charitatis, proinde etiam quatuor esse gradus perfectionis. Dicitur enim perfectum id, cui nihil deest in ordine ad aliquem finem. Quare non repugnat, aliquid esse perfectũ & imperfectum, si cõparetur ad diuersos gradus, seu fines. Gen. 2. Vnde *fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita: Phison, Gehon, Tygrin, & Euphraten*.

Primus gradus est, diligere Deum, quantum est diligibilis, id est, infinito amore. Qui gradus soli Deo conuenit; & idcirco solus Deus in ordine ad istum gradum est perfectus. Angeli, & Sancti omnes imperfecti sunt: quanquam hæc imperfectio non est propriè dicenda priuatio, aut vitium, sed pura negatio.

Secundus est, diligere Deum, non quantum est diligibilis, sed quãtum potest creatura diligere: ita vt semper actu

Digitized by Google

de Deo cogitet, & ſine intermiſsione in eum per affectum feratur, & ne primos quidem motus cupiditatis ſentiat contra Deum. In hoc gradu verſantur beati, quorũ comparatione omnes alij ſunt imperfecti. Quare Apoſtolus, cùm dixiſ-
Philip. 3. ſet: *Quicunque perfecti ſumus, hoc ſentiamus*, idem ait: *Non quòd iam acceperim, aut iam perfectus ſim.*

Tertius gradus eſt, diligere Deũ, non quantùm eſt diligibilis, nec quantùm poteſt creatura quælibet abſolute diligere; ſed quantum poteſt creatura mortalis, quæ à ſe remouit omnia diuini amoris impedimenta, & totam ſe Dei obſequio conſecrauit. Qui in hoc gradu verſantur, imperfecti ſunt, reſpectu beatorum; ſed perfecti, reſpectu aliorũ hominum, etiam iuſtorum, & piorum.

Et hæc eſt perfectio, de qua loquuntur Theologi, cùm dicunt, ſtatũ Epiſcoporum eſſe ſtatum perfectionis adeptæ, & ſtatum religioſorum eſſe ſtatum perfectionis acquirendæ.

Quartus gradus eſt, diligere Deum, non quantũ eſt diligibilis, necquantùm poteſt creatura vel abſolute, vel in hac vita diligere; ſed tamẽ ita, vt nihil æque, aut magis, quàm Deũ diligat, id eſt, nihil admittat contrarium diuinæ dilectioni.

Et

Et hic gradus præceptus est omnibus, & quandam habet perfectionem, licet respectu superiorum sit imperfectus. Vnde dicitur: *Qui seruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est*. Et tamen Dominus ei, qui dicebat, se omnia præcepta Domini seruasse ait: *Si vis perfectus esse, vade, vēde omnia*, &c. Loquitur enim Ioannes de isto quarto gradu: Dominus autem de tertio, de quo nos in definitione agimus.

1. Ioan. 2

Matt. 19.

Notandum tertiò, instrumenta aptissima, atq; vtilissima ad hanc perfectionem acquirendam, esse illas tres virtutes: paupertatem, continentiam, & obedientiam. Nam, vt quis perfectè Deum diligat, debet & se totum Deo tradere, & omnia impedimenta remouere. Vtrumque consequimur per has virtutes.

Tradimus enim nos Deo totos, quando tradimus animam, corpus, & res externas: nihil enim habemus aliud. Tradimus autē animam per obedientiam, corpus per continentiam, & res externas per paupertatem. Ita Gabaonitæ offerunt se Iosue, dicentes: *Serui tui sumus*. Item; Per has virtutes remouentur omnia impedimenta diuini amoris. *Radix enim omnium malorum est cupiditas*: quemadmodum radix omnium bonorum est

Iosu. 9.

1. Ioan. 2

 chari-

charitas, vt Augustinus adiungit, *ser. 12. de verbis Domini*. Omnis autem mala cupiditas ad tria capita reuocatur, luxuriam, auaritiam, & superbiam. *Quidquid est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut est concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* Hos tres impedimentorũ fontes obstruunt tres virtutes illæ: concupiscentiam carnis continentiam; concupiscentia oculorum paupertas; superbiam vitæ obedientia.

1. Ioan. 2

Notandum quartò, non sufficere ad religionem has tres virtutes, nisi etiam accedat votum, id est, sacra promissio Deo facta, qua quis obstringat se perpetuò ita victurum. Religio enim est status quidam: status autem significat immobilem rem, & perpetuam. Gedeon trecentos tantùm milites elegit cõtra Madianitas, qui aquas lambuerant, sicut solent canes lambere. Et illi *stantes* erant *singuli in loco suo per circuitũ castrorũ hostilium.* Ita Religiosi per humilitatẽ se prosternere debent, ad lambendas aquas diuinę gratiæ: & per vota emissa contra hostes suos pugnando stare. Gladij designant verbum Dei. Lagenæ cogitationẽ mortis. Lampades castitatem. Obedientes etiam erant Gedeoni: & pauperes, quia nihil aliud, quàm iam dicta, habebant.

Iud. 7.

Morale de S. Bernardino.

PVerulus nutrici dixit: *Demus pauperi, quod mihi in cœna præstaretur*; cùm panis deesset.

Cùm alij adolescentes minùs honesta inter se conferrent, & Bernardinum accedere viderent, à sermone diuertentes, dicebant: *En Bernardinus adest.*

Anno ætatis 17. se recepit in hospitale *de la Scala*, in sodalitate B. Mariæ. Et anno 1400. sæuiente illa generali, & terribili peste, duodecim Religiosos ad se vocat, & ægrotis in omnibus deuote cum illis ministrabat: Deus tamen incolumem illum seruabat. Vnde Propheta: *Etsi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Psal. 22.

Anno 1404. ætatis 22. in Ordine Diui Francisci receptus est. Et eum vestiretur, Ioannes Tristorius, senex Ordinis Minorum, magna voce exclamauit: *Hodie miles strenuus datus est nobis, fructus vberrimos in horrea Domini congregaturus.*

Iuuenis, cum panem mendicaret, & à matrona ad turpia peteretur, nudã egregie flagello excepit. Laudabile sane fuit impudentem eius libidinē honesta vincere fraude. Sicut Athanasius Episco-

pus Alexandrinus, cum à muliercula accusaretur, quòd stuprum illi intulisset, introduxit secum Timotheum Presbyterum: qui simulans se Athanasium esse: *Egone, inquit, mulier apud te sum diuersatus? Egone te violaui?* Cui illa petulanter: *Tu mihi vim attulisti*, idque iureiurando affirmans, iudicum fidem obtestabatur, vt tantum flagitium vindicarent. Qua cognita fraude, reiecta est mulieris impudentia.

Bernardinus Sacerdos factus ignitas ad populum habebat conciones: & ideò solem manu gestans pingi solet. Fabro etiam tesserario ob conciones illius de inopia lucri conquerenti, circino circulum expressit, in eoq; Solem depinxit, & in medio Solis sacrosanctum nomen Iesu. Hanc effigiem iussit illum fabrum sua arte imitari, ex qua pauper diues factus est. Romæ quoque de illo nomine sublimiter concionatus, quidam hæresin ei impingere conati sunt. At postero die, in confirmationem concionis præcedentis, nomen Iesu miro splendore coruscans super illum concionantem apparuit.

Vitia acriter perstringebat, iuxta illud S. Francisci 9. cap. Regulæ: *Annunciando eis vitia, & virtutes, pœnam, & gloriam cum breuitate*

uitate sermonis. Cúmque Principem Mediolanensem grauiter offendisset, & minas illius non curaret: ipse, vt insigni Bernardinum ignominiâ afficeret, misit illi poculum aureis nummis refertum. Illo autem recusante, iterum, atque iterum ad illum remisit. Tum Bernardinus virum nobilem munus adferentem se sequi iussit, & ad carcerē duxit, vbi magnam multitudinem obæratorum pecunia ista redemit. Duobus autē adhuc manentibus in carcere promisit se in illorum locum successurum. Quo cognito gratis redempti sunt.

Sicut Mitradates olim apud Romanos Cyzicum vrbē obsidebat. Sed fiduciam opidanis resistēdi nuncius fecit docens aduentare Lucullum: qui horribile dictu per medias hostium naues vtre suspensus, & pedibus iter adgubernans, videntibus procul, quasi marina pistrix, euaserat. Mox clade conuersa, cùm ex mora obsidentem Regem, & ex fame pestilentia vrgeret, recedentem Lucullus assequitur, adeoque cecidit, vt Granicus, & Asapus amnes cruenti redderentur. Rex callidus, Romanæque auaritiæ peritus, spargi à fugientibus sarcinas, & pecuniam iussit, quâ sequentes moraretur.

Cùm fama sanctitatis eius longè lateque dimanaret, à tribus ciuitatibus Senensi, Ferrariensi, & Vrbinate, Episcopus electus est. Quin & Pontif. Eugenius IV. suis manibus mitram capiti eius imposuit. Sed ille humiliter eum rogauit, ne vellet eum compedibus illis à salute proximi vincire.

Romam quandoque ad concionem iturus, in ipso itinere claudum miserabili voce opem eius implorantem vidit. Cui Bernardinus: *Credis, inquit, in Christi nomine me tibi sanitatem reddere posse?* Illo respondente: *Credo vtique, posse me à Deo per preces tuas illam adipisci.* Tum vir sanctus porrectâ manu è terra illum subleuauit, prorsusque incolumem à se dimisit.

Post hæc in Apuliam iturus, in ipso itinere morbo prægrauatus, Aquilam declinauit, vbi in quodam Ordinis sui cœnobio lætus ex mortali corpore ad cælos migrauit, anno ætatis suæ 63. Corpus eius, cùm Fratres Senas deferre vellent, quamplurimi piis clamoribus totam ciuitatem repleuerunt: *Mortuus est vir sanctus, Bernardinus.* Quidam autem furibus virtute aquæ, quâ corpus eius ablutum fuerat, auditum recepit. Duo etiam claudi ad funus illius sanati sunt, quorum alter Antonius de Bagno vocabatur.

tur. Det nobis Deus eius sequi vestigia, vt cum ipso aliquando regnare possimus in patria. Amen.

IN FESTO PENTECOSTES.

Exordium:

Dixit Elias ad puerum suum: *Ascende, & prospice contra mare*. Cumque septima vice contemplatus esset, *Ecce nubecula parua, quasi vestigium hominis, ascendebat de mari*. Et mox *cæli contenebrati sunt, & nubes, & ventus, & facta est pluuia grandis*. 3. Reg. 18.

Moraliter:

Nubecula ascendens de mari fuit humanitas Christi, quæ de pœnalitate fluctuum nostræ iniquitatis ascendit ad cælum: & postmodum in die Pentecostes facta est pluuia gratiarum in mundum, quâ priuatus exiterat per quinque millia annorum: & ita corda fidelium tali pluuiâ madefacta germinauerunt, veluti campi, fructus Deo gratos, quibus mediantibus ad patriam redituri sumus.

Euange-

Euangelium:

Ioan. 14. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.*

Thema:

Ibid. *Paraclitus autem Spiritus ſanctus.*

Occaſione feſti huius probandũ eſt, Spiritum ſanctum eſſe verum Deum: id quod aduerſarij tametſi negant, tamen non magnopere de eo laborant. Ipſi enim contendunt pro excellẽtia Patris: ſed ſi ea excellẽtia tolli debeat propter confeſsionem alicuius Perſonæ æqualis Patri, parum referre credunt, vtrum ea Perſona ſit vna, vel duæ. Itaque Valentinus Gentilis ſemper fere dicebat, de Spiritu ſancto non eſſe quæſtionem. Tranſyluani autem *l.2.c.5.* negant quidem Spiritum ſanctum eſſe adorãdum, aut vocandum Deum, tamen non accurate id probant, nec refellunt cõtraria.

Prima itaque claſsis argumentorum ad probandam Spiritus ſancti diuinitatem, ex Teſtamento veteri ſumitur.

Hæc ſunt verba nouiſsima, quæ dixit
2. Reg. 23. Dauid: *Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo eius per linguam meam. Dixit Deus Iſrael, qui mihi locutus eſt, fortis Iſrael, dominator hominum.* Vbi aperte vides, illum ipſum, qui dicitur Spiritus Domini, eundem dici

Deum

Deum Israel: ex quo sequitur, vt sit Deus verus.

Secunda classis ex nouo Testamento, ex quo vnus etiam locus sufficiat: *Euntes baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Non enim Dominus copularet cum Patre, & Filio Spiritum S. si creatura esset. Deinde, vt S. Gregorius Nazian. ratiocinatur *oratione 5. de Theolog.* quomodo posset Spiritus sanctus per Baptismũ nos regenerare, & Deos quosdam facere, nisi ipse esset verus Deus? nam *gratiam & gloriam dabit Dominus.* Matt. vlt. Psal. 83.

Tertia classis ex vtroque simul Testamento clarissimum nobis testimonium prębet. Nam illũ ipsum, quem Isaias vocat Dominũ exercituũ, quémq; omnes fatentur esse Deum verũ, illum ipsum, inquã, Apostolus, dicit esse Spiritum S. *Dicit Dominus exercituum Isaiæ: Vade, & dic populo huic, audite audiẽtes, & nolite intelligere,* &c. Et Apostol. *Bene Spir. S. locutus est per Isaiam dicens: Vade ad populũ istũ, & dic eis: Aure audietis, & non intelligetis,* &c. Præterea; Omnes Prophetæ, cũ sermones suos ad populũ explicarẽt, nonne identidẽ repetebant: *Hæc dicit Dominus Deus?* At: *Spiritu S. inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* Igitur ille Dominus Deus erat Spiritus sanctus. Quarę Zachar. ait: *Benedictus Dominus Deus Israel.* Isa. 6. Act. vlt. 2. Pet. 1. Luc. 1.

Et

Et mox: *Sicut locutus est per os Sanctorum, qui à sæculo sunt, Prophetarum eius.* Quibus verbis non potuit clarius Zacharias exprimere, Spiritum sanctum esse ipsum Dominum Deum Israel: quibus vocibus verum Deum significari, aduersarij passim testantur.

Quarta classis ex nominibus est: ex qua sumuntur tria argumenta.

Primum negatiuum, quia nusquam in Scriptura Spiritus sanctus dicitur creatura, aut factus; cùm tamen multis in locis enumerentur præcipuæ creaturæ: vt in cantico puerorum, & in isto
Dan. 3. Psal. 148. Psalmo: *Laudate Dominum de cælis*, &c. Vbi excitantur omnes creaturæ ad laudem Dei, & nominatim Angeli, cæli, aquæ, homines, bestiæ, &c. Spiritus verò sancti nulla mentio fit. Enumerantur etiam
Colos. 1. nobilissimæ creaturæ ab Apostolo, *throni, dominationes, potestates, principatus*, & ab
1. Pet. 3. alio: *Profectus est in cælum (Christus) subiectis sibi Angelis, & potestatibus, & virtutibus.* Quibus locis debuisset omnino etiam Spiritus sanctus nominari, si creatura esset, & ipso Filio Dei minor, vt aduersarij docent.

Alterum argumentum sumitur ab ipso nomine Dei: nam solus Deus verus in Script. dicitur absolutè Deus. At Spiritus

rius sanct. vocatur absolutè Deus: *Ananía, cur tentauit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto? Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Ecce expressum nomen Dei tributum Spiritui sancto contra mendacium Transyluanorum *l.2.c.5.* vbi dicunt nusquam expressè vocari Deum Spiritum sanctum. Act.5.

Tertia ex cōfessione aduersariorum: nam Ariani eraserant ex suis codicibus illa verba: *Spiritus est Deus*, vt testatur Ambrosius *l.3. de Spiritu sancto, c.11.* Ergo putauerunt Spiritum sanctum in Scriptura Deum esse appellatū. Si enim putabant, sensum esse: Deus est spiritualis naturæ: quare illa verba deleuerunt? Sed magis eis nocuit litura sua, quàm littera Dei: siquidem verba illa Dei non necessariò de Spiritus sancti persona sunt intelligenda: at litura illa clamat, hæreticos Arianos in reprobum sensum datos, in Spiritum sanctum peccare, cùm malint Scripturas sanctas delere, quàm errores suos deponere. Ioan.4.

Quinta classis constat ex attributis. Nam solus Deus est immensus, & vbique. At de Spiritu sancto legimus: *Quò ibo à Spiritu tuo? Et: Spiritus Domini repleuit orbem terrarum.* Psal.138. Sap.1.

Solus Deus est omnipotens. At de Spiritu

Sap. 7. Spiritu sancto legimus: *Omnem habens virtutem.*

Solus Deus cognoscit seipsum perfectè. At de Spiritu sancto legimus: *Nemo scit, quid sit in Deo, nisi Spiritus Dei.* Et rursum: *Spiritus scrutatur omnia, etiam profunda Dei.* 1. Cor 2.

Solus Deus templum habet. At de Spiritu sancto legimus: *Membra vestra templum sunt Spiritus sancti.* Et ita: *Portate, & glorificate Deum in corpore vestro.* 1. Cor. 6.

Sexta classis sumitur ex operibus. Nam primò solius Dei opus est creatio. Et tamen legis: *Spiritus Dei fecit me.* Et: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Et: *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur.* Iob 33. Psal. 32. Psal. 103.

Secundò, solius Dei est conseruare: & tamen legis: *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc πνεῦμα, quod continet omnia, &c.* Sap. 1.

Tertiò, solius Dei est saluare, & iustificare: & tamen legis: *Iustificati estis in nomine Domini Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri.* 1. Cor. 6.

Quartò, solius Dei est futura prædicere, & scrutari corda. Et tamen legis: *Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Et: *Renum illius testis est Deus, & cordis illius scrutator est verus, quoniam Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc, quod continet omnia,* 2. Pet. 1. Sap. 1.

omnia, scientiam habet vocis. id est, ideo Deus scrutatur corda, quia Spiritus eius est vbique, omnia penetrat, omnia nouit genera linguarum, etiam quæ in intimo corde sunt.

Quintò, solius Dei est miracula facere. At Christus ipse *in Spiritu Dei eiiciebat dæmonia.* Et Paulus auctorem facit doni linguarum, sanitatum, &c. Spiritum S. Et omnia miracula, quæ per Apostolos fiebant, vocat *Spiritus sancti distributiones.* Matt. 12. 1. Cor. 12. Heb. 2.

Sextò, solius Dei est, Ecclesiam regere absolutâ potestate. At Spiritus sanct. gubernat Ecclesiam, quæ est regnum Christi, planè vt Dominus absolutus, & non minùs, quàm Pater & Filius. Dixit Spiritus Petro: *Ecce viri tres quærunt te. Surge itaque, & descende, & vade cum eis nihil dubitans, quia ego misi eos.* Et: *Dixit Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.* Et paulò pòst: *Et ipsi quidem missi à Spiritu sancto abierunt Seleuciam*, &c. Et: *Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris*, &c. Et Saulus, & Timotheus *vetati sunt à Spiritu sancto loqui verbum in Asia.* Et Paulus ad maiores natu Ecclesiæ: *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Et: *Omnia operatur vnus, atque idem Spiritus diuidens singulis, prout vult.* Act. 10. Act. 13. Act. 15. Act. 16. Act. 20. 1. Cor. 12.

Morale.

Ioan. 14. *Paraclitus autem Spiritus ſanctus.*

QVòd ſi Spiritum ſanctum Deum creditis, cur ergo eum triſtitia afficitis, reſiſtitis illi, contemnitis; imò occiditis?

Gen. 49. Dixit Iacob ad Ruben: *Ruben primogenitus meus: tu fortitudo mea, & principium doloris mei.* Quare, quæſo? *Quia aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum eius.* Nimirum

Gen. 35. quando *dormiuit cum Bala, concubina patris ſui: quod illum minimè latuit.* Nos, quoties in peccata incidimus, toties creaturis Dei nimis adhæremus, & ita Spiritui ſancto dolori ſumus: & ideo nobis etiam dicet

Gen. 49. verba Iacob: *Non creſcas.*

Num. 22 Cùm Balaam proficiſceretur ad Balac, Regem Moab, ſtetit Angelus Domini in via contra eum, euaginato gladio, & ait: *Ego veni, vt aduerſarer tibi, quia peruerſa eſt via tua, mihiq; cõtraria.* Nos etiam, quando peccamus, in terrã Moab tendimus. Aduerſatur nobis ſæpe Spiritus ſanctus, & gladium minatur furoris ſui, & nos (eheu cæci!) non videmus. Aſina autem etiam percuſſa ter, tranſire nolebat, ſed Balaam Angelum non aduertebat. Ita

bruta

bruta animantia instinctu naturæ à Deo inditæ, non audent se opponere: sed homo per peccata sua Deum non timet offendere.

Achab, Rex Israel, cùm pepercisset Benadad, Regi Syriæ, occurrit ei in via Propheta, qui *aspersione pulueris os, & oculos suos mutauerat*, & in parabola illum admonuit. *Sed reuersus est Rex in domum suam audire contemnens, & furibundus venit in Samariam.* Quando peccata non delemus per pœnitentiam, quid aliud nos, quàm Regi Syriæ parcimus? Venit ad nos Spiritus sanctus, & mutat aspersione pulueris os, & oculos suos, quia mittit ad nos frequẽter cõcionatores pauperes, & mendicantes, qui nos admonent: nos autem contemnimus audire, & in domum reuertimur, quia monitiones eorum contemnimus, & ad desideria nostra, & peccata redimus. Quid dico, cõtemnimus? Sæpe etiam Spiritum sanctum, quantùm in nobis est, occidimus. Noë, quando aperiens fenestram arcæ, coruum dimisit, egressus est coruus, sed non reuersus, quia in aqua submersus fuit. Nos etiam, quando peccato consentimus, quasi ad aquas fenestram animæ aperimus: per illam Spiritus sanctus dimittitur, & non reuertitur, sed per peccata

3. Reg. 20.

Gen. 8.

nostra (eheu!) à nobis alienatur. Si igitur Spiritum sanctum Deum credimus, vt Deum eum honoremus, vt aliquando ab eo coronemur. Amen.

FERIA II.
PENTECOSTES.

Exordium:

Apoc. 22 *ET ostendit mihi fluuium aquæ vitæ, & splendidum, tanquam crystallum, procedentem de sede Dei, & Agni. In medio plateæ eius, & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, & folia ligni ad sanitatem Gentium.*

Moraliter:

Fluuius iste denotat Spiritũ sanctum, qui suo splendore viam pandit æternæ
Psal. 15. vitæ, quæ prius ignota erat: *Notas mihi fecisti vias vitæ.* Hic procedit à sede Dei Patris pariter, & Agni: quia Spiritus sanctus à Patre & Filio procedit. Fluit etiam in medio plateæ, quia per sanctam Ecclesiam Catholicam decurrit in canalibus sanctorum Doctorũ. Habet hoc flumen duo

duo latera, & in vtroque est lignum vitæ: quia Spiritus sanctus duas habet vitas, contemplatiuam & actiuam, & in vtraq; est spiritualis refectio animarum, & æterna retributio. Producit hoc lignum duodecim fructus, qui sunt duodecim fructus Spiritus sancti. Iste fluuius fœcunditate sua omnia implet; sua velocitate omnia subitò mutat; sua claritate omnia mundat, & clarificat.

Euangelium:

Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Ioan. 3.

Heri sextuplicia argumenta in medium adduximus, vt Spiritus sancti diuinitatem probaremus: vnum adhuc, aut alterum ponamus.

Thema:

Sic Deus dilexit mundum.

Septima itaque clasis argumentorum constabit ex comparatione Spiritus sancti ad Christum. Nam, si probemus Spiritum sanctum maiorem esse Christo, quatenus Christus homo est, probatum quoque erit, Spiritum sanct. vnum esse Deum cum Patre: siquidem aduersarij nihil omninò esse volunt

Christo, quem nudum hominē faciunt, maius, præter Deum Patrem.

Esse igitur Spiritum sanctum, homine Christo maiorem, omnibus illis demonstratur argumentis, quibus aduersarij probant, Deum Patrem esse Christo maiorem.

Primò, maior est Pater homine Christo, quia eum misit: *Testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater.* At eundem misit Spiritus sanctus: *Et nunc Dominus meus misit me, & Spiritus eius.*
Ioan. 8.
Isa. 48.

Secundò, Pater sanctificauit Filium: *Quem Pater sanctificauit, & misit in mundum.* Sanctificauit etiam Spiritu sanctus: *Spiritus Domini super me, eò quòd vnxerit me, euangelizare pauperibus misit me.*
Ioan. 10.
Isa. 51.
Luc. 4.

Tertiò, Pater Filij incarnationē operatus est: *Misit Filium suum in similitudinem carnis peccati.* Idem operatus est Spiritus sanctus: *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.*
Rom. 8.
Matth. 1.

Quartò, in virtute Patris Filius faciebat miracula: *Pater in me manens ipse facit opera.* Et de Spiritu sancto dicit: *Si ego in Spiritu Dei eiicio dæmonia.*
Ioan. 14.
Matt. 12.

Quintò, Pater Filium obtulit ad mortem: *Sic Deus dilexit mundum, &c.* Et: *Proprio Filio suo non pepercit.* Idem fecit Spiritus sanctus: *Per Spiritū sanctū obtulit semetipsum.*
Ioan. 3.
Rom. 8.
Heb. 9.

Sextò,

Sextò, Pater suscitauit filium à morte. Idem Paulus dicit de Spiritu sancto: *Spiritus eius, qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in nobis.* Act. 2. Rom. 8.

Septimò, grauius est peccare in Spiritum sanctum, quàm in Christum hominem. Ex quo planè sequitur, maiorem esse Spiritum sanctum Chrsti humanitate: ac proinde esse Deum verum. Matt. 12.

Octaua classis argumentorum sumitur ex Patribus.

Nona constat ex miraculis. Vnum insigne est apud Gregorium Turonẽsem *l. 2. hist. Franc. c.* 3. Cùm in Africa Cirola, quidam Patriarcha Arianorum, Catholicos persequeretur, & eodem tempore tres sancti Episcopi, Eugenius, Vindemialis, & Longinus, qui præter ceteros ei resistebãt, miraculis omnes coruscarent, voluit etiam hæreticus miraculum facere. Itaque cuidam quinquaginta aureos numerauit, vt se cæcum fingeret: sed dum transeunte per viam Cirolâ, ille cæcum se simulans Cirolæ auxilium postularet, accessit Cirola, & oculos eius tetigit, imperans, vt videret in signum veritatis, quam prædicabat: repentè verò tantus ardor oculos illius miseri occupauit, vt coactus fuerit manibus eos comprimere, ne è fronte exsilirẽt: tum

verò detexit dolum, & fidem Catholicam alta voce confeſſus, à S. Eugenio ſigno crucis repentè curatus eſt.

Morale.

Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum.*

IAm verò, vt virtutem Spiritus ſancti cognoſcamus, Samuelem loquentem audiamus ad Saul: *Inſiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium.* Nos etiam, ſi Spiritum Domini in nos inſilire velimus, in virũ alium mutemur oportet. Qui auari, fiant liberales: qui ſuperbi, humiles: qui iracundi, manſueti: qui impudici, caſti: qui tepidi, feruentes. 1. Reg. 10.

Apoſtoli, quando Spiritum ſanctum acceperunt, quomodo in viros alios mutati! Antequam acceperant Spiritũ ſanctum, *Diſcipuli omnes relicto eo fugerunt.* At poſtquam illum acceperant, *ſtans Petrus cum vndecim, leuauit vocem ſuam, & locutus eſt eis.* Matt. 26. Act. 2.

Luc. 24. Antea dicebatur illis: *Sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Sed poſtea *ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.* Act. 5.

Antea

Antea *fores erant clausæ, vbi erant discipuli congregati, propter metum Iudæorum.* At postea: *Angelus Domini per noctem aperiens ianuas carceris, & educens eos, dixit: Ite, & stantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ huius.* Ioan. 20. Act. 5.

Antea Petrus vnius vocem ancillulæ expauit, quæ dicebat: *Et tu cum Iesu Galilæo eras. At ille negauit coram omnibus, dicens: Nescio quid dicis.* At postea nec Principem Sacerdotum, nec concilium timuit, sed *Petrus, & Apostoli dixerunt: Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.* Matt. 26. Act. 5.

Antea vnam tantùm linguam nouerant, adeò vt ideo proderetur Petrus, cui dicebant: *Verè tu ex illis es: nam & loquela tua manifestum te facit.* At postea *cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* Matt. 26. Act. 2.

Antea interrogabat eos Iesus: *Quid in via tractabatis? At illi tacebant: siquidem in via inter se disputauerant, quis eorum esset maior.* At postea gaudebant, *quia digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Mar. 9. Act. 5.

Antea accesserunt ad Iesum discipuli eius, dicentes: *Edissere nobis parabolam zizaniorum.* Et alibi Petrus dixit ei: *Edissere nobis parabolam istam. At ille dixit: Adhuc & vos sine intellectu estis?* Sed postea per Spiritum sanctum illuminati sunt, adeò vt Scripturas ipsi tunc exponerent. Matt. 13. Matt. 15. Act. 2.

Antea non poterant eiicere dæmo-
Matt.17. nium: *Obtuli eum discipulis tuis, & non potue-*
Act.5. *runt curare eum.* Sed postea *currebat multitudo vicinarum ciuitatum Ierusalem, afferentes ægros, & vexatos à spiritibus immundis, qui curabantur omnes.*

Antea nō nisi mollitiem quærebant, & mortem fugiebant, adeò vt, cùm Iesus passionis suæ mentionem faceret,
Matt. 16. *assumens eum Petrus, cœperit increpare illum, di-*
Matt.17. *cens: Absit à te, Domine: non erit tibi hoc.* Et: *Faciamus hîc tria tabernacula.* At postea omnes ferè pro nomine Iesu sanguinem suum fuderunt, omnes pro Christi nomine mortui sunt.

Si ita per Spiritum sanctum Apostoli mutati fuerint, æquum est, nos etiã mu-
Gen. 35. tari. *Iacob conuocatâ omni domo suâ, ait: Abiicite Deos alienos, qui in medio vestri sunt, & mundamini, ac mutate vestimenta vestra.* Nos etiam Deos alienos abiicere debemus, id est, terrenorum affectum relinquere; mundari à peccatis; & vestimenta, id est, opera externa in meliora mutare; & tunc in Bethel poterimus ascendere, id est, Spi-
Gen. 41. ritum sanctum recipere. Ita etiam *ad Regis imperium eductum de carcere Ioseph totonderunt, ac veste mutatâ obtulerunt ei.* Nos quando de carcere peccatorum educimur, tondere debemus desideria carnalia, ac

mutato

mutato veteri homine in nouum, ad recipiendum Spiritum sanctum offerri, vt per ipsius gratiam tandem mereamur in æterna tabernacula deduci. Amen.

FERIA III.

PENTECOSTES.

Exordium:

LEgimus in historiis Romanorum, quòd Romulus & Remus gemini erant. Itaque in condenda noua Vrbe vter auspicaretur, & regeret, adhibere placuit Deos. Remus montem Auentinum, Romulus Palatinum occupauit. Prior ille VI. vultures; hic postea, sed duodecim vidit. Sic victor augurio Vrbem excitat, plenus spei bellatricem fore: ita illi assuetæ sanguini, & prædæ aues pollicebantur.

Moraliter:

Nos omnes fratres sumus, & æquale ius ad regnum cælorum habemus. Quis tamen occupabit illud? Eamus ad montem Oliueti, & accipiamus cum Apostolis dona Spiritus sancti, qui meliùs secun-

secundum illa operabitur, dignior ille Rex in cælo coronabitur. Eamus, quia
Ioan 10. vocat nos pastor bonus: *oues vocem eius audiunt, & sequuntur eum.*

Euangelium:

Ibid. *Amen, amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro.*

Thema:

Ille fur est, & latro.

Superioribus diebus diuinitatem Spiritus sancti probauimus, nunc argumenta hæreticorum refutabimus.

Transsyluani *l. 2. c. 5.* nihil ferè aliud adferunt aduersus diuinitatem Spiritus sancti, quàm quòd nusquam in Scriptura appelletur Deus, aut Dominus: quod argumentum fuit veterum Arianorum, teste Gregorio Nazian. *lib. 5. de Theologia.* Sed facile est respõdere. Nam & falsum est, non vocari Deum, cùm legamus:
Act. 5. *Anania, cur tentauit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto. Non es mentitus hominibus, sed*
1. Cor. 6. *Deo.* Et: *Membra vestra templum sunt Spiritus sancti.* Et paulò infrà: *Glorificate ergo, & portate Deum in corpore vestro.* Et præterea, licet nomen, Deus, in Scriptura non haberetur, nonne satis esse deberet, si euidẽter ostenda-

ostendatur in Scriptura ex operibus Deo soli propriis, Spiritũ sanctum esse Deum? Quid, quòd Scriptura nusquam dicat, Spiritum sanctum esse creaturam; & tamen aduersarij audacter Spiritum sanctum creaturam appellant?

Veteres Ariani obiiciebant quædam loca Scripturæ, quæ tamen facilè à sanctis Patribus explicabantur.

Primò, obiiciebant illud: *Ego firmans tonitru, & creans spiritum.* Sed respondit Basilius *l. 3. in Eunonium*, ventum eo loco spiritum esse vocatum, non Spiritum sanctum. Sicut in Psalmo dicitur, *Spiritus procellarum.* Eodem modo exponunt omnes interpretes eius Prophetæ, vt Hieronymus, Theodoretus, Rupertus. Amos 4. Psal. 148.

Secundò obiiciebant illud: *Ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Respondit Augustinus *l. 1. cõtra Maximinum, non longè à principio*, his verbis: Intellige, inquit, locutionem, blasphemiam deuitabis. Sic enim dictum est: *gemitibus interpellat*, vt intelligeremus; gemitibus interpellare nos facit. Denique alio loco Apostolus, cùm dicit: *Clamantem, Abba, Pater*, exposuit, quid sit, *clamantem, Abba, Pater*, dicendo: *In quo clamamus, Abba, Pater*: ac per hoc quid est, *clamantem*, nisi, clamare facientem? Hæc ille. Chrysostom. Rom. 8. Gal. 4. Rom 8.

quoque

quoque *homilia decima quarta in epistolam ad Romanos* per Spiritum sanctum clamantem intelligendum esse docet donum orationis, quo anima clamat, ac gemit.

Ioel. 2. Ioan. 15. Tertiò obiiciebant illud: *Effundam de Spiritu meo*. Et: *Cùm venerit Spiritus veritatis, quem ego mittam vobis à Patre*, &c. Nam vt refert Augustinus *lib. 2. de Trinitate, cap. 5.* Ariani docebant, eum, qui mittitur, minorem esse eo, à quo mittitur: & quoniam legebant, Filium missum esse à Patre; Spiritum sanctum verò à Patre & Filio; inde colligebant, Filium minorem esse Patre, & Spiritum sanctum vtroque. Sed respondet Augustinus, missionem per modum imperij significare excellentiam mittentis; non autem quamlibet missionem. Ita Dominus ad Samuelem: *Imple cornu tuum oleo & veni, vt mittam te ad Isai Bethlehemiten*. Et Samuel ad Isai: *Mitte, & adduc eum*. *Misit ergo, & adduxit eum*. *Misit* etiam *Saul nuncios ad Isai, dicens: Mitte ad me Dauid, filium tuum*. Et ipse munera *misit per manum Dauid, filij sui Sauli*. Porrò Filius & Spiritus sanctus non mittuntur ita secundùm imperium, sed solùm dicuntur mitti, quia Filius à Patre procedit; &

1. Reg. 16.

Ibid.

Spiritus sanctus à Patre & Filio: & tam Filius, quàm Spiritus sanctus cœpit ex tempore, nouo modo, & quidem manifesto,& visibili, esse in creatura. Nam Filius apparuit in carne: Spiritus sanctus in columbæ specie, & rursum aliàs in linguis igneis. Itaque illa manifestatio visibilis personæ inuisibilis ab alio procedentis, in Scriptura missio nominatur. Et nihil officere hanc missionem veræ diuinitati Filij, aut Spiritus sancti: ex eo colligit sanctus Augustinus, quòd vterque missus est ad eum locum, vbi antea erat inuisibili maiestate. Nam de Filio dictum est: *In mundo erat, & mundus eum non cognouit.* Et postea: Ioan. 1.
In propria venit. Et de Spiritu sancto: *Quò ibo à Spiritu tuo?* Psal. 138.

Quartò obiiciebant illud: *Omnia per ipsum facta sunt.* Respondet Chrysostomus *homilia 4. in Ioannem*, Euangelistam idcircò statim addidisse: *Et sine ipso factum est nihil, quod factum est*, vt excluderetur obiectio Arianorum; & intelligeremus, non omnia omninò, quæ sunt, facta esse per Verbum; sed solùm omnia, quæ facta sunt. D. Cyrillus autem, & D. Augustinus legunt: *Et sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in ipso vita erat,* &c. Et Arianis Ioan. 1.

Arianis respondent, Ioannem sine dubio loqui solùm de creaturis, cum ait: *Omnia per ipsum facta sunt.* Alioqui etiam Patrem oporteret esse factum per Verbum, si omnia, quæ sunt, per Verbum facta sunt.

Quintò obiiciebant ratiunculā. Sunt duo modi agendi: per naturam, & per artem. Nam per naturam gignuntur filij: per artem efficiuntur opificia. At solum Verbum productum est à Deo per modum naturæ, siquidem est Filius Vnigenitus. Igitur Spiritus sanctus ex arte processit, proinde opificium est.

Respondemus modū agēdi per naturam esse duplicē in iis rebus, quę mente atque intelligentia prædītæ sunt: vnum per intellectum, alterum per voluntatem. Nam & intellectus naturaliter producit notionem, & voluntas naturaliter producit amorem. Hoc tamen interest inter Deum & creaturas: quòd ille intelligendo, atque amando substantiam producit: creaturæ verò accidentia. Ex quo fit, vt Verbum, & Spiritus sanctus veræ sint hypostases: nostræ autē mentis conceptus, nostræque voluntatis amor hypostases dici non possint.

Morale.

Oues vocem eius audiunt. Ioan. 10.

HÆc de Spiritu sancto audiuimus: sed ante omnia laborandum, vt in nobis illum habeamus. Nam Deus dixit: *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* Si ergo Spiritũ sanctum in nobis habere velimus, opera carnalia fugiamus. Tunc enim Deus *adduxit spiritum super terram,* quando *imminutæ sunt aquæ.* Aquæ desideria carnalia significant: quantò magis minuuntur illa, tãtò magis Spiritus crescit, iuxta illud: *Flabit Spiritus eius, & fluent aquæ.* O quàm preciosus Spiritus sancti thesaurus est! Dixit Pharao ministris suis de Ioseph: *Num inuenire poterimus talem virum, qui Spiritu Dei plenus sit?* Et ad illum: *Tu eris super domum meam: vno tantùm regni solio præcedam te.* An etiam inter nos inuenire poterimus aliquẽ, qui Spiritu Dei plenus sit? In multis, metuendũ, habitat spiritus diaboli, in aliis spiritus peccati, in aliis spiritus mundi. Vbi autem spiritu Dei pleni erimus, in cælesti domo etiam reges erimus: vno tantùm incomprehensibilitatis gradu Deus præcedet nos.

Gen. 6.
Gen. 8.
Psal. 147.
Gen. 41.

Gen. 45. Quid ergo? *Cùm vidisset Iacob plaustra, & vniuersa, quæ miserat Ioseph, reuixit spiritus eius.* Misit nobis Spiritus sanctus sua dona: misit Dei Filius sua Sacramenta: ô aptissima plaustra! Noster nunc etiã animus,
Psal. 142. Domine Deus, reuiuiscat. *Spiritus tuus bonus in terram rectam nos deducat.* Vultis scire,
Exod. 15. quantùm possit Spiritus ille? *Flauit Spiritus tuus, & operuit eos* (Ægyptios) *mare: submersi sunt, quasi plumbum, in aquis vehementibus.* Si Spiritum sanctũ habuerimus, omnes facilè hostes vincemus, & quasi in mari illos submergemus. De illo etiam Spiri-
Exod. 28. tu dicitur: *Et loqueris cunctis sapientibus corde, quos repleui Spiritu prudentiæ, vt faciant vestes Aaron, in quibus sanctificatus ministret mihi.* Sapientes illi iustos denotãt, qui nimirum
Matt. 25. *acceperunt oleum in vasis suis:* illi quando boni instinctu spiritus pauperibus charitatis opera exhibent, quid aliud, quàm vestes
Ibid. Aaraoni nostro Christo Domino faciũt. Vnde ipse ait: *Quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.*

Exod. 31. *Impleuit Dominus Beseleel spiritu Dei, sapientia, & intelligentia in omni opere, ad excogitandum, quidquid fabrefieri potest ex auro, & argento, & ære, & marmore, & gemmis, & diuersitate lignorum.* Nos, si Spiritũ sanctum habuerimus, facile etiam diuersas virtutes exercere poterimus. Multi in auro, argento,

gento, ære, &c. ſculpere volunt, ſed quia politici ſunt, & Spiritu Dei non agũtur, opera illorum Deo grata non ſunt.

Dedit quidem Dominus de Spiritu Moyſis ſeptuaginta viris: ſuper Eldad quoque, & Medad requieuit Spiritus: ſed *quis tribuat, vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum ſuum?* Num. 11.

Multi proprium quærunt commodum, conſtituere ſibi ducem volunt, vt reuertãtur in Ægyptum: at *ſeruum meum, Caleb*, dicit Dominus, *qui plenus alio ſpiritu ſecutus eſt me, inducam in terram hanc, quam circuiuit, & ſemen eius poßidebit eam.* Num. 14.

Qui cæleſtem illam terram promiſſionis ſincero ſpiritu circumeundo deſiderat, dignus eſt, vt eam accipiat.

Sed politici noſtri, ſicut Balaam, faciunt, qui *eleuans oculos, vidit Iſrael in tentoriis commorantem per tribus ſuas, & irruente in ſe Spiritu Dei* prophetauit, & populo Dei benedixit: verumtamen *pergens ad populum meum*, ait ipſe ad Balac, regem Moabitarum, *dabo cõſilium, quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore*. Ita multi, quando florent Catholici, catholici ſunt: ſed in aduerſis ad populum ſuum pergunt, & contra ipſos conſilium ſtruunt. Num. 24.

At de Gedeone, cùm aram Baal deſtruxiſſet, legitur: *Spiritus Domini induit* Iud. 6.

Gedeon, qui clangens buccina conuocauit domum Abiezer, vt sequeretur se.

Nos non tantùm buccina debemus clangere, sed ante priùs destruere Baal, id est, non tantùm verbis alios ad virtutem prouocare, sed priùs exemplis. Plus enim ad hoc exempla valent, quàm verba.

Iud. 11. *Factus est* etiam *super Iephte Spiritus Domini, & circuiens Galaad, & Manasse, Maspha quoque, & Galaad, & inde transiens ad filios Ammon, votum vouit Domino.* Nobis etiam cum filiis Ammon, id est, cum diabolo, & instrumentis eius quotidie pugnandum est: ecia, Spiritum sanctum accipiamus, & animam nostram Deo deuoueamus, & ita hostes nostros virtute Spiritus sancti vincamus. Quàm fortis illo Spiritu Samson fuit!

Iud. 14. *Irruit Spiritus Domini in Samson, & dilacerauit leonem, quasi hædum in frusta discerpens, nihil omninò habens in manu.* Quàm noxius leo est auaritia! Quàm fœdus, superbia! Quã terribilis, iracundia! Quàm sordidus, luxuria! Quàm rapidus, gula! Et tamen, si Spiritum sanctum habuerimus, facillimè eos dilacerare poterimus.

Iud 15. *Ligauerunt etiam viri Iuda Samson duobus nouis funibus*, vt traderent eum Philistæis. Ita nos etiam amici nostri duobus frequenter funibus ligant, quando amo-

rem

rem proprium, & amorem mundi nobis instillant. Noui funes sunt, quibus nos ornare volunt: & (eheu!) nescientes sæpe in manus Philisthijm nos tradunt. Sed cùm Philisthijm vociferantes occurrissent Samsoni, *irruit Spiritus Domini in eum, & sicut solent ad odorem ignis ligna consumi, ita vincula, quibus ligatus erat, dissipata sunt, & soluta.* Et de nobis ita ligatis triumphare gestit inimicus: sed, si Spiritum Dei habuerimus, facillimè vincula illa rumpemus. Vnde vir, per quem *locutus est Spiritus Domini*, laudando Dominum clamat: *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Iud. 15. 2. Reg. 23. Psal. 115.

IN FESTO SANCTISSIMAE TRINITATIS.

Exordium:

TArquinius Priscus, quintus Romanorum Rex, aliquando Attium Nenium in experimentum rogauit; Fierine posset, quod ipse mente cōceperat? Ille rem expertus augurio, posse respondit.

Atque hoc, inquit, agitabam, an cotem illam secare nouacula possem? Augur: Potes ergo, inquit: & secuit.

Moraliter:

Si summus ille augurio, nescio qua arte, cotē nouacula secare potuit, quod naturalem tamen vim nouaculæ superat, quantò magis in Diuinis credi debent, quæ natura negat fieri? quantò, inquam, magis in Sanctissima Trinitate tres Personæ credi debent, & vna natura?

Euangelium:

Matt. 28. *Dixit Iesus discipulis suis: Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

Thema:

Ibid. *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

Occasione illorum verborum de forma Baptismi disputabimus: illa enim certissimè est forma Baptismi, quam omnes Orthodoxi colligunt ex illis Christi verbis: *Baptizantes eos,*&c. Itaque sic dicendum est: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* vt D. Thomas *p. 3. q. 66. art. 5.* & omnes *in 4. d. 3.* docent.

cent. Estque hæc forma etiam ab omnibus iam Sectariis receptissima, explosis quibusdam aliis formis ineptis hæreticorum veterum, quarum mentio etiam fit can. 49. Apostolorũ, vbi sic habetur: *Si quis iuxta præceptum Domini non baptizat in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; sed in tribus sine initio principiis, aut in tribus paracletis, aut in tribus Filiis, abiiciatur.*

Asserunt etiam hanc eandẽ Baptismi formam sancti Patres: ac nominatim S. Irenæus *l.1.c.18.* Athanasius *serm.3.contra Arian. circa medium*, Basilius *lib. de Spiritu sancto, c.* 12. & alij: qui omnes ex prædicta sententia Domini asserunt, hanc etiam baptizandi formam esse planè necessariam, ita vt sine illa Baptismus non valeat.

Quod est notandum contra paradoxon Lutheri *l. de captiuitate Babylon. c. de Baptismo*, & Zwinglij *l. de vera Religione, cap. de Baptismo*, qui, etsi admittant hanc Baptismi formam, censuerũt tamen sine illa etiam Baptismum valere. Qua in re repugnant sententię illi Domini, & Ecclesiasticæ traditioni: sed etiam manifestissimæ rationi. Nam nihil est tam essentiale, & necessarium Sacramento, quàm Sacramenti forma. Vnde & postea Lutherus ipse *in hom.* 1. *de Baptismo an.* 1535.

 fassus

fassus est, non valere Baptismum nisi adhibitâ prædictâ verborum formâ.

Verùm cùm in hac forma Baptismi quatuor omninò exprimatur: primum, causa principalis, scilicet Personæ diuinæ: secundum, Minister: tertium, persona baptizati: quartum, actus ipse baptizandi; quæstio est: An ad veritatem Baptismi oporteat omninò omnia hæc, & singula exprimere in forma?

Et de actu quidem baptizandi conuenit inter omnes, quòd sit necessariò exprimendus: vt etiam explicatum est in Concilio Florentino.

Item, conuenit, personam baptizati exprimi debere: quia, si ille taceretur, non satis exprimeretur ipse actus Sacramentalis, qui est nimirum ablutio, quatenus est passio quædam, & receptio in hac persona.

Quanquam ista determinatio personæ, quæ baptizatur, nô ita necessaria est, vt si contingeret quoad hoc errare circa determinatam omninò personam, quæ baptizanda proponitur, ideo Baptismus nullus futurus sit. Imò verò Sotus *in d. ar. 5.* & alij rectè sentiunt, fore Baptismum validum, quamuis Minister nominaret, & putaret se baptizare puerum, cùm esset femella, vel hunc, cùm esset

esset ille. Ratio est, quia secundum intentionem Ecclesiæ, quæ in Ministro præualet particulari cogitationi, & intentioni suæ, satis est, quòd nominetur illa persona indiuidua, quæ ad baptizandum proponitur, qualiscunque illa sit, quoad rationes magis particulares, & determinatas.

Præterea etiam conuenit inter Doctores, non necesse esse, vt persona Ministri expressè indicetur, sed sufficere, si significetur implicitè: quod fit eo ipso, quo actus ipse baptizandi exprimitur. Itaque licet omittatur particula, *Ego*, nihilominus valebit Baptismus. Ita docet D. Thomas *ar.5.ad* 1. estque receptissima sententia.

Quinimò neque necesse est, vt actus baptizandi verbo illo declaretur, *Baptizo*, quo magis indicatur persona Ministri; sed sufficit secundùm omnes, si ille declaretur quomodocunque; scilicet, si dicas: *Baptizo*, vel *Baptizetur*, vel *Baptizatur* talis à me. Atque hinc D. Thomas *loco citato* & alij communiter probant Baptismum Græcorum, qui dicunt: *Baptizetur seruus Christi in nomine Patris*, &c.

Quanquam Innocentius *in c. 1. de Baptismo, & eius effectu*, negat esse verum Baptismum, si quis apud Latinos dicat:

Baptizetur, vel Baptizatur iste. Sed rectè ab Adriano refutatur *in q. de Baptismo ar. 2.* & à Soto *d. 3. q. vnica art. 5.* ex communi aliorum sentẽtia. De qua iam post Concilium Florẽtinum dubitare non licet, cùm ibi in decreto vnionis ea forma Græcorum reputetur valida.

Nihilominus tamen mortale peccatum esset, eo animo, & intentione, quâ Græci schismatici vsurpãt illã formam Baptismi, Baptismũ conferre. Illi enim eo modo dicunt, vt significent suum errorem, quo pertinaciter putant, formam Baptismi apud nos vsitatam non esse validam. In quo perspicuum est, eos peccare mortaliter: sed etsi quis apud nos non hac intentione vsurparet illam formam Græcorum; tamen sæpenumero propter scandalum, & suspicionem esset mortale; aliàs tantùm esset veniale.

Cum igitur de his inter Doctores conueniat, magna tamen quæstio est circa causam Baptismi principalem; An scilicet significatio trium personarum debeat esse distincta, & expressa per illa verba: *In nomine Patris*, &c. Et est ratio dubitandi propter varietatem sententiarum. Communiorẽ tamen, certiorem, & solidiorem longè doctrinam animad-

uerto

uerro eam esse, quã ponit D. Thom. *ar.6.* & inter ceteros sequitur Petrus à Soto, *l. de instit. Sacerd. lect.1. de Baptis.* & tuetur copiosè Domin. à Soto *d.3.q. vnica, art.6.* Ea verò est, Trinitatem personarum esse claris, & sensibilibus verbis expresse significandam.

Ad quam expressam significationem duo pertinere dicimus.

Primò, vt ipsæ Personæ, quatenus Personæ tales in se sunt, nempe *Pater, & Filius, & Spiritus sanctus* significētur per verba, quæ vel ex natura sua, vel etiam ex accommodatione vsus primariò, & formaliter Personas easdem indicent sub ea ratione, qua diximus. Alioqui si nomina sint eiusmodi, quæ vel ex natura sua, vel ex accommodatione vsus tantùm materialiter, & secundariò significent Personas, quatenus tales secūdum se sunt, non erit expressa illorum significatio sub ea ratione. Sicut album v.g. quoniam substātiam significat non nisi secundariò, & materialiter, non omninò expresse eam significat, sed quodammodò confusè, & implicitè: albedinem autem explicitè, quoniam illam primariò, & formaliter significat. Itaque vt sit expressa significatio Personarum, qualem in proposito requirimus, oportet,

vt

vt dixi, nomina vel ex natura sua, vel ex accommodatione certè significare formaliter, & primariò Personas, vt sunt in se tales, nempe *Pater, Filius, & Spiritus sanctus.*

Dicimus secundò ad hanc expressam significationem pertinere, vt virtus, & auctoritas Personarum, quatenus sunt principalis causa Baptismi, significetur singulariter illo verbo: *In nomine.*

Hæc sententia probatur primò ex mandato Domini: nam talem formam ita expressam Dominus præscripsit illis verbis: *Euntes docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S.* Ibid.

Probatur secundò ex auctoritate Ecclesiæ, & summorum Pontificum. Nam Concilium Florentin. cùm requirit, vt exprimatur *actus baptizandi cum SS. Trinitatis inuocatione*, perspicuũ est (si locus ille inspiciatur) nomine Trinitatis ibi intelligi ipsas Personas distinctè significatas. Nam paulò antè ibi definitur, formam Baptismi contineri expressâ illâ significatione Trinitatis: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Quare cùm Concilium definiat, necesse esse, vt sic Trinitas exprimatur, expressam illam significationẽ requirit. Item Zacharias Papa, *de consecrat. d. 4. can. in Synodo,* probans

probans decretum cuiusdam Concilij Anglicani super hac re editum, sic inquit: *Si quis vnam de Trinitate Personam non nominaret, illud baptisma verum esse non posset.*

Quod testimonium, quoniam valde illustre est, est defendendum aduersus falsas opiniones Caietani hic, & Adriani *in q. de Baptis. ar. 3. ad 1. rationem principalem.* Interpretatur enim Caietanus sententiam ibi Pontif. esse, si quis ne implicitè quidem vnam Personam nominet. Sed hæc expositio certissimè pugnat cum ipsa mente, & oratione Pontif. Definit enim, Baptismum tum esse nullum, cùm contingit aliquam Personam nominari, vel etiam aliquas, & aliam quandam ex tribus non nominari. At cùm aliqua Persona nominatur, ipse Caietanus fatetur, implicitè nominari hoc ipso reliquas Personas omnes. Ergo Pontifex ibi plane cēset, Baptismum tum etiam esse nullum, cùm tantū vna, vel altera Persona nominatur expressè, etiamsi alia nominetur implicitè: atque adeò non solùm loquitur in casu, quo ne implicitè quidem nominatur vna aliqua Persona, sicut vult Caietanus.

Deinde Adrianus exponit, Pontificem tantū loqui in casu, quo Minister vnam tantum esse Personam, vel alteram crederet;

deret; atque ita baptizaret ea intẽtione, vt Baptiſmus valeret hoc ipſo ſolum, quòd vna, vel altera Perſona nominaretur, & non ex vi etiam alterius vllo modo, id eſt, neque expreſſe, neque implicite nominatæ, ſi videlicet omninò talis alia Perſona eſſe negaretur ab eiuſmodi Miniſtro. Hãc etiam interpretationem dico minime conuenire textui.

Nam primò Pontifex id abſolute, & ſimpliciter pronunciat de Baptiſmo, qui ita daretur à quouis omninò Miniſtro, quantumcunque fideli: & dicit ideo illum eſſe nullum, quoniam vna aliqua Perſona non nominatur; id quod etiam poteſt accidere, ſiue Miniſter credat omnes perſonas, ſiue neget aliquam. Neque vllũ eſt in eo Canone indicium, quod propter defectum intentionis improbet Pontifex talem Baptiſmum, ſed propriè improbat ob defectum formæ. Nam quod ad confirmationem ſuæ definitionis ſubiungit: *perfectum Chriſtianum non eſſe, qui aliquam de Trinitate Perſonam non confitetur*, eò pertinet, vt oſtẽdat, niſi omnes Perſonæ diſtinctè exprimãtur, non fieri in forma Baptiſmi tam perfectam, & abſolutam confeſſionem fidei de SS. Trinitatis myſterio, quàm omninò requiratur ad veritatem Baptiſmi, eò quòd eſt

est peculiari ratione Sacramentũ fidei.

Deinde magnum contra Adrianum argumentum est, quòd si perfecta alioqui, & vera forma Baptismi esset, cum nominaretur tantùm expresse vna, vel altera Persona, non debuisset, neque potuisset Pōtifex absolutè improbare, tanquam inualidum eiusmodi Baptismum, propter defectum intentionis in Ministro ita hæretico, sicut interpretatur Adrianus. Etenim non obstāte illo priuato errore, posset in eiusmodi Ministrò nihilominus præponderare generalis intentio faciendi, quod facit Ecclesia: atque ita valeret tunc ille Baptismus, si in eo casu nihil deest alioqui ad integritatem formæ.

Præterea, Pelagius Papa *de consecrat. d. 4. Cap. Si reuera, ad Gaudentium Episcop.* sic dicit: *Si reuera hi de hæreticis, qui in locis dilectioni tuæ vicinis commorari dicuntur, solummodò in nomine Domini baptizatos se fuisse confitentur, sine cuiusque dubitationis ambiguo eos ad fidem Catholicam venientes in SS. Trinitatis nomine baptizabis.* Vbi similiter contra Glossas falsas Caietani, & Adriani diligēter est obseruandum, ideo Pontificem improbare Baptismum *in nomine Domini solummodò* administratum: quoniam non sit datus in nomine Trinitatis, id est, Patris, & Filij,

&

& Spiritus ſancti. Hinc enim patet, nihil obſtare nobis, ſiue ibi loquatur de Baptiſmo collato in nomine Dei, vt parum probabiliter exponunt Caietanus, & Adrianus: ſiue in nomine Chriſti, qui ſecundùm phraſin Scripturæ, & Eccleſiæ appelletur ibi Dominus. Vtroque enim modo apparet ex Canone, Baptiſmum in nomine Trinitatis omninò conferendum.

Quòd verò ibidem, *In nomine Trinitatis* ſignificet tantundem, atque in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, patet ex aliis multis Canonibus, *ead. diſt. 4.* vbi eſt perſpicuum hoc ſonare modum illum, quo breuitatis, & compendij cauſa dici ſolet à Pontificibus, & Patribus, *In nomine SS. Trinitatis.* Maximè verò id patet in Can. *Quamuis*, & Can. *Multi ſunt, ead. d.* Vbi item Zacharias Papa ex Euangelio confirmat formam debere eſſe: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus S.* Quanquam quod ibidem de trina merſione ait, non requirit quidem, vt neceſſarium; ſed declarat eum ritum eſſe congruentē cum forma in Euangelio præſcripta.

Probatur tertiò aſſertio auctoritate ſanctorum Patrum. S. Athanaſius *ſerm. 3. contra Arianos circa medium*: *Nominatur*, ait, *Pater in Baptiſmate: neceſſarium ergo eſt &*

Filium

Filium nominare. Et paulò superiùs de Spiritu sancto dixerat: *Eadem ratione, quem Filius baptizat, is in Spiritu sancto initiatur.* Et infrà probat, *planè vacuum, ac inutile fuisse Baptisma ab Arianis datum*: quia non illud etiam in nomine Filij dabāt eo sensu, quo debebant. *Saluator enim*, inquit, *non quouis modo baptizandum præcepit. Sed primùm dixit: Docete: ac deinde: Baptizate in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: vt ex doctrina recta fides oriretur, & cum fide Baptismatis integra initiatio perficeretur.*

Item S. Basilius *l. de Spiritu sancto, cap.* 12. *Neminem*, inquit, *ad errorem impellat illud Apostoli, quòd nomen Patris, ac S. Spiritus in Baptismatis mentione sæpe omittit, neque ob id putet nominum nomenclaturam non necesse esse obseruare.* Et infrà: *Separatio*, inquit, *Spiritus in Baptismate à Patre, & Filio, periculosa est baptizanti, & inutilis baptismum suscipienti.*

S. Augustinus *l.* 7. *de Baptismo contra Donatistas, c.* 53. cùm quædam alia inquirendo tantùm, & dubius ibi de Baptismo disputet; tamen hoc tanquam certissimum ponit, Baptismum, vt valeat, debere saltem administrari, & *consecrari verbis Euangelicis.* Quod etiam alibi passim repetit.

Didymus *l.* 2. *de Spiritu sancto: Qui ita*, inquit, *baptizare conatur, vt vnum de prædictis nominibus*

minibus (Personarum trium) *prætermittat, sine perfectione baptizat*, id est, non verè. Hoc enim in hac materia, significat apud Doctores, *sine perfectione*. In eandem sententiam loquuntur alij Patres.

Probatur quartò ratione, quâ intelligetur rectè, sic institutum fuisse à Christo, vt fieret expressa significatio diuinarum omnium Personarũ. Sacramentum enim hoc, cùm sit ianua quædam, & aditus ad Christianam Religionem, peculiari ratione est, & appellari solet *Sacramentum fidei*, quam idcircò ibi profitemur. Itaque necesse, vt saltem præcipui mysterij, quod est SS. Trinitas, fiat ibi expressa, & absoluta confessio.

Probatur vltimò à S. Thoma *sup. art.* 5. à signo, & indicio quodam huius institutionis. Nam, cùm Christus à Ioanne baptizaretur (quo tempore putatur instituisse Baptismum) trium Personarum distincta significatio ibi apparuit, scilicet Patris in voce, filij in humana natura, Spiritus sanctus in columbæ specie.

Matth 3.

Morale.

Matt vlt. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

IN veteri Testamento gloria Trinitatis quoq; prædicatur: nam Dominus Deus

Deus ter sanctus ab Angelis proclamatur. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum.* Isa. 6. Sanctus enim est in seipso, sanctus in homine Christo, sanctus in opere sancto. Sanctus, inquam, in tribus personis, in tribus substantiis vnius personæ, in tribus operibus vnius essentiæ, scilicet bonitatis diuinæ.

De primo dicitur: *Sancti estote, quia ego sanctus sum Dominus Deus vester.* Leuit. 19

Nam Pater sanctus est: *Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut & nos.* Ioan. 17. Serua eos in nomine tuo in vita bona, ne pereant in nomine diaboli in vita mala. Nam *si quis acceperit characterem nominis bestiæ in fronte sua, aut in manu sua, cruciabitur igne, & sulphure.* Apoc. 14

Filius etiam sanctus est: *Semel iuraui in sancto meo.* Psal. 88. id est, in homine Christo. Iuraui, inquit, quòd *semē* filij mei, id est, Christiani, *maneat in æternum: & thronus eius sicut sol in cōspectu meo.* nempe quòd bonos omnes glorificabit in cælo: [illegible] it iurauit etiam, quòd malos damnabit in inferno. *Iurauit Dominus Deus in sancto suo, quia ecce dies venient super vos, & leuabunt vos in contis, & reliquias vestras in ollis feruentibus.* Amos 4.

Spiritus sanctus quoque sanctus est: *Et erit lumen Israel in igne, & Sanctus eius in flamma.* Isa. 8. Spiritus sanctus est lumen illuminans,

minans,& ſanctus ſanctificans, flammaque inflammans animas noſtras, ſicut linguis igneis inflammauit Apoſtolos. Per hanc flammam vitatur alia, de qua

Luc. 16. dicitur: *Crucior in hac flamma.*

Sanctus ergo Deus in tribus Perſonis.

Exod. 15. *Quis ſimilis tui in fortibus, Domine? Quis ſimilis tui, magnificus in ſanctitate, terribilis*, ſcilicet Pater in poteſtate, *atque laudabilis* Filius in veritate, *& faciens mirabilia* Spiritus ſanctus in bonitate?

Luc. 1. De ſecundo: *Quod enim ex te naſcetur ſanctum, vocabitur Filius Dei.* De hac ſanctitate

Iſa. 6. bene etiam dicitur: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus.*

Sanctus enim eſt Filius in corpore.

Pſal. 64. *Sanctum eſt templum tuum*, vtique corporis,

Ioan. 2. de quo dicitur: *Soluite templum hoc*, &c. Fuit autem hoc templum ſolutum vulneratione, & ſeparatione ab anima, non cor-

Pſal. 15. ruptione. *Nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.*

Pſal. 85. Sanctus eſt Chriſtus in anima. *Cuſtodi animam meam, quoniam ſanctus ſum.* Hoc pro-

Pſal. 96. priè conuenit Chriſto: *Cuſtodit Dominus animas ſanctorum ſuorum.* Et quia anima eius præ omnibus ſancta eſt, ideo præ omnibus deteſtatur, quidquid ſanctitati eſt

Prou. 6. contrarium. *Sex ſunt, quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima eius.*

Sanctus

Sanctus etiam est Christus in diuina natura. *Domini est assumptio nostra*, id est, carnis nostræ, *& sancti Israel regis nostri*. Sanctificat enim, & regit nos assumptio in vtero Virginis, per quē Sanctus sanctorum ad nos venit, de quo dicitur: *Talis enim decebat, vt nobis esset Pontifex, sanctus* in bono, *innocēs* in corpore, anima, diuinitate. Ideo bene additur: *impollutus* in corpore: *segregatus à peccatoribus*, id est, immunis à peccato in anima: *& excelsior cælis factus*, in diuinitate, quia Angeli eum adorant. Psal. 88. Heb. 12.

De tertio: *Sanctus in omnibus operibus suis*. De hac etiam sanctitate bene dicitur: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus*. Psal. 144. Isa. 6.

Nam sanctus est in opere creationis. *Ego Dominus sanctus vester, creans Israel Rex vester*. Nullam enim creauit Dominus iniquitatem, nullum ad iniquitatem, nec dæmonem, nec hominem. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*. Bona valdè, quæ fecit, quanto melior ille, qui fecit? Isa. 43. Gen. 1.

Sanctus in opere redemptionis: *Hæc dicit Dominus redemptor vester, sanctus Israel. Propter vos emisi Babylonem, & detraxi vectes vniuersos, & Chaldæos in nauibus suis gloriantes*. Isa. 43.

Redemptor noster est per passionem: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro mul-* Matt. 20.

tis. Ille detraxit vectes vitiorum, & Chaldæos, id est, dæmones per fluctus sæculi huius animas circumducentes, & in eo gloriantes.

Sanctus etiam in opere glorificatio-
Isa 60. nis. *Adducam filios tuos de longè: argentum eorum, & aurum eorum cum eis nomini Domini Dei tui, & sancto Israel, quia glorificauit te.* Ierusalem cui hæc glorificatio promittitur, significat Ecclesiam, quæ à sancto Israel in cælo glorificabitur. Ille autẽ amplius cum Ecclesia ædificabitur in cælo, qui argento fidei, & auro charitatis amplius in Ecclesia abundauerit in mundo.

Apoc. 4. De tribus his operibus dicitur: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est.* Qui erat in principio mundi creator: qui est in medio mundi redemptor: qui venturus est in extremo remunerator.

IN FESTO CORPORIS CHRISTI.

Exordium:

CVm Samuel introduxisset Saulem in triclinium, dixit coquo: *Da partem, quam dedi tibi, & præcepi, vt reponeres seorsum apud te. Leuauit autem coquus armum, & posuit ante Saul. Dixitq; Samuel: Ecce quod remansit, pone ante te, & comede: quia de industria seruatum est tibi, quando populum vocaui.* 1.Reg.9.

Moraliter:

Introduxit nos cælestis Samuel, Christus Dominus, in triclinium, quãdo nos in Catholicam per verã fidem vocauit Ecclesiam. Partem autẽ apud coquum reposuit, quando Sacerdotibus consecrandi corpus Dominicum potestatem dedit. Tunc verò ante Saul coquus armum ponit, quando fidelibus corpus Domini Sacerdos distribuit. Multa enim in Ecclesia sunt fercula, multa gratiarum dona, multa Spiritus sancti munera: sed optimum illud de industria ser-

uatum eſt Saul, quando populum voca-
Ioan.6. uit: quia *panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.*

Euangelium:

Ibid. *Dixit Ieſus turbis: Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.*

Thema:

Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.

Occaſione horum verborum de effectibus Sacramenti altaris agemus. Conſtat enim quoſdam effectus habere hoc Sacramentum primariò, & per ſe ex ſua inſtitutione: alios ſecũdariò, vt contingit videlicet in aliquo caſu eum eſſe affectum, qui Sacramentum iſtud ſuſcipit.

Priori modo id efficit (analogia quadam) in vita ſpirituali animæ cõfirmanda, & ſtabilienda illud Sacramentum, quod efficit cibus & potus in ſtabilienda, & roborãda vita corporis: tum etiam præſtat iſto modo ex inſtitutione ſua quædam, ad quæ peculiariter Scriptura ipſum valere ſignificat.

Itaque primariò & ex inſtitutione ſuâ primus huius Sacramenti effectus eſt, quòd conferat augmentum habitualis gratiæ: & etiam conciliat homini peculiaria quædam auxilia diuina actualia, vt exercitio charitatis, & aliarũ virtutum,

calori

calori concupiſcentiæ reſiſtendo poſſit conſeruare vitam gratiæ. Quo ipſo augmento gratiæ, & auxiliis, etiam recuperat quis illum feruorem charitatis, qui quotidianis peccatis, quaſi æſtu quodam eiuſdem concupiſcentiæ identidem minuitur, itemque delectatur, & guſtat aliquis ſpiritualiter eo ipſo, *quàm ſuauis eſt Dominus*. Sap. 12.

Probatur hoc optimè à D. Thoma *p. 3. q. 76. art.* 1. ex analogia cibi, & potus corporalis. Nam vt hic ſuſtentat vitam corporalem, & auget eam, & inſtaurat debilitatione ortam actione continua caloris naturalis, atque etiam delectat: ita oportet hæc omnia ſpiritualiter præſtet in vita ſpirituali hic cibus, & potus ſpiritualis. Præſtat id autem conferendo gratiæ augmẽtum, & auxilia illa ex quibus ſanè conflatur ea gratia Sacramentalis, quæ propriùs, atque præcipuus huius Sacramenti eſt effectus. Hanc etiam vim habent ſententiæ Patrum, vbicunque ij facultates, & energiam ſpiritualis cibi huic Sacramento tribuunt.

Idcircò figura huius Sacramenti fuit manna, quod habebat *in ſe omnis saporis ſuauitatem*. Confirmatur etiam à Patribus ſermone Chriſti: *Qui manducat me, viuet propter me*. Item: *Caro mea verè eſt cibus*. Et Ioan. 6.

 rurſus:

rursus: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.*

Quanquam transformamur quidem per illum ipsi potiùs in Christum, id est, reddimur ei similes per gratiam: non autem illum conuertimus in nos, sicut cibum corporalem. Quod benè explicari potest illis verbis S. Augustini *lib.7. confess. c.*11. *Cibus,* inquit, *sum grandium: cresce, & manducabis me, nec tu me mutabis in te, sed tu mutaberis in me.*

Quod si verò non sentitur aliquando à sumentibus illa delectatio, & suauitas, causa non est, quia ipsum per se Sacramentum eam non afferat, præstando auxilium ad charitatis motus feruentes: sed quia vel animi palatus est malè affectus, vel non satis meditatione quasi masticatus hic cibus; id est, quia à peccatis venialibus impedimur, neque satis rem tantam nobiscum reputamus, ac meditamur.

Secundus effectus est remissio peccatorum venialium; ad quæ tamen non ampliùs in animo vigeat affectus. Ita docet D. Thomas *sup. ar.*4. Ac sequitur effectus hic ex primo. Nam peccata venialia post præteritum actum cõsistunt in priuatione feruoris cuiusdã charitatis. Sed hic feruor restituitur per illud Sacramentum.

mentum. Igitur per illud etiam peccata venialia delentur: atque adeò condonatur eo ipſo diuinitùs illa paruula Dei offenſa, quæ incurritur per eiuſmodi peccata. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* 1. Ioan. 1

Deinde id confirmatur ex eo, quòd quidquid illud eſt mali in peccatis venialibus, id quidem quædam quaſi labes eſt vitæ ſpiritualis, quam incurrimus ferè vitio interni quaſi caloris, ac fomitis concupiſcentiæ. Sed ad iſtud Sacramentum omninò ſecundùm inſtitutionem eius pertinet, inſtaurare omnem eiuſmodi iacturam. Ergo etiam delere peccata venialia.

Ita definitum eſt in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 1. *cap.* 2. & aſſeritur luculenter à Patribus. Vnde paterfamilias dixit ſeruo ſuo: *Pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.* Luc. 14.

Tertius effectus eſt, quòd præſeruat etiam à peccatis mortalibus; vt D. Thomas *art.* 6. docet ex duplici capite.

Primò, quia ea etiam eſt vis cibi, vt robur ſuppeditet vitæ, quo valeat ipſa reſiſtere contrariis. Id autem facit hic cibus ſpiritualis hoc ipſo, quòd augmentum illud gratiæ, & auxilia confert, de quibus

Iud. 14. quibus antea. Ita *irruit Spiritus Domini in Samson, & dilacerauit leonem, quasi hædum in frusta decerpens, nihil omnino habens in manu.*

Secundò, quia Christi passionem modo quodam suo repræsentat: quæ cùm sit dæmonibus formidabilis, eo ipso istud Sacramentum deterret dæmones à tentando. Quò pertinet illud Chrysostomi *hom. 45. in Ioannem: Vt leones,* inquit, *flammam spirantes, sic ab ipsa mensa discedamus terribiles effecti diabolo.* Ita cùm Habacuc

Dan vlt. prandium ferret Danieli, ipse ait: *Recordatus es mei Deus, & non dereliquisti diligentes te. Surgensque Daniel comedit.*

Quartus effectus est, quòd eo ipso quoque per gratiam fideles & cum Christo capite, & inter se vnit. Quare in pane, & vino institutū est: quæ res sunt symbolum vnitatis, cùm panis ex multis granis, vinum ex multis racemis fiat, vt docet D. Thomas *art. 1. ex August. tract. 26. in Ioannem.* Itaque Sacramentum vnitatis, & charitatis ab eodem Augustino ibi ap-

1. Cor. 10. pellatur. Idem docet Apostolus: *Vnus panis, & vnum corpus omnes sumus in Christo.* Neque verò solùm per gratiam; sed etiam reipsa, & corporaliter nos per hoc Sacramentum cum Christo vniri, testantur Patres.

Quintus effectus est Ius ad vitam æternam,

nam,& adeptio eius suo tempore: idque non solùm ratione illa generali, quatenus videlicet id eius est consequens ex gratia, quam confert illud Sacramentum, sed quia peculiariter ex sua ratione sustentat vitam non perituram ex sese, vt cibus corporalis, sed æternam per se. Æterna enim est ex sese vita gratiæ, quæ hîc incipit, & perdurat ipsa perpetuò in beatitudine. Hinc Christus: *Qui manducat meam carnem, viuet in æternum.* Et: *Vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur:* quod ad vitæ gratiã sempiternã, quantùm est quidem ex vi Sacramenti, referri debet, vt interpretatur D. Augustinus *tract.26. in Ioannem, & l.21. de ciuit. c.25.* Ioann.6.

Accedit etiam alia ratio peculiaris, cur hoc Sacramentum vitam æternam conferat: quia scilicet vires præstat, vt ad illam perueniatur. Quocirca viaticum dicitur: cuius figura præcessit in pane illo subcinericio, *in cuius fortitudine ambulauit Elias vsque ad montem Dei.* Ita igitur & doctrina S. Thomæ *hîc ar.2.* & aliorum Patrum intelligenda est, cùm effectum huius Sacramenti asserunt esse vitam æternam. 3. Reg. 19.

Sextus effectus est immortalitas corporis post resurrectionem, vt hæc sit vis illius sententiæ Christi: *Qui manducat hunc panem,* Ioann.6.

panem, viuet in aeternum. Sicut etiam clariùs
Ibid. ait: *Ego resuscitabo eum in nouissimo die*, nempe immortalem. De hoc effectu etiam praeclare sancti Patres disserunt. Sicut discipulis in Emmaus porrigebat Christus
Luc. 24. panem: *& aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum: & ipse euanuit ex oculis eorum.*

Denique quidquid dignitatis, & efficaciae à sanctis Patribus huic Sacramento secundum institutionem eius tribuitur, id ad aliquem istorũ effectuum iam enumeratorum facilè reuocari poterit.

Porrò effectus per accidens, seu ex consequenti, sunt tres.

Primus est, quòd conferat primã gratiam, atque adeò etiam remissionẽ peccati mortalis. Id fit, quando aliquis sine sua culpa (id est, probabiliter se putans esse in gratia) accedit, & percipit Sacramentum hoc in peccato mortali, cuius neque conscientiam habet, & affectum etiam alioqui deposuit. Vt si v.g. habuit attritionem, quae satis per se non fuerit ad gratiam conciliandam; licet ipse quidem putauerit, habere se veram contritionem: vel si probabiliter putes, te fuisse legitimè absolutum in confessione, cùm tamen non sis.

Ita docet D. Thomas *hic ar.* 3. & magis infrà declarat *q. seq. ar.* 4. *ad* 5. Item Scotus

in 4. dist. 9. q. 1. & communiter alij Theologi. Atque id etiam haud dubiè volunt sancti Patres, cùm absolutè tribuũt huic Sacramento remissionem peccatorum, eò quòd sit instrumentum passionis Christi, vt indicatur verbis illis in consecratione calicis: *Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Quod Patres huc accommodant.

Secundus effectus ex accidenti est remissio pœnæ temporalis, si eius reatu tenetur, qui suscipit. Hunc autẽ effectum habet consequenter, quatenus excitat motum charitatis, qui pro sua quidem perfectione valet plùs, vel minùs ad satisfaciendum pro pœna. Ita declarat hoc D. Thomas *art. 5.*

Quanquam si hoc Sacramentũ consideretur, non tantùm vt sumitur, tanquam Sacramentũ, sed etiam quatenus offertur, vt sacrificium; sic quidem ex institutione sua valet etiam ad satisfaciendum; vt D. Thomas ibidẽ declarat. Sed in satisfactione, inquit, magis attenditur affectus offerentis, quàm quantitas oblationis. Nam de *vidua paupercula mittente æra minuta duo in gazophylacium* dixit Dominus: *Vidua hæc pauper, plus quàm omnes misit.* Luc. 21.

Tertius non absurdè etiã in effectibus per

per accidẽs huius Sacramenti numerari potest illud malũ, quod sibiipsi creant, qui sumunt indignè, iuxta illud: *Iudicium*
1.Cor. 11. *sibi manducat, & bibit.* Vnde de Iuda dici-
Ioan. 13. tur: *Et post buccellam introiuit in eum Satanas.*

Morale.

Ioann. 6. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.*

HIc panis septuplicem adfert dulcedinem spiritualem.

Prima dulcedo est præsentia Iesu in hoc Sacramento, in quo habemus omnia, quæ desiderari possunt. Magnum sanè reputauit Miphiboseth beneficiũ,
2.Reg.9. quòd diceret illi Dauid: *Tu comedes panem in mensa mea semper. Qui adorans eum, dixit: Quis ego sum seruus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei?* At maius est non mensæ Domini Iesu assidere, sed propriam eius carnem manducare.

Secunda dulcedo est Angelorum assistentia, & beatorum. Si enim Regina
3. Reg. 10. Saba dixit Salomoni: *Beati viri tui, & beati serui tui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam:* quanto beatiores fideles sunt, qui corã Angelis, & beatis Domino Iesu in Sacramento assistunt, & summam ab eo dulcedinem percipiunt?

Tertia dulcedo est, quòd contiectat hominem quodammodo in Christum. Si enim magnum Ioseph videbatur fratribus suis præstare beneficium, quando dicebat: *Ponite panes. Quibus appositis, seorsum Ioseph, & seorsum fratribus, Ægyptiis quoque, qui vescebantur simul, seorsum sedentibus coram eo, mirabantur nimis, sumptis partibus, quas ab eo acceperant.* Quãto magis eos mirari, & amare decet, quibus Christus ipse apponitur, vt non iam seorsum ab eo sedeant, sed in ipso per amorem habitent, & ille in eis. Gen. 43.

Quarta dulcedo est refectio animæ. Nam si Elias *comedit, & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, vsque ad montem Dei Horeb:* 3. Reg. 19. quanto magis roborabitur anima, quæ iam nõ pane & aqua, sed corpore Christi, & sanguine pascetur! Vnde refert Cæsarius in suo Dialogo, quòd Coloniæ quædam matrona in communicando tãta reficiebatur dulcedine, vt fine omni fame ab vna Dominica in alteram ieiunaret ab omni cibo corporali. Vt autem magis in hoc probaretur, data fuit illi ignoranti hostia non consecrata, & mox adeò cœpit esurire, vt se morituram crederet.

Quinta dulcedo est, quòd dignè su-

Ioann.6. mentibus fit vitæ æternæ solatium. *Non sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.*

Sexta dulcedo est memoria passionis, & amoris Domini. Vnde in Canone Missæ post consecrationem calicis le-
Matt.26. guntur hæc verba: *Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriã facietis.* Sicut Dominus de muliere dicit: *Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit. Amen dico vobis, vbicunque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius.*

Septima dulcedo huius panis est, quòd homo per illum securus redditur de beatitudine pluribus modis.

Primò, quia est figura vitæ æternæ.
Luc.14. Vnde *quidam de simul discumbentibus dixit illi: Beatus, qui manducabit panem in regno Dei.*

Secundò tanquam viaticum, cuius vigore ad patriã peruenitur. Vnde Abra-
Gen. 18. ham tribus viris dixit peregrinis: *Ponam buccellam panis, & confortate cor vestrum, postea transibitis.*

Tertiò, tanquam pignus gloriæ securum. Si enim Thamar credebat Iudæ
Gen. 38. danti ei *annulum suum, & armillam, & baculum, quem tenebat manu*: quanto magis debemus Christo credere danti nobis frequentes

quenter in hac peregrinatione corpus suum, & sanguinem, donec introducat nos in patriam cælestem.

IN FESTO S. ANTONII PADVANI.

Exordium:

TEmpore Ochoziæ, Regis Israel, cùm fames esset in terra, dixit Elizæus: *In tempore hoc cras modius similæ vno statere erit, & duo modij hordei statere vno in porta Samariæ. Respondens vnus de ducibus, super cuius manum Rex incumbebat, homini Dei, ait: Si Dominus fecerit etiam cataractas in cælo, numquid poterit esse, quod loqueris?* Porrò altera die Rex Ducem illum constituit ad portam, *quem conculcauit turba in introitu portæ, & mortuus est.* 4. Reg. 7.

Moraliter:

Tempus famis significat statū mundi, in quo magna penuria est diuinæ gratiæ. Dux ille, super cuius manum Rex incumbebat, mūdanum hominem, signi-

 ficat,

ficat, qui exemplo suo, & facultatibus mundanas sustentat vanitates. Talis sæpe nihil de Deo cogitat, nihil de futura vita: imo sæpe gratiæ diuinæ abundantiam, & remissionem peccatorum suorum impossibile putat. Sed quid? Dum minime putat mori cogitur, & tunc in exitu vitæ frequenter anima eius à curis huius sæculi, deliciis, & diuitiis conculcatur, & ita in infernum demergitur.

Euangelium:

Matt. 15. *Vos estis sal terræ. Quòd si sal euanuerit, in quo salietur?* &c.

Thema:

Idem.

Oportunum nunc quærere: Vnde proueniat Ordinum Religiosorum diuersitas?

Respondeo, & dico primò, Diuersitas Ordinum Religiosorum non prouenit ex aliquo, quod Religioni est essentiale; vt sunt tria vota essentialia, & approbatio Ecclesiæ. Hæc enim omnibus sunt communia. Itaque si essentialia spectentur, omnes sunt eiusdem speciei: consistit enim omnium essentia in obligatione trium votorum ab Ecclesia acceptatorum.

Quare Ionathas, cùm pugnare vellet cum Philisthiim, dixit ad armigerum suum: *Ascendamus, sequere me: tradidit enim Dominus eos in manus Israel.* Ita Religiosi Ordines, quasi vnus armiger, sequuntur Saluatorem nostrum in essentialibus Religioni. 1. Reg. 14.

Dico secundò, hæc diuersitas Ordinum prouenit ex duobus.

Primò ex particulari fine, seu functione, ad quem quisque Ordo institutus est speciatim. Quidam enim sunt instituti, vt præter obseruantiam votorum essentialium, potissimùm se exerceant in operibus vitæ contemplatiuæ. Tales ferè sunt, quos antiquiores Patres instituerunt, Antonius, Pachomius, Basilius, Benedictus, Bruno, Ordo Cistercientium, & Cluniacensium. Horum cultores propriè vocantur Monachi, quia vacant solitudini, & τῷ μοναδὶ, id est, vnitati, quæ Deus est, sunt intenti. Alij instituti sunt ad opera vitæ actiuæ corporalia: vt, ad redimendos captiuos, ad suscipiendos peregrinos, ad seruiendum infirmis, ad defendendam Ecclesiam contra hostes fidei: quales sunt equites Ierosolymitani, S. Iacobi, S. Ioannis. Alij partim ad contemplationem, partim ad opera vitæ actiuæ, sed spiritualia, quæ supponunt

contemplationem, vt Ordines mendicantium.

1. Reg. 30. Sicut Dauid, cùm pugnasset aduersus Amalechitas, & de victis retulisset prædam, diuisit illam cum ducẽtis viris, qui lassi substiterant ad torrentem Besor, dicens: *Aequa pars erit descendẽtis ad prælium, & remanentis ad sarcinas, & similiter diuident:* ita contemplatiui tantum merẽtur aliquando, quantum actiui.

Secundò prouenit Ordinum diuersitas ex particularibus ritibus, & mediis, quibus vtuntur, vel ad vota sua meliùs seruanda, vel ad functionem propriam meliùs obeundam. Sic inter ordines ad contemplationem institutos videmus magnam varietatem in habitu, victu, ieiuniis, aliisque piis exercitiis. Similiter inter Ordines mendicantium. Et quamuis non numerentur à Doctoribus, nisi quatuor regulæ approbatæ, sub quibus omnes Ordines Religiosi militant (præter Carthusianos, qui habent sua statuta, & Societatem Iesu, quæ suas constitutiones) videlicet Basilij, Augustini, Benedicti, & Francisci: tamen singuli suæ regulæ proprias constitutiones adiunxerunt, quibus inter se discrepant, etiamsi eandem regulam sequantur. Sub regula enim S. Basilij viuũt penè omnes Græci

Monachi.

Monachi. Sub regula S. Augustini omnes Canonici regulares, Dominicani, Augustiniani, Seruitæ, Hieronymiani; Hospitalarij, Cruciferi, & alij aliqui. Sub regula S. Benedicti Monachi nigri, Cluniacenses, Cistercienses, Camaldulenses, Cælestini, & alij: quamuis hi omnes propriis constitutionibus regulæ superadditis, & habitu multùm differant.

Hæc autem varietas Ecclesiæ est ornamento. Sicut enim Reip. politicæ est ornamento, habere omnia genera opificiorum, quæ iuuent, & oblectent vitam istam temporalem; ita Ecclesiam, quæ est diuina quædam Resp. exornat tanta varietas opificiorum, & exercitiorum spiritualium ad excolendam animam, & vitam spiritualem inuentorum. Vnde Salomon *omnes parietes templi per circuitum sculpsit variis cælaturis, & torno: & fecit in eis Cherubim, & palmas, & picturas varias, quasi prominentes de pariete, & egredientes.* 3. Reg. 6.

Deinde; Est etiam summè vtilis. Sic enim quamplurimis patet aditus ad statum perfectionis. Nam qui non est idoneus ad hoc genus exercitij, v.g. ad contemplationem; est idoneus ad aliud, scilicet ad actionem; & contrà. Vnde Salomon ad ædificationem templi varia habuit genera operariorum. Nam *elegit Rex* 3. Reg. 5.

operarios de omni Israel, & erat indictio triginta millia virorum. Fueruntq; Salomoni septuaginta millia eorum, qui onera portabant, & octoginta *millia latomorum in monte, absque Praepositis qui praerant singulis operibus, numero trium millium, & trecentorum.* Alij ferebant lapides: alij dolabant eos. Alij ligna excidebant, & aptabant. Alij terram fodiebant: & alia alij opera exercebant. Vnde Ieremias:
Ierem. 1. *Et dixit Dominus ad me: Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce constitui te hodie super Gentes, & super regna, vt euellas, & destruas, & disperdas,*
Matt. 20. *& dissipes, & aedifices, & plantes.* Et Dominus varios misit operarios in vineam suam: nimirum primo manè, & circa horam tertiam, & circa sextam, & nonam horam, & circa vndecimam. Alij vineæ irrigabant radices, atque inutiles abscindebant palmites, alij ligabant dissolutos, alij vermes depellebant, alij vineam custodiebant.

DE S. ANTONIO.

OLysipone in Lusitania templum est D. Marię sacrum, in quo B. Vincentij Martyris corpus requiescit. Ad eius templi Occidentem B. Antonij parentes domicilium habuêre, in quo natus est B. Antonius, qui Ferdinandus primùm

mùm vocatus eſt. Parentes nobiles: pater Martinus nomine miles Regis Alphonſi fuit: ſicut B. Antonius miles Chriſti.

Litteris imbutus fit Canonicus regularis: ſed cùm crebra amicorum viſitatione in vocatione ſua impediretur, locum mutauit, & ad aliud monaſteriū D. Auguſtini, ſcilicet S. crucis de Conimbrica zelo ſeuerioris diſciplinæ commigrauit. Sicut Philiſtæi, cùm remittere vellent arcam Domini, *tollentes duas vaccas, quæ lactabant vitulos, iunxerūt ad plauſtrum, vituloſq́ earum concluſerunt domi. Ibant autem in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethſames, & itinere vno gradiebantur.* Ita & parentes facere deberent, qui religioſos habent filios: filios nimirum ſuos relinquere, & rectò itinere ſuo ire. 1. Reg. 6.

Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, &c. Sed cùm Petrus primogenitus Regis Marochio attuliſſet reliquias Franciſcanorum Martyr. Berardi, Petri, &c. & ſe à magnis periculis illorum meritis liberatum diuulgaret, cœpit etiam Ferdinandus flagrare deſiderio martyrij: ideò & Franciſcanus factus nomen Antonij aſſumpſit. Et ad Saracenos ſemel nauigans, vi morbi fuit compulſus redire. Matt. 19.

Cùm conuenisset Assisium ad capitulum generale, à nemine expetitus est: ita commendans se Gratiano ministro Æmiliæ, in prouinciam illam abductus in eremum secessit: & pœnitentiã egit. Tandem orationem habere iussus omnium opinionem superauit: paulò pòst Prædicator factus omnes ad se trahebat. Pontifex max. eum arcam Testamenti appellabat: ita enim Scripturas memoria tenebat, vt instar Esdræ eas restituere potuisset.

1. Reg. 17. Sicut de Dauid: *Non vales resistere, quia puer es.* Guardianus existens homini lubrico reuerentiam exhibuit, tanquam futuro Martyri.

Vt autem liberiùs prædicationi incumberet, à fratrum regimine absolui

Iud. 9. cupit. Sicut in parabola Ioatham, *dixerunt ligna ad arborem ficum: Veni, & super nos regnum accipe. Quæ respondit eis: Nunq; id possum deserere dulcedinem meam fructusq; suauissimos, & ire vt inter cetera ligna promouear?*

Valdè autẽ potens verbo fuit, & malleus hæreticorũ indefessus dictus, multos etiam ad fidem conuertit.

Ad petitionem hæretici mulum adorare S. Eucharistiam coëgit.

Puero à mortuis excitato loquelam restituit, vt parẽtes ab iniuria liberaret.

Moritu-

Moriturus Dominum Iesum vidit.

Lingua eius post 32. annos integra, & incorrupta inuenta est.

Quæ licet imitari non liceat, admirari tamen non pigeat, vt erga Ordinem S. Francisci nobis accendatur deuotio, & qui sub eius vexillo militauimus in terris, in felici eius consortio etiam triumphemus in cælis. Amen.

IN NATIVITATE S. IOANNIS BAPTISTÆ.

Exordium:

CVm filius mulieris Sunamitis fuisset in agrũ, ægrotus rediit, & mortuus est. Elizæus autem misit Giezi puerum suum, cum baculo suo, vt à mortuis excitaret eum: sed *non erat vox, neque sensus.* Tandem Elizæus ipse venit, *& incubuit super puerum. Posuitque os suum super os eius, & oculos super oculos eius, & manus suas super manus eius, & incuruauit se super eum, & calefacta est caro pueri.* 4. Reg. 4.

Mora-

Moraliter:

Puer iste humanum genus significat, quod in Adam spiritualiter mortuum fuit in Paradiso. Missus fuit Ioannes in
Mat. 1. *desertum baptizans, & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Sed ipse tollere peccata non potuit, nec humanum genus redimere: donec tandè ipse Dominus noster Iesus Christus per incarnationem suam super puerum incubuit; & ita humanum genus à morte æterna morte sua liberauit.

Euangelium:

Lucæ 1. *Elisabeth impletum est tempus pariendi, & peperit filium, & audierunt vicini, & cognati eius, quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei.*

Thema:

Exponitur Euangelium.

D. Augustinus *hom. 2. de natiuit. Ioannis,* & Beda *hom. de eadẽ natiuitate,* notauit non vacare mysterio, quòd Ioannis natiuitas in illos dies incidat, qui decrescere incipiunt: Domini autem natiuitas, cùm
Ioan. 3. dies crescunt, secundùm illud: *Illum oportet crescere, me autem minui.* Creuit quippe Dominus, quia per totũ orbẽ Christus,

quod Messias esset, fidelibus innotuit. Decreuit Ioannes, quia, qui Christus existimabatur, id est, Messias, quòd non Christus, sed præco Christi esset, apparuit. Nam, cùm *mitterent Iudæi ab Hierosolymis sacerdotes, & Leuitas, vt interrogarent eum: Tu quis es? confessus est, & non negauit: & confessus est: Quia non sum ego Christus.* Ioann. 1.

Elisabeth impletum est tempus pariendi.

Obseruauit Origenes, Ambrosius, & Theophylactus non omnibus, sed solis sanctis mulieribus tempus pariendi impleri in Scriptura dici: vt Elisabeth hîc, & de Maria: *Factum est autem, cùm essent ibi, impleti sunt dies, vt pareret:* quòd (vt ait Ambrosius) plenitudinem iusti vita habeat; inanes autem sint dies impiorum: quia nimirum bonis operibus, Deique gratia sunt vacui. Pleni autem dies iustorum, quia præclaris actionibus, & charitate diuina abundat. Dicit quidem Iob: *Sic & ego habui menses vacuos, & noctes laboriosas enumeraui mihi.* Habent viri iusti menses vacuos præmio illo æterno, quod exspectant, sed plenos meritis: at impij menses habent vacuos tam meritis nunc, quàm præmio post mortem: vanitate verò plenos. Sicut enim vacuū vas aëre plenum est: sic vacua impij vita plena est vanitate; quodq; peius est, sceleribus. Luc. 2. Iob 7.

Verùm

Verùm non eam arbitror hoc verbum vim habere, sed eam potiùs, vt indicet Euangelista, eo prorsus modo, eoque ordine succeßisse omnia, quo ab Angelo prædicta fuerant. Dixerat autem Angelus de vtraque, Maria & Elisabeth, fore, vt conciperet filium, & pareret. Ideo Angelus non contentus dixisse, vtramque concepisse, addidit, impletum fuisse pariendi tempus: quasi dicat, ne vno quidem die retardatam fuisse diuinam promissionem.

Et audierunt.

Credibile est, vicinos atque cognatos iam antea audiuisse, concepisse Elisabeth: sed dicuntur audiuisse nunc, quòd in partu maximè Dei erga illam cognouerint misericordiam. Ante partũ enim dubius semper, & multis expositus periculis conceptus est: tunc censetur perfectum, & cumulatum Dei beneficium esse, cùm, quæ concepit, etiam peperit. Rachel enim in partu mortua est.

Gen. 35. *Quia magnificauit Dominus misericordiã suam.*

Magnam vocat misericordiam, quòd sterili, & seni dedisset filium: sicut ipsa

Luc. 1. indicauit suprà: *Quia sic fecit mihi Deus in diebus, quibus respexit auferre opprobrium*

Matt. 11. *meum inter homines.* Et quia filius eius erat *magnus coram Domino*, adeò vt inter natos mulie-

mulierum non surrexerit maior.

Et congratulabantur ei.

In Græco est: ϰ̀ συνέχαιρον αὐτῇ, ad verbum: Congaudebant ei. Quod ideo videtur Euangelista dixisse, vt indicaret, impletum fuisse, quod Angelus prædixerat. *Et multi in natiuitate eius gaudebunt.* Luc. 1.
Congaudent, & congratulantur felicitati alienæ viri probi: sunt enim beneficia Dei quædam suauissimi odoris pretiosa vnguenta, quorum odore, qui charitate præditi sunt, trahuntur. Vnde sponsa: *Trahe me: post te curremus in odorem* Cant. 1.
vnguentorum tuorum. Traxit quoque odor iste Deiparam Virginē: nam *abiit in mon-* Luc. 1.
tana cum festinatione: vt Elisabeth congratularetur, sicut ceteri cognati. Et ante alios quia Angelo nunciante, odorem illum percepit. Inuidi autem odore tali torquentur, iuxta illud: Inuidus alterius macrescit rebus opimis.

Vt enim vaccæ illæ macilentæ, quas Gen. 41.
in somnis vidit Pharao, pingues alias deuorauerunt: ita inuidi macilenti eorum, quibus inuident, pinguedinem deuorare conantur. *Non nobis,* dixit olim Cato senior, *sed bonis, quæ nos circumstant, inuident homines.* Vnde illud Plutarchi, *lib. de odio, & inuidia: Nemo est, qui miseris inuideat.* Et illud: Sicut Cantharides lætioribus frumen-

frumentis, & viridioribus rosis maxime inhærent: ita inuidia cos præcipuè tangit, qui boni sunt, quique ad virtutem, gloriamque grassari videntur.

Sed, sicut Sol radiis vmbram; ita charitas suo splendore inuidiam ex animo pellit, & omnium felicitati congaudet.
1. Cor. 13. *Charitas non æmulatur.* Nato Isaac dixit Sara: *Risum fecit mihi Dominus: quicunque audierit, corridebit mihi.* Si risum facit alicui
Gen. 21. Deus, si gaudium, si opes, si virtutes tribuit, charitas læto corridet vultu.

Et factum est in die octauo.

Ab ortu. Is enim à lege dies circum-
Gen. 17. cisioni erat præscriptus. *Infans octauo die circumcidetur in vobis.*

Elegerat Deus octauum circumcisionis diem multis de causis. Prima fuit, vt mysterium significaretur. Septem dies temporalem: octauus spiritualem, & æternam vitam designare solet: quia septem diebus tota temporalis vita circumacta traducitur; octauus vltra est. Quod autem vltra temporalem vitam est, spirituale & æternum est. Circumcisio autem spirituale significabat vitam, qua opera carnis amputanda erant. Cyprianus *serm. de circumcisione.*

Secunda fuisse creditur, quòd octauus dies transacta iam hebdomade primus sequentis

ſequentis hebdomadis dies erat, quo Chriſtus erat reſurrecturus: vt doceremur, nouam poſt circumciſionem vitam inſtituendã eſſe, noſque cum Chriſto reſurgere debere, & in nouitate vitæ ambulare. Cyprianus *l. 3. epiſt.* 8. & Auguſtinus *ſerm.* 15. *de ſerm. Domini, & verb.* 141. *de tempore.*

Et venerunt circumcidere puerum.

Hinc nonnulli colligunt, morem Iudęorum fuiſſe, vt pueri in Synagoga circũciderentur, interpretãtes, *venerunt* parentes eius in Synagogam, vt puerũ circũciderent. Nam quos dicũt alios poſſe intelligi veniſſe? & vtrumque parẽtem circũciſioni interfuiſſe, manifeſtè conſtat: *Et reſpondens mater eius*, &c. nec potuiſſe venire in domum ſuam, vbi iam erãt, ſed in Synagogam, vbi non erant. Denique, etiam nunc eam inter Iudæos conſuetudinem permanere, vt in Synagoga circumciſio celebretur. Luc. 1.

Alij domi factam fuiſſe malunt, nam nullam alibi, quàm in domo factã fuiſſe, in Scriptura legi. Domi circumciſum Abraham, & domi eundẽ Abrahamum filium, vernáſque omnes ſuos circumcidiſſe. Domi Sephoram filium, quem ex Moyſe ſuſceperat, arrepto circumcidiſſe cultro, ne ab Angelo perimeretur. Gen. 17. Exod 4.

Iosu. 5. Domi Iosue totum circumcidisse populum traiecto deserto.

Certè Ioannem non in Synagoga, sed in domo paterna circumcisum fuisse, satis mihi videtur ex hoc ipso loco probari posse. Constat enim Elisabetham, matrè Ioannis, cùm circumcideretur,

Luc. 1. fuisse præsentem, cùm respondeat: *Nequaquam: sed vocabitur Ioannes.*

At non poterat octo dierum puerpe-

Leuit. 12 ra exire domo, & in Synagogam ire, cùm ex præscripto legis in sanguine triginta dies esse deberet. Qui ergo dicuntur venisse, vt puerum circumciderent? Possumus intelligere amicos, & cognatos. Neque enim dubium est, quin aliqua celebritate amicis cognatisque conuenientibus, vbicunque tandem circumcisio fieret, fieri soleret. Possumus & aliter interpretari, venisse, id est, ventum esse ad puerum circumcidendum, vt Hebræorum phrasis sit.

Et vocabant eum.

Incipiebant vocare, amici scilicet, & cognati.

Nomine patris sui Zachariam.

Duo ex hoc loco colliguntur. Vnum est, consueuisse apud Iudæos in circumcisione, sicut apud nos in Baptismo, nomina infantibus imponi. Num ante, an postquam

postquam puer circũcisus esset, id non satis constat. Theophylactus quidem, Euthymius, Chrysostom. apud D. Thomam, post circumcisionẽ imposita fuisse putant. Verùm qua ratione factum id in circumcisione fuerit, & in Baptismo nunc fiat, diuersæ à diuersis auctoribus rationes assignantur. Theophylact. quòd tunc homines Deo nasci, & in eius populum referri censentur. Alij, quòd nominum impositio dominij argumentum esset: ideoque solitos fuisse dominos, aut noua seruis suis nomina dare, aut mutare vetera: sicut legimus Iosephum à Pharaone Saluatorem mundi Gen. 41.
linguâ suâ vocatum: & Danieli, atque eius sociis nomina mutata: *Imposuit eis* Dan. 1.
præpositus Eunuchorum nomina: Danieli, Baltassar; Ananiæ, Sidrach; Misaeli, Misach; & Azariæ, Abdenago. Adnotauit hoc Chrysost. *homil. de ferendis reprehensionibus, & conuersione D. Pauli*, & Ioannes Damascen. *l. 2. de fide, c. 30.* In circumcisione igitur imposita fuisse nomina, quòd tunc infantes iugum, ac seruitutem Dei subire incipere viderentur.

Alterum, quod hinc colligitur, est consueuisse plerumque Iudæos infantibus nomina patrum, aut cognatorum imponere. Hinc Zachariam Ioannem

vocare voluerunt; & postea, cùm mater dixisset, vt vocaretur Ioannes, responderunt: *Nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine*. Hæc, inquam, eius ætatis consuetudo fuit, vt apparet. Nam primis illis sæculis, quæ sunt in sacris litteris consignata, nihil legimus eiusmodi: quin ex euentu aliquo plerumque nomina dabantur. Sicut Eua primū filium suum vocauit *Cain, quia possedi hominem*, inquit, *per Deum*. Tertium vocauit *Seth*, dicens: *Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel*. Porrò, Zacharias Hebreis idem est, quod Græcis, μνησίθεος, id est, memor Dei. Quod nomen alioqui pium decebat filium.

Luc. 1.

Gen. 4.

Et respondens mater eius.

Respondisse mater dicitur, aut quia interrogata fuerat, quod valdè vero simile est, cùm Zacharias mutus, & surdus commodè interrogari non posset: aut quia ipsa ex puerperio decumbens consultantes de vocando filio nomine patris sui Zachariæ inaudiuit: aut quia Hebraico idiomate respondere dicitur, quisquis etiam non interrogatus, etiam nemine antè locuto, aggreditur loqui.

Nequaquam, sed vocabitur Ioannes.

Neque ab Angelo ipsa audiuerat, vocandum esse Ioannem, qui in solo templi

pli adyto solus cum solo Zacharia fuerat locutus; neq; à Zacharia, qui surdus, & mutus erat. Reliquum ergo est, vt Spiritu sancto impleta, totum mysterium per reuelationē cognouerit, quod prius Angelus Zachariæ declarauerat; vt Origenes *homil. 9.* Ambrosius, Beda, Euthymius, Theophylactus notarunt.

Quia nemo est in cognatione tua.

Licet hic animaduertere carnales, & spirituales homines inter se pugnantes. Amici & cognati, vt fieri solet, carnem tantùm considerantes, nomen aliquod gentile dare volebant puero: pater verò & mater, quia non tam carnales, quàm spirituales erant, gratiam, non carnem, sequuntur, & Ioannem, quasi gratiosum, quemadmodum Deum velle intelligebant, vocandum esse contendunt.

Innuebant autem.

Nutibus, & signis, quia non solùm mutus, sed etiam surdus erat.

Et postulans pugillarem.

Græcis πινακίδιον, tabellam, quales hodie apud nos memoriæ causa esse solent. At quomodo postulauit? Nutibus, & signis, ait Euthymius.

Ioannes est nomen eius.

Non dixit, sit, aut erit, sed, est, vt indi-

 caret,

caret, non se tunc nomē imponere, sed ante ab Angelo impositum declarare; & non posse mutare homines, quod decretum est à Deo. Significat autē Ioannes (Hieron. interprete *l. de Hebraicis nominibus*) Dei gratiam: eandémque interpretationem sequuntur Beda, Origenes, Rupertus, & alij.

Et meritò quidem hoc nomen infans diuinitus accepit. Primò, quia gratiam Dei, Spiritū S. ab vtero matris repletus habuit, & nunquā amisit. Secundò, quia ex gratia Dei parentibus datus est. Tertiò, quia omnes Prophetas gratiā antecessit. Quartò, quia gratię Dei, id est, Euangelij, nuncius fuit. Quintò, quia fuit velut orizon legis, & gratiæ, iuxta illud: *Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem.*

Porrò Elisabeth significat Dei iusiurandum: Zacharias memoriam Dei, quā recordatus est iuramēti sui, gratiam

Luc. 16. Dei mundo protulit, iuxta illud: *Memorari testamenti sui sancti, iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum.* Et: *Suscepit*

Luc. 1. *Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ, sicut locutus est ad patres nostros, &c.*

Quod si quæras: An fuerit hoc nomen nouum? Resp. nouum quidem fuisse in cognatione Ioannis: non ta-

1. Mach. 2. & 16. men inter Iudæos; iam enim olim alij co

eo nomine fuerunt appellati.

Et mirati sunt vniuersi.

Intelligentes nomen non ab hominibus, sed à Deo esse impositum; vt patet per Elisabeth & Zachariam.

Apertum est autem illicò.

Quod dicit, *Illicò*, indicat ipsã nominis impositione, causam fuisse, vt impedita priùs Zachariæ lingua solueretur: sicut veteres auctores notarunt. De auditu restituto nihil dicitur: sed credendum, aures etiam eius, quæ semel occlusæ fuerant, simul apertas, vt Euthymius admonuit.

Et factus est timor.

Gaudium potiùs, quàm timorem inde nasci oportebat. Sed timor sic vocatur ex Hebræorum idiomate religio, reuerentia. Quasi dicat, ea re cognita impletos fuisse omnium animos religione, intelligentes tot signis non posse, nisi singulare aliquid, & admirandum à Deo portendi. Viderant Elisabeth sterilem, senémque peperisse. Viderant mutum factum propter incredulitatem Zachariam. Viderant matrem nouum, & inusitatum infanti nomen imposuisse. Viderant patrem idem scripsisse nomen, indicasséque id ab Angelo datum fuisse. Viderant statim eius solutam linguam.

Magnam hæc omnia religionem animis hominum ingerebant.

Mar. 4. Similis phrasis apud Marcum est: *Et timebant timore magno, & dicebant ad alterutrum: Quis putas, est iste, quia ventus & mare obediunt ei?* Item: *Et vident illum, qui à dæmonio*
Mar 5. *vexabatur, sedentem, vestitum, & sana mentis, & timuerunt.*

Etenim manus Domini erat cum illo.

Verba sunt Lucæ rationem reddentis præcedentium. Manus Domini potentia eius vocatur. Aliquando etiam prophetia vocatur manus Domini, quia impetu quodam, ac vi in hominem irruit; vt
Iud. 14. solet Scriptura loqui, dicens: *Irruit in eum spiritus Domini.* Huius significationis multa exempla apud Prophetas leguntur:
Ezech. 1. *Factum est verbum Domini ad Ezechielē, filium Buzi, sacerdotem in terra Chaldæorum, secus flumen Chobar: & facta est super eum ibi manus*
Ezech 3. *Domini.* Et: *Et facta est super me manus Domini, & dixit ad me,* &c. Vterque sensus conuenit in hunc locum: nam & Dei potentia, & spiritus prophetiæ cum Ioanne fuisse potest significari, quòd singularia in eo vtriusque signa cernerentur.

Morale.

Morale.

Et peperit filium. Ioan. 1.

Nos etiam concepimus puerum, scilicet animam nostram, in creatione: peperimus illum in Baptismo. Conueniunt amici, & vicini, id est, gratia Dei, & Angeli boni, vt animam nostram circumcidamus, id est, à vitiis abstrahamus.

Sed vnus cum Agar *abiecit puerum subter vnam arborum*: id est, in concupiscentiam, & ibi puer moritur solus. Admonemur autem ab Angelo: *Surge, tolle puerum, & tene manum illius, quia in gentem magnam faciam illum.* Ita nos surgere debemus, & puerum tollere, id est, curam animæ nostræ gerere: manum illius tenere, id est, opera eius dirigere: quia ad regnum cælorum vocata est. Gen. 21.

Alij festinant cum nutrice Miphiboseth, vt fugiant, & cadit puer, & claudus efficitur vtroque pede: id est, alij ita obiter animæ curam gerunt, vt mirum non sit, si nunc in peccatum cordis, nunc in peccatum operis cadat, & ita vtrumque pedem lædat. 2. Reg. 4.

Quid autem? Cùm Moyses *esset in itinere,* Exod. 4.

nere, in diuersorio occurrit ei Dominus, & volebat occidere filium eius. Quòd si nos tam parum animæ nostræ curam habeamus, occurret nobis diuina iustitia, & meritò damnabit eum. Sed *Sephora tulit illicò acutissimam petram, & circumcidit præputium filÿ sui*, & dimisit eum Dominus ob circumcisionem. Ita nos pœnitentiam amplecti debemus, qua vitiosa amputabitur caro animæ, & ita poterit viuere. Tunc etiam Ioannes vocabitur, quia in gratia Dei gradietur, donec tandem perueniat ad gloriam. Amen.

IN FESTO
SANCTORVM
PETRI ET PAVLI.

Exordium:

Num. 13. Exploratores terræ promissionis *pergentes vsque ad torrentem botri, absciderunt palmitem cum vua sua, quem portauerunt in vecte duo viri.*

Moraliter:

Duodecim illi exploratores duodecim Apostolos significât, qui ad torrentem

tem botri venerunt, quando Dominus Iesus *conuocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, vt eiicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem.* Illi palmitē abscindunt cum vua sua, quando prædicandi auctoritatem accipiunt, & futuram gloriam annunciant: *Euntes autem prædicate, dicentes: quia appropinquauit in vos regnum cælorum.* Et duo viri qui portauerunt palmitem in vecte designāt SS. Petrum & Paulum, qui verbum Dei prædicauerunt vbique summo cum labore. Matt. 10.

Euangelium:

Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi, & interrogabat discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse filium hominis? Matt 16.

Thema:

Tibi dabo claues. Ibid.

Ex hoc Euangelio vniuersi Ecclesiæ Doctores Petri primatum collegerunt. Tot enim penè ex hoc loco argumenta duci possunt, quot sunt in illa oratione Christi verba.

Primò, *Beatus es Simon Bariona.* Quemadmodū ex omni illo numero Apostolorum Petrus solus respōderat, & vsque adeò præclaram de Christo professionem ediderat, dicens: *Tu es Christus, filius Dei*

Dei viui: ita Christus prætermissis ceteris, nomine proprio eum compellat, parentis etiam nomine indicato, vt ea re faciliùs intelligeretur, ad quem nã propriè, ac singulariter sequentes promissiones referendæ essent.

Secundò, *Quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est*. Nempe declarauit etiam iis verbis, quantã certitudinem habitura esset ea doctrina fidei, quæ à Petro traderetur ex præcipua illa auctoritate, quam deinde illi promittit. Non enim sensu, qui sæpe fallit, car-
Gen. 27. nis & sanguinis, (Nam Isaac Iacob tetigit, & olfecit, & tamen in filio errauit) sed cælestis Patris inspiratione fides de Christo, atque adeò de aliis omnibus mysteriis (vt quæ ad Christum omnia reuocantur) concipienda à Petro, atque
3. Reg. 14. adeò explicanda erat. Ita Ahias, licet cæcus esset, bene tamen ex reuelatione agnouit vxorem Ieroboam, licet mutasset vestes.

Tertiò, *Et ego dico tibi*. Mercedẽ, inquit B. Hieronymus *l. 3. comment. in Matth.* recepit vera confessio. Et B. Cyrillus *lib. 4. Dialog. de Trinitate cum Hermia, paulò post initium*: Tam veræ, inquit, sententiæ remunerationem Petrus reportauit, id est, donum aliquod, atque prærogatiuam singularem

gularem viciſſim Chriſtus Petro pollicetur in præmium illius veriſsimæ confeſsionis, quam ipſe ſolus præ aliis de Chriſto fecerat. Quod ſimiliter diuus Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, Hilarius in commentario eius loci intellexerunt.

Quartò, *Quia tu es Petrus*. Hæc nominis commutatio promiſſæ etiam in omnes fideles auctoritatis indicium eſt. Quod primùm apparet ex Scripturæ analogia in aliis locis. Vbi enim aliàs ſimilis commutatio nominis diuinitùs facta perhibetur, ſingularis alicuius dignitatis ſymbolum eam fuiſſe intelligimus. Gen. 17.

Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram: ſed appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium conſtitui te. Item: *Sarai, vxorem tuam non vocabis Sarai, ſed Saram. Et benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium; cui benedicturus ſum, eritque in nationes, & reges populorum orientur ex eo.* Et Angelus: *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſrael: quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines praualebis?* Gen. 17. Gen. 32.

Deinde; Idem in propoſito confirmat ipſa ratio impoſiti nominis. *Petrus* enim Latinè, Græcè Πέτρος, & Syriacè, atque Hebraicè (qua lingua Chriſtus tunc vſus eſt) *Cephas* eſt. Quod vocabulum ſignifi-

significat saxum firmũ, & magno ponderi sustinendo aptum. Eum igitur, qui inprimis doctrinæ cælestis soliditate, ac firmitudine totam Ecclesiæ fabricam sustentaturus erat, aptissimo vocabulo Christus Petrum appellat: nempe qui tanquam saxum immobile in ædificio Ecclesiæ futurus esset, quod totius operis Christiani molem, atque compagem contineret, vt D. Ambrosius *serm. 47. de fide Petri* disertis verbis interpretatur.

Accedit, quòd multo etiam antea eam appellationem Petro Christus promiserat. Cùm primùm enim Petrus ab Andrea adductus esset ad Christum, intuitus eum Iesus, dixit: *Tu es Simon, filius Iona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur* (inquit Euangelista) *Petrus*.

Ioan. 1.

Quorsum tanto antea hæc tam seria appellationis promissio, si vacat mysterio? Equidem hic mihi subaudire videor Christum rationem eius nominis ab officij auctoritate, quam erat Petro collaturus aliquando, reddentem: perinde ac si aperte subiunxisset: Ideo vocaberis Cephas, quoniam instar firmissimi saxi totam molem ædificij Ecclesiæ eris sustentaturus. Hoc enim procul dubio illud est, quod animo Christus voluebat tum, cùm minimè ociosè intuens in Pe-

trum,

trum, aiebat: *Tu vocaberis Cephas.*

Quemadmodum igitur Deus Abrae dicens: *Appellaberis Abraham*, rationẽ eius Gen. 17.
appellationis ab eius futura dignitate subiunxit: *quia patrem multarum gentium constitui te*: ita Christus Petro dicens: *Tu* Ioan. 1.
vocaberis Cephas, futuram dignitatẽ illius, & principatum in ædificio Ecclesiæ insinuauit, etsi nondum tum quidem penitus expresserit; sed postea demũ, cùm is est confessus diuinitatem Christi; vt ait Chrysostomus *hom.38. in Ioannem.*

Quintò, *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Quam non explicauerat rationem appellationis, cùm Petro id nomen promitteret, eam tandem his verbis apertissimè exponit in ipsa nominis attributione. *Tu es*, inquit, *Petrus.* Quamobrem verò? Et qui tandem eiusmodi appellatio tantùm valet, vt mercedem illam contineat, quam (vt Patres asseuerant) recepit vera confessio? Nempe quia *super hanc petram*, inquit, id est, super te, Petre, *ædificabo Ecclesiam meam.* His autem verbis quemadmodum Dominus Petro promiserit primariam illam in Ecclesia auctoritatem, quam diximus, ita declaramus, & probamus. Ex multis nominibus, quibus Ecclesiæ dignitas, atque status propter varietatem, & ordinem,

nem, qui in ea cernitur, commodè potest significari, est vnum, Domus. Quod vocabulum ideo etiam bene in Ecclesiam conuenit, quia vt domus ab inquilino, ita cœtus fidelium à Spiritu sancto inhabitatur. Hanc domum Deus per filium suum Iesum Christum ædificat, vt
1.Cor.3. Apostolus ait: *Dei ædificatio estis.* Nec verò diuinitus hanc domum ædificari aliud est, quàm fide, & cultu, & moribus aptari diuino beneficio, atque perfici fideles, vt, postquam gratia demùm expoliti, ac tum inter se, tum cum Christo quàm optimè coniuncti fuerint, ex illis construatur quasi dignũ Deo habitaculum, secundùm gratiam quidem in hac vita, & secundùm æternam beatitudinem in altera: quò spectat omnis hæc Ecclesiæ
2.Cor. 10. 12. 13. Ephes. 2. & 4. fabrica. Hæc est illa ædificatio, cuius Apostolus meminit, quam dicit esse cum primis in charitate & fide: ad quam omnia, quæ fiunt, referri vult, & in qua perficienda suorum opera ministrorum Deum vti docet, id est, Doctorum & Pastorum, *quos dedit Deus*, inquit, *in ædificationem corporis Christi, ad consummationem Sanctorum, vt euadamus omnes in virum perfectum.* Cùm Christus igitur singulariter supra petram se Ecclesiam suam ędificaturum dixit, Petrum constituit facere huius

domus,

domus, atq; ædificationis ſingulare fundamentũ: vt ei videlicet poſt Chriſtum, tanquam firmæ petræ, tota illa fabrica ſpiritualis innitatur. Id verò aliud non eſt, quàm auctoritatem prorſus ſolidam ac firmam Petro promiſſam eſſe, qua certò niti oporteat omnes fideles in iis rebus, quæ ad fidem, cultum, mores, id eſt, ad ædificationẽ Eccleſiæ pertinent.

Sextò, *Et tibi dabo claues regni cælorum.* Illuſtrat his verbis Chriſtus alia metaphora vim auctoritatis illius primariæ, quam Petro ad conſtituendum de iis rebus, quæ pertinent ad ſalutem fidelium, pollicebatur. Nam claues regni cælorum eam poteſtatem vocat, propterea quòd eius vſu multiplici cælũ fidelibus vel clauditur, vel aperitur. Quid enim eſt aliud, doctrinam fidei certò explicare; peccata remittere; leges ſalutares condere; ea, quæ ad ſanctiſsimum cultum pertinent, conſtituere; aliiſque id genus rationibus hominum ſaluti conſulere; quàm iiſdem cælũ, id eſt, aditum ad ęternam beatitudinem aperire? Contrà verò, cùm beneficium remiſsionis peccatorũ iuſta ex cauſa negatur; cùm alicuius aut vita, aut doctrina condemnatur; cum excluditur ex communione fidelium; huic nimirum quaſi clauditur

 cælum,

cælum. Itaque intelligendum est, cùm soli Petro in hoc loco claues regni cælorum promittuntur, summam illi post Christum in Ecclesia promitti potestatem. Nempe eiusmodi, qua omnibus aliis, atque adeò etiam ipsis Apostolis, & omnibus modis aperire potuerit regnum cælorum.

Non enim Apostolis item reliquis aut promisisse, aut tradidisse ipsas cæli claues Christum legimus. Etsi attribuit illis quidem quandam auctoritatē vsus eiusmodi clauium; vt scilicet clauderēt cælum, aut aperirent, retinendo, vel remittēdo, seu quod idē est, soluendo, vel
Matt. 18. ligando peccata. *Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta*
Ioan. 20. *& in cælo.* Et: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Quod sanè discrimen inter Petrum & alios Apostolos, quod attinet ad potestatem clauium, præclarè veteres Patres animaduerterunt.

Accedit præter auctoritatem eorum analogia Scripturæ, eiusque phrasis, in aliis locis. Etenim clauiū nomine summa potestas designari in Scriptura sacra solet. *Dabo* (inquit Dominus Eliachim summo Sacerdoti, qui typum Christi gessit)

gessit) *clauem domus Dauid super humerū eius.* Isa. 22.
Et aperiet, & non erit, qui claudat; & claudet, & non erit, qui aperiat. Quid verò hæc clauis significat? Nempe potestatem talem in domo Dauid, id est, in Ecclesia, vt quod ab ea recte, ac legitimè constitutum sit, ratum apud omnes, ac firmum esse debeat, nec possit à quoquam re[s]cindi. Hanc clauem, id est, potestatem in Ecclesia, quæ & dicitur regnum cælorum, Christus præstantissima ratione habet. Ipse enim est *sanctus ille, & verus*, inquit Apoc. 3.
Ioannes, *qui habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit.* Petro igitur vices suas in hac vsurpanda claue, id est, summam post ipsum auctoritatem in terris promisit hoc loco. Ac sanè in politicis etiam id similiter obtinuisse videmus, vt cui regendæ ciuitatis summa auctoritas attribuitur, huic tanquā eius dignitatis symbolum quoddam, claues ciuitatis tradantur.

Septimò, *Et portæ inferi non prævalebunt aduersus eum.* Portæ inferorum, inquit Epiphan. *in lib. Anchoratus non longè ab initio*, sunt hæreses, & hæresiarchæ. Quo pacto & alij Patres hoc loco portas inferorum interpretantur. Si igitur ita supra Petrum est fundata Ecclesia, vt possit opera Petri, & ministerio aduersus omnes hære-

ses, & omnem vim inferorum firma stare; confiteri necesse est, talem Petro auctoritatẽ tributam esse, qua is potuerit tum in omni fidei quæstione certò docere, quod verissimum est; tum quæ essent fidelibus aut in cultu, aut in moribus salutaria, sanctè constituere.

Octauò, *Et quodcunque ligaueris super terram, &c.* Quibus verbis non qualicunque modo eum significat ligare, aut soluere posse; sed tanquam eum nimirum, qui auctoritatem ipsam clauium regni cælorum absolutam, atque plenam habet. Quo sanè pacto ceteri Apostoli clauium auctoritatem non acceperunt, vt diximus. Sicut Elizæus, quando percus-
4. Reg. 4. sit aquas pallio Eliæ, non sunt diuisæ aquæ, nisi cùm diceret: *Vbi est Deus Eliæ etiam nunc?*

Morale.

Matt. 16. *Tibi dabo claues.*

Nos etiam, si claues regni cælorum accipere velimus, id est, si illud intrare, Dominum nostrum Iesum Christum confiteri, & agnoscere debemus.
1. Reg. 10. Cùm Saul Rex creatus esset, *filij Belial dixerunt: Num saluare nos poterit iste? Et despexerunt*

runt eum, & non attulerunt ei munera: ille verò dißimulabat se audire. Ita nunc etiam quidam Dominũ Iesum agnoscere nolunt, qui eum Deum negant, aut veram carnem habuisse non credunt. Quod si *confitentur se nosse Deum, factis* sanè *negant: cùm sint abominabiles, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi.* Alij eum despiciunt videntes paupertatem eius, & vilitatem. Alij munera non afferũt, quia eleemosynas pauperibus amore illius erogare nolũt. Sed ipse nunc omnia dissimulat, donec ad iudicium vltimum iustus iudex veniat. Tunc vltionem sumet de hostibus suis. Tunc diuina clamabit iustitia: *Quis est iste, qui dixit: Saul non regnabit super nos? Date viros, & interficiemus eos.* Qui sunt, qui Dominum Iesum contempserunt? Date viros, & in ignem æternum coniiciemus eos.

Tit. 1.

1. Reg. 11.

Semei etiam *procedebat egrediens, & maledicebat, mittebatque lapides contra Dauid, & contra vniuersos seruos Regis Dauid.* Ita nos, quoties peccamus facto, toties lapides mittimus cõtra Dominum Iesum. Nec tantùm mittebat lapides, sed etiam terram spargebat. Nos, quoties peccamus verbo, toties terram spargimus contra Dominum Iesum.

2. Reg. 16.

Quòd si claues regni cælorum acci-

pere velimus, potiùs cum muliere Thecuite dicere debemus: *Sicut Angelus Dei, sic est Dominus meus rex, vt nec benedictione, nec maledictione moueatur: vnde & Dominus Deus tuus tecum est.* Et Dominus Iesus sicut Angelus Dei; non tamen Angelus, sed maior illo: nec Deus cum ipso tantùm, sed ipse Deus est.

2. Reg. 14.

Et iterum: *Tu autem, Domine mi rex, sapiens es, sicut habet sapientiam Angelus Dei, vt intelligas omnia super terram.* Maiorem tamen habet Christus Dominus Angelo sapientiam, quia sapientia eius est infinita. Quòd si ita Deum illum confiteamur, placatus faciet, quod petimus: reuocabit nobis puerum Absolom, id est, dimittet nobis peccata nostra, & in regno suo collocabit. Amen.

IN

IN VISITATIONE B. MARIÆ.

Exordium:

IOram Rex Israel *obsederat Ramoth Galaad, & reuersus fuerat, vt curaretur in Israel, propter vulnera, quia percusserant eum Syri praliantem contra Hazael, regem Syriæ. Et Ochozias rex Iuda descenderat ad visitandum Ioram.* 4. Reg. 9.

Moraliter:

Ita etiam in piis illis personis Elisabeth & Maria, hac festiuitate contigit, sed alio prorsus modo. Non enim comparare volumus sanctas personas cum regibus impiis, Angelos cum Syris, regnum cælorum cum Ramoth Galaad. Itaque Elisabeth cælestem ciuitatẽ obsedit, quando pro filio Dominum rogauit. Vulnerata fuit à Syris, quando Angelus ad Zachariam ait: *Vxor tua Elizabeth pariet tibi filium.* Luc. 1. Reuersa fuit, vt curaretur, quando *impletum est tempus eius pariendi, & peperit filium.* Tunc *Maria cum festinatione in montana abiit,* & Elizabeth visitauit.

Euangelium:

Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione Ibid.

natione in ciuitatem Iuda, & intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elisabeth.

Exurgens Maria.

Ab oratione exurrexisse Virginem ad iter Dionysius Carthusianus, Lyranus,& alij pie existimãt. Dicendi tamen modus significat proficiscendi gestum: qui enim aliquo proficiscitur, à loco, in quo sedet, exurgit. Vnde legimus:
1. Mach. 12. *Tryphon exurgens abiit in Bethsan,*&c.

Dubium verò est: An B. Virgo mox post diuini Verbi incarnationem ad Elisabeth profecta sit, an post aliquot dies? Theophylactus, Beda, Ambrosius, Origenes putant, quòd statim profecta sit. Verba tamen Euangelij, *In diebus illis*, id est, in tempore illo, innuere videntur, post aliquot dies iter susceptum.

Abiit.

Qui dicunt experiendæ, probandæque fidei causa tam subitam profectionem Mariam suscepisse, non satis honorificè mihi videntur de illa sentire: etsi Theophylactus, bonus auctor, in ea quoque videatur esse sententia. Nam neque curiosa sanè erat, & de verbis Angeli non dubitabat, cùm illi Elisabeth dicat: *Beata, quæ credidisti.*

Sed prima profectionis eius causa est Baptistæ in vtero sanctificatio: vt nimirum

rum Ioannes diuinitus à peccato originali expiaretur, & Spiritu ſancto adhuc ex vtero matris ſuæ repleretur, quod Angelus Zachariæ prædixerat: & vt exultatione Ioannis in vtero, glorioſior eſſet Chriſti conceptio.

Secunda, vt Eliſabeth congratularetur de admirando præcurſoris conceptu. Si enim Dauid fecerit miſericordiam cum Hanon, filio Naas, impio homine & gentili, vt conſolaretur eum per ſeruos ſuos ſuper patris interitu: quanto magis decuit D. Virginem eam charitatem cognatæ ſuæ Elizabeth exhibere, vt ei de tanti conceptu filij gratularetur? 2. Reg. 10.

Tertia, humilitas fuit, vt Eliſabeth miniſtraret. Sicut Samuel ſanctior, & maior Heli, miniſtrabat Domino coram Heli; nec dubium, quin frequenter ipſi Heli miniſtraret. Nam cùm vocaret Heli Samuelem, ſtatim reſpondit: *Præſto ſum*. Ita Maria Eliſabeth, licet ſanctior, maior, & melior illa eſſet. 1. Reg. 3.

In montana.

εἰς τ̀ ὀρεινὴν. In montanam, ſcilicet regionem: montes Iudææ intelligit, qui frequentibus etiam ciuitatibus habitabantur.

Cum festinatione.

Græcè, μετὰ σπουδῆς. id est, festinatione, studio, diligentia.

Prima causa festinationis fuit, ne extra domum diu in publico moraretur:
Gen. 34. nam *egressa Dina filia Lia* violata est.

Secunda causa fuit gaudium, quo Virginis cor in Deum exultauit. Ita Rebec-
Gen. 24. ca, cùm locuta esset seruo Abraham, *cucurrit puella, & nunciauit in domum matris suæ omnia quæ audiuerat.* Et Rachel cùm locu-
Gen. 29. ta fuisset Iacob, *festinans nunciauit patri suo.*

Tertia causa est Spiritus sancti gratia, & impulsus. Sicut enim Samson, cùm
Iud. 14. *irrueret in eum Spiritus Domini, descendit in Ascalonem, & percußit ibi triginta viros*: ita Diua Virgo eiusdem Spiritus impulsu ascendit.

Quarta, festinabat, vt Christus in vtero Virginis Ioannem sanctificaret, & à peccato originali expiaret. Ita etiam
Luc. 19. Dominus ad peccatorem: *Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.*

In ciuitatem Iuda.

Ciuitatem hanc Iuda, in qua Zacharias & Elisabeth habitabant, volunt aliqui fuisse Ierusalem. Sed refutatur illa sententia duabus rationibus. Prior est, quia, cùm de Ierusalem Euangelistæ

agunt,

agunt, semper illam proprio nomine appellant Ierusalem, non ciuitatē Iuda. Posterior, quia Ierusalem ad tribum Beniamin potius, quàm ad tribum Iuda pertinebat. Nam in libro Iosue Ierusalem perspicuè inter vrbes tribus Beniamin numeratur. Iosu. 18.

Verisimiliùs Cardinalis Baronius sentit, *in apparatu*, hanc ciuitatem, quam Dei parens petiit, fuisse Hebron. Erat enim ciuitas Hebron in mōtanis Iudææ sita, & ad Sacerdotes pertinebat. Cùm ergo Zacharias sacerdos esset, verosimile est in ea habitasse; non tamen certum. Distat autem Hebron à Ierusalem, teste Abulensi *Gen. 2. qu.22.* octo leucis. Credibile autem est, Virginē, antequam Elizabetham inuiseret, Ierosolymitanum templum adiisse, & pro tanto accepto incarnationis beneficio Deo gratias egisse. Iosu. 21.

Et intrauit in domum Zachariæ, & salutauit, &c.

Venit propinqua ad proximā, iunior ad seniorē. Nec solùm venit, sed etiam prior salutauit. Decet enim, vt quanto castior virgo, tanto humilior sit. Nouerat deferre senioribus. Sit magistra humilitatis, in qua est professio castitatis.

Et

Et factum est, vt audiuit salutationem, &c.

Id est, statim vt audiuit. Voluit enim Euangelista significare salutationem ipsam Mariæ causam fuisse, vt & Ioannes exultaret in vtero, & vterque mater & filius Spiritu sancto repleretur. Quem quidem Spiritum priùs Ioannes infans in vtero, quàm mater hausit, haustumque in matrem effudit, atque vniuersa naturæ lex in re non naturali mutata est. Solent infantes in vtero clausi ex matre vitalem spiritum capere: at Elisabeth contra ex filio suo spiritum cepit.

Exultauit infans in vtero.

Qua ratione Ioannes exultauerit, vtrùm sentiens Saluatoris aduentum, an sine vllo sensu suo, solâ diuinâ potentiâ, vt ex eius exultatione Elisabeth intelligeret, quis ille esset, quem in vtero Maria gestaret, disputari inter interpretes solet.

Caluinus non solùm nullum illi sensum, sed ne gaudium quidem, aut motum vllum præter naturam illi tribuit. Naturale enim esse ait, vt gaudio gestiente matre infans in vtero moueatur, & modo quodam exsiliat.

Alij diuinitus quidem exultationem factam esse putant, sed sine eius sensu, sine

sine cognitione, sine fide: sicut & diuinâ potentiâ, sine suo tamen sensu, conceptus fuerat.

Confirmant hanc opinionem multa.

Primò, quòd Euangelista, vt Augustinus argumentatur *epist. 57. ad Dardanum*, de solo loquatur motu: de sensu verò, de cognitione, de fide infantis nihil dicat.

Secundò, quòd etiam in vtero Rebeccæ duo infantes, Iacob & Esau rixati fuerint, idque sicut Ioannes, vt magnum aliquod matri mysterium declararent, cùm tamen id sine vllo suo sensu fecisse credantur. Gen. 25.

Tertiò, si anticipatus in Ioanne fuisset vsus rationis, semper postea, & in ipso vtero, & in lucem editus eundem rationis vsum habuisset. Quod etsi Ambrosius explicans illa verba: *Elisabeth impletum est tempus*, sponte concedere videtur: non video tamen vulgò credi.

Quartò, sunt, qui id etiam ex Græco verbo confirment, σκιρτᾷν, quod animalium ratione carentium, & infantium sine suo etiam sensu in vtero gestientium proprium est.

Libentiùs plures sequor auctores, melioribus præsertim rationibus suã mihi probantes opinionẽ. Pluriũ verò opinio

est,

est, Ioanni ad Christi aduentum rationem anticipatam. Quin etiam aliqui existimant, propterea à Christo postea
Matt. 11. dictum esse: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista*, quòd in vtero Ioannes prophetasset.

Argumenta quoque huius opinionis maiora sunt.

Primò, si nihil Ioannes sensisset, nihil de eo noui, & nihil magni dictum esset. Atqui perspicuum est, Euangelistam aliquid de illo diuinum, ac singulare dicere voluisse.

Luc. 1. Secundò, quod Angelus dixerat: *Spiritu sancto replebitur adhuc in vtero matris suæ*, non potest, nisi nũc, cùm in vtero Ioannes exultat, & quodã modo venientem salutat Christum, esse completum. Spiritu sancto autem nemo, nisi sentiens, impletur.

Tertiò, quomodo Spiritu sancto Ioannes repletus est, nisi quo ipse repletus repleuit matrem? Mater autem dicitur repleta fuisse Spiritu sancto, quia præter naturæ ordinem exultare in vtero suo sentiens infantẽ, in prophetiam erupit, matremq; Domini sui ad se venientem agnouit. Eodẽ igitur modo Ioannes repletus Spiritu S. est; eodem modo, quem indicauit matri, priùs agnouit Christum.

Itaque

Itaque illud: *Exultauit in gaudio infans in vtero meo*, non poteſt intelligi de gaudio matris; vt Caluinus vult: ſed de gaudio Ioannis intelligi debet. Si enim de gaudio matris intelligeretur, non ex filij exultatione matris gaudium, ſed ex gaudio matris exultatio filij ſecuta eſſet. Atqui Eliſabeth ex filij exultatione minimè obſcurè indicat, ſe & Chriſti matrem cognouiſſe, & lætitia tanta perfuſam eſſe, vt exclamauerit: *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?*

Ad primam obiectionem prioris opinionis reſpondeo, Euangeliſtam ſatis de cognitione, & fide Ioannis dixiſſe, cùm ad Chriſti aduẽtum exultaſſe infantem dixit, indicans haud dubiè iam tum præcurſoris functum officio.

Ad ſecundam obiectionem de filiis Rebeccæ non eſt ſimile. Neque enim ad aduentum Domini rixati ſunt, ſed aut naturaliter, dum diuerſis in vtero motibus agitantur, quâ re ad ſignificandum myſteriũ Spiritus ſanctus vſus eſt: aut ſi aliquo ſupra naturam inſtinctu, certè ſine cognitione, quæ ad id, quod agebatur, non erat neceſſaria.

Ad tertiam, non ſequitur, ſi anticipatus in Ioanne fuit vſus rationis, eundem in eo poſtea permanere debuiſſe, quia

cum

cùm ad demonſtrandum tantum Chriſtum illi datus eſſet, neceſſe non erat, vt eo demonſtrato permaneret. Sicut in Prophetis, poſtquam ea prædixerant, quæ Deus volebat populo ſignificari, non ſemper manebat Spiritus Prophetiæ.

Ad quartam, ex verbo Græco nihil argumenti ſumi poteſt, quia etſi animantium ratione carentium proprium eſt; tamen ad homines lætitiâ geſtientes per metaphoram ritè transfertur.

Et exclamauit voce magna.

Quia ſcilicet laudes Virginis magnæ ſunt, & magnam vocem flagitant. Vnde
Luc. 11. & alio loco: *Extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter*, &c.

Benedicta tu inter mulieres, &c.

Vel hinc apparet, hanc vocem Eliſabeth Spiritu ſancto afflatam emiſiſſe, quòd eadem verba dixit, quæ Angelus. Quaſi dicat, nunc intelligo, te meritò ab Angelo benedictam inter mulieres appellatam, cùm ſis mater Domini mei.

Et vnde hoc mihi.

Id eſt, Vnde, aut quare ego merui? Non ſunt ergo verba ignorantis, ſed ſe indignam affirmantis. Eodem modo
Matth. 3. Ioannes poſtea dixit: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?*

Vt

Vt veniat mater Domini mei.

Paucis verbis Elisabeth de præsentibus, præteritis, futuris, vaticinatur. De præsentibus, cùm Mariã vocat matrem Domini sui. De præteritis, cùm dicit: *Beata, quæ credidisti.* De futuris, cùm addit: *Quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino.*

Nos etiam si à D. Virgine visitari velimus, strenuè nos in bonis operibus exercere debemus: nam, vt in Speculo historiali legimus, F. Reinaldus primò miles fuit, postea conuersus Ordinis Cisterciensis. Cùm autem quadam die exisset ad metendum cum ceteris, iussus est sedere & quiescere, eò quòd delicatas manus atque seniles, labor tantæ difficultatis non admitteret. Sedens autem percutiebat cor suum, & ægrè ferens, quòd non laboraret cum ceteris, ita loquebatur apud se: O miser homuncio, quanti sapientes & nobiles secundùm carnem hic laborant, qui si in sæculo permansissent, grande nomen habituri essent: tu autem hîc sedes totâ die ociosus inueterate dierũ malorum, cùm ante te portent pondus diei & æstus delicati iuuenculi, qui in gloria mundæ conscientiæ non dederunt maculam peccati. Dum sic miraretur fratrum in-

ſtantiam, vidit turbam candidatarum de colle deſcendere, cui præerat quædam forma procerior, & ante eam aliæ duæ, manutergia geſtantes manibus. Hæc Domina veniens, cum cuneo ſuo, ſalutauit Fratres in oſculo ſancto, amplexans brachiis charitatis ſuæ, duabus quoque comitibus linteola prætendentibus extergebat puluerem, & ſudorem de Monachorum frontibus, & duriùs laborantes dulciùs conſolabatur. *Ex libro, qui dicitur Exordium Ordinis Ciſtercienſis, cap.* 29.

IN FESTO
S. MARIÆ
MAGDALENÆ.

Exordium:

4. Reg. 12. *ET tulit Ioiada Pontifex gazophylaciũ vnum, aperuitque foramen deſuper, & poſuit illud iuxta altare ad dexteram ingredientium domum Domini; mittebantque in eo Sacerdotes, qui cuſtodiebant oſtia, omnem pecuniam, quæ deferebatur ad templum Domini.*

Morale.

Moraliter:

Gazophylacium illud rectè Mariam Magdalenã designat. Hanc Ioiada Pontifex tulit, quando Deus illi præuenientem gratiam dedit, quâ ad pœnitentiam conuersa fuit. Foramẽ desuper aperuit, quando illi efficacem ad conuersionem gratiam dedit. Posuit illam iuxta altare, quando *retrò secus pedes Iesu stetit.* Et tunc mittebãt in eam Sacerdotes pecuniam, quando *lacrymis cœpit rigare pedes Iesu, & capillis capitis sui tergere, & osculari pedes eius, & vnguento vngere.* Ad dexteram iuxta altare posita fuit, quando audiuit: *Remittuntur tibi peccata tua.* Luc. 7.

Euangelium:

Rogabat Iesum quidam Pharisæus, vt manducaret cum illo: & ingressus domum Pharisæi, discubuit. Ibid.

Thema:

Quoniam dilexit multum.

Videndum est, quomodo debeamus Deum diligere: de quo quatuor dicenda sunt.

Primum est. Posse, ac debere Deum amari à nobis secundum se immediatè, vt docet D. Thomas 2.2.q.27.art.4.

Probatur, quia debemus illum amare

conuenienter ipſi naturæ amoris. Amor autem tendit in rem, prout eſt in ſeipſa; cùm cognitio tendat in illam, vt eſt in cognoſcente aliquo modo. Hæc differentia amoris, & cognitionis expreſſa eſt in Martha, & Maria Magdalena: quarum illa foras exiuit, & *Ieſum in domum*
Luc. 10. *ſuam excepit*: iſta *ſedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius*.

Neque obſtat, quòd nihil poteſt amari incognitum, vt Auguſtinus ait *lib. 3. de Trinit. c. 1. & 2.* Deus autem non perfectè, & ſecundùm ſe cognoſcitur à nobis. Etſi enim oporteat rem ipſam cognoſci, vt ametur; tamen poteſt ſecundum ſe amari, etiamſi perfectè cognoſcatur: ſicut v.g. etſi aliquis non perfectè cognoſcat ſcientiam Theologiæ, vel artem pingendi, tamen ob aliqua generatim, quæ de illarum excellentia prædicari audiuit, eas diligit, & proinde ad eas perdiſcendas animum applicare ſtatuit.

Atque hinc eſt, quòd, vt ait Apoſtolus,
1. Cor. 13. *Charitas* illa erga Deum, quam in hac etiam vita habemus, *nunquam excidit*, quia videlicet eſt ſuo modo perfecta, & circa Deum, prout eſt in ſeipſo: tametſi illum in hac vita non cognoſcamus, niſi admodū imperfectè, quaſi per ſpeculum, & in ęnigmate, vt ait Apoſtolus. Quòd ſi

Ruth

Ruth tam fideliter adhęſerit ſocrui ſuæ, vt diceret ei: *Ne aduerſeris mihi, vt relinquam te, & abeam. Quocunque enim perrexeris, pergam: & vbi morata fueris, & ego pariter morabor. Populus tuus, populus meus; & Deus tuus, Deus meus. Quæ te terra morientem ſuſceperit, in ea moriar, ibique locum accipiam ſepulturæ. Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, ſi non ſola mors me & te ſeparauerit:* quid non oporteat nos facere in adhærendo diuinæ miſericordiæ, per quam Deus filium ſuum miſit in mundum, vt ſponſus eſſet Eccleſiæ, qui & pro ea mortuus eſt? Ruth 1.

Secundò, dicendum eſt, poſſe item, ac debere Deum totaliter à nobis amari, tum ex parte ipſius Dei, quia & ipſe totus, & omnia, quæ ad illũ pertinent, ſunt diligenda ex charitate. Ita Moyſes, tametſi plurima à Deo beneficia acceperat, & multa illi etiam dilectionis ſigna exhibuerat, valdè tamen faciem Domini videre deſiderabat, vt totaliter eum amare poſſet, dicens: *Si inueni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi faciem tuam, vt ſciam te, & inueniam gratiam ante oculos tuos.* Et iterum: *Oſtende mihi gloriam tuam.* Tum ex parte diligentis, iuxta illud: *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.* Non autem ex parte modi etiam diligendi, ita vt quantùm Exod. 34 Matt. 22.

tùm Deus diligibilis eſt,tantùm à nobis ametur.Sic enim ſolus ipſe poteſt ſe totaliter amare, cùm ſit infinitè diligibilis, & ille ſolus ſe amet amore infinito, vt docet D. Thomas *artic.5.* Vnde Salo-
3.Reg.8. mon: *Si enim cælum, & cæli cælorum te capere non poſſunt: quantò magis domus hæc, quam ædificaui?*

Tertiò, dicendum eſt, ſic eſſe à nobis Deum diligendum, vt ſine menſura illum amare conueniat; ita vt nunquam tam perfectè, quin perfectiùs amare conemur.

Id probatur primò ex D. Bernardo, qui *l. de diligendo Deum, ſub initium*, cùm interrogatus eſſet, propter quid, & quomodo eſſet diligendus Deus: *Cauſa*, inquit, *diligendi Deum, Deus eſt: modus, ſine modo eum diligere.*

Probatur ſecundò ratione D.Thomæ *art.6.* Nam Deum diligimus tanquam finem, & quidem vltimum. Actio autem ea, qua finem attingimus, non habet menſuram, ſed ea, quæ eſt circa media. Nam finis, vt finis non menſuratur per aliquid aliud, ſed ipſe potius eſt menſura mediorum ad illum.

Quòd ſi tempore belli, Latini, qui ſemper quidem æmulatione imperij, & magiſtratuum Romanis infeſti erant;

tum

tum verò contemptu Vrbis incensæ, cùm ius ciuitatis, partemque imperij, ac magistratuum poscerent pari imperio, atque iam amplius, quòd congredi auderent: si, inquam, eo tempore Decius Mus tantum patriæ suæ amorem exhibuit, vt quasi monitu Deorũ capite velato primam ante aciem Diis manibus se deuouerit, & in confertissima se hostium tela iaculatus, nouũ ad victoriam iter sanguinis sui semitâ aperuerit: quid nos amore Dei viui, & cælestis patriæ facere non oporteat? Quomodo non caput nostrum, id est, animam nostrã contra peccata velabimus, & Deo nostro æternum nos deuouebimus?

Sed multi (eheu!) aliquos Carthaginis ciues imitantur. Nam tertio bello Punico, deploratis nouissimè rebus, quadraginta se millia virorum dedideræt, quod minùs credas, Duce Asdrubale. Multi, inquam, animam suam hostibus suis per iracundiam, blasphemiam, iniustitiam dedunt. Quantò fortius alij ciues, qui sponte domibus, ac templis suis tantum immiserunt incendium, vt per continuos decem, & septẽ dies extingui non potuerit, vt, quatenus vrbs eripi Romanis non poterat triumphis, arderet? Ita nos etiam charitate erga Deum incen-

dere debemus, vt in hostium manus non deueniamus. Quantò etiam fortius fœmina, & vxor Ducis? Quæ comprehensis duobus liberis, à culmine se domus in medium misit incendium, imitata reginam, quæ Carthaginem condidit. Ita Maria Magdalena à culmine peccatorum se misit in incendium amoris Domini, quando *lacrymis cœpit rigare pedes Iesu, & capillis capitis sui tergere.* Luc. 7.

Quartò dicendum, debere à nobis diligi Deum propter se, tanquam propter vltimum finem rerum omnium.

Probatur, quia debet diligi super omnia appreciatiuè. Ex quo sequitur, non esse licitum Deum principaliter diligere propter rem aliquam, ad quam Deum ordinemus, tanquam ad finem. Id enim esset peruersè vti re fruendâ, & vtendâ frui: vt docet D. Augustinus *l. 1. de doctrina Christ. c. 4.*

Sed hoc tempore multi Deum ex solo timore, ob vtilitatem suam diligere cupiunt. Sicut Abimelech, rex Geraræ, pepigit fœdus cum Abraham dicens: Gen. 21. *Iura per Deum, ne noceas mihi, & posteris meis, stirpique meæ: sed iuxta misericordiam, quam feci tibi, facies mihi, & terræ, in qua versatus es aduena.* Ita multi potentissimum Deum sciunt: & ideò, ne noceat illis, fœdus

cum

cum eo ineunt. Sic etiam Gabaonitæ *audientes cuncta, quæ fecerat Iosue Iericho, & Hai, dixerunt ei, atque simul omni Israeli: De terra longinqua venimus, pacem vobiscum facere cupientes.* Multi cum Deo pacem facere cupiunt, quia æternas illius pœnas exhorrescunt: sed illa charitas perfecta non est: quia *timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem.*

Iosue 9.

1. Ioan. 4

Alij Deum, & religionem amant in prosperis: blasphemant in aduersis. Ita Semei, cùm fugeret Dauid Absalom, maledicebat Regi, dicens: *Egredere, egredere, vir sanguinum, & vir Belial.*

2. Reg. 16.

Sed cùm reuerteretur Dauid, festinauit Semei, & descendit cum viris Iuda, in occursum regis Dauid. Et prostratus coram rege, dixit ad eum: *Ne reputes mihi, Domine mi, iniquitatem,* &c.

2. Reg. 19.

Alij Deum amant, vt videantur ab hominibus. Vnde Dominus ad Discipulos: *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioqui mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cælis est.* Et: *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.*

Matth 6.

Matth 5.

Quicunque ergo Deum amare desiderat, sincerè illum amet. Ita Chusai in aduersis amauit Dauid, quando *occurrit ei*

2. Reg. 15.

 scissa

ſciſſa veſte, & terra pleno capite.

Ita etiam Maria Magdalena amauit
Luc. 7. Ieſum. Quia ex amore *attulit alabaſtrum vnguenti:* ex amore *ſtetit retrò ſecus pedes Ieſu:* ex amore *lacrymis cœpit rigare pedes eius:* ex amore *capillis capitis ſui tergebat:* ex amore *oſculabatur pedes eius:* ex amore *vnguento vn-*
Luc. 10. *gebat.* Qualis ille amor? Ex amore *ſedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius.* Ex amore fortè erat inter illas mulieres,
Luc. 23. quæ ſequebātur Ieſum, atque *plangebant, & lamentabantur eum.* Ex amore erat Maria Magdalene in monte Caluariæ inter
Matt. 27. mulieres à longè, *quæ ſecutæ erant Ieſum à*
Ibid. *Galilæa, miniſtrantes ei.* Ex amore *erat ibi Maria Magdalene, & altera Maria, ſedentes con-*
Ioan. 20. *tra ſepulchrum.* Ex amore *vna ſabbathi Maria Magdalene venit manè, cùm adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum.* Ex amore *cucurrit, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium diſcipulum.* Ex amore *Maria ſtabat ad monumentum foris plorans.* Ex amore *inclinauit ſe, & proſpexit in monumentum.* Ex amore conqueſta fuit: *Tulerunt Dominum meum, & neſcio, vbi poſuerunt eum.* Ex amore *conuerſa eſt retrorſum, & vidit Ieſum ſtantem.* Ex amore ait illi: *Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi, vbi poſueris eum; & ego eum tollam.* Ex amore *venit Magdalene annuncians diſcipulis.* Ex amore poſt aſcenſionē Domini in vaſtam altiſſimi

montis

montis ſpeluncam ſe cõtulit, & per triginta ibi annos in contemplatione vixit. Nec dubium, quin amore elanguit, quando quotidie ibi ad audiendas cæleſtium laudes in altum ab Angelis elata eſt.

Quòd ſi nondum Magdalenæ exemplum ad amorem incitare poſſit, ſaltem animalium irrationalium nos trahat exemplum. Scribit Iuſtus Lipſius *epiſt*. 1. *ad Belgas, epiſt*. 44. Pyrrhus quidã fuit, inquit, à quo mortuo canis non abſceſſit. Cùm efferretur, ille lectũ eius adſilire: cùm in rogũ deferretur, inſilire, atque ibi vltrò paſſus ſe comburi. Quòd ſi canis rationis expers mortali ita adhærebat domino: quantò magis nos ratione præditi immortali oportet vt adhæreamus Deo?

IN

IN FESTO S. IACOBI.

Exordium:

Apoc. 21 IOannes describens ciuitatem nouam Ierusalem, inter cetera dicit: *Et murus ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni.*

Moraliter:

Si quis in nouam ciuitatem Ierusalem desiderat ingredi, muro doctrinæ Christianæ circumcingi debebit: cuius muri fundamenta sunt duodecim, & in illis duodecim nomina Apostolorum, quia tota Ecclesiæ Catholicæ doctrina super fundamenta ista Apostolica ædificata est.

Euangelium:

Matt. 20. *Accessit ad Iesum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans, & petens aliquid ab eo.*

Thema:

Ibid. *Sedere autem ad dexteram meam, & sinistram, non est meum dare vobis.*

Occasione verborũ istorum de Christo Iudice dicendum erit: de quo fatemur

mur non venisse in mundum aduentu suo primo, vt exerceret iudicium: hoc enim ipse testatur: *Non misit Deus Filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* Sed dicimus etiam Christum à nobis cogitandum quoque, atque adeò timendum esse, vt Iudicem alio tempore venturum, atque etiam vt iudicaturum nos particulari iudicio in morte. Ioan. 3.

Ipse est, inquit Petrus, *qui constitutus est à Deo iudex viuorum, & mortuorum.* Huic *Pater omne iudicium dedit.* Huic *omnis potestas data est in cœlo, & in terra.* consequenter etiam ad iudicandum. Act. 10. Ioan 5. Matt. 25.

Dico primò, quòd Christus iudiciũ faciet non aliqua auctoritate, quam habet ex se, quatenus homo, sicut iam de illo loquimur. Sic enim Deus tantum, cuius erit conferre præmium, & pœnam infligere, iudicium feret. Sed faciet id iudicium Christus ex auctoritate sibi diuinitus commissa. Nam & ob eam rem Iudex ille constitutus dicitur, & data ei potestas. Atque ideò etiam Apostolus dicit: *In die, cùm iudicabit Deus occulta hominum per Iesum Christum*: quasi per eum videlicet, cui iudiciariam potestatẽ commisit. Rom. 2.

Dico secundò, quòd non tantum fungetur hoc munere in vniuersali iudicio sub

sub mundi finem, sicut habet articulus fidei: sed etiã fungetur in morte vniuscuiusque faciẽdo iudicium particulare.

Quod probatur primò ex communi sententia Theologorum, & consensu vnanimi omnium fidelium.

Eccli. 11. Probatur secundò ex Scriptura: *Facile est coram Deo in die obitus retribuere vnicuique*
Heb. 9. *secundùm vias suas.* Et: *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium.* Item ex parabola de virginibus imprudentibus, quæ statim audierunt illam sententiam:
Matt. 25. *Nescio vos.* Et de eo, qui *veste nuptiali* care-
Matt. 22. bat. Et *villico iniquitatis*, qui statim damna-
Luc. 16. tionis sententiam acceperunt.

Probatur tertiò, quia ex fide certum est, atque ita in Concilio Florent. definitum, animas post mortem sine mora recipi in cęlum, si omninò expiatæ sint; vel amandari in infernum, si peccato mortali obstrictæ ex corpore discesserint. At hoc omninò fatendum est fieri non posse sine peculiari sententia, & iudicio Christi, tametsi non æquè solenniter, & in forma iudicij, atque postea fiet in die iudicij extremi.

Probatur quartò, quia ita sentit vniuersa Ecclesia, & nominatim id, velut rem certam, affirmant S. August. *lib. 2. de anima & eius orig. c. 4.* S. Hieronymus *in c. 2. Ioelis.*

Ioelis. S.Chrysostomus *hom*.14. *in Matth*.

Dico tertiò, Christus merito suo etiam proprio cõsecutus est illam potestatem iudiciariam; sicut & gloriam corporis. Patet ex Scriptura: *Ego vici, & sedi in throno Patris mei*. Apoc. 3. Item dignitas illa est pars exaltationis Christi, de qua Apostolus: *Propter quod & Deus exaltauit illum*: Philip. 2. quam in passione sua promeruit.

Dico quartò, Christus vt homo habet eam auctoritatem in omnem actum humanum, & in omnes etiam Angelos, quoad præmia saltem eorum, vel supplicia accidentalia.

Et hoc manifestum est primò, quia si *spiritualis iudicat omnia*, in quantum mens 1. Cor. 2. eius verbo Dei inhæret, multo magis anima Christi, quę plena est veritate Verbi Dei, super omnia iudicium habet.

Secundò, apparet idem ex merito mortis eius: quia *in hoc Christus mortuus est*, Rom. 14 *& resurrexit, vt viuorum, & mortuorum dominetur*. Et ideò super omnes habet iudicium: propter quod & Apostolus ibi subdit, quòd *omnes stabimus ante tribunal Christi*. Ibid. Et Daniel dicit, quòd *antiquus dierum dedit* Dan. 7. *ei potestatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi seruient*.

Tertiò, apparet ex comparatione rerum humanarum ad finem humanæ salutis.

lutis. Cuicunque enim committitur principale, committitur & accessorium.
Matt. 25. Omnes autem res humanæ ordinantur in finem beatitudinis, quę est salus æterna, ad quam homines admittuntur, vel etiam repelluntur iudicio Christi. Et ideò manifestum est, quod ad iudiciariam potestatem Christi pertinent omnes res humanæ.

Angeli etiam subsunt iudiciariæ potestati Christi, non solùm quantum ad diuinam naturam, prout est Verbum Dei, sed etiam quantum ad humanam.

Quod patet ex tribus. Primò quidem ex propinquitate naturæ assumptæ ad
Heb. 2. Deum: quia *nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ.* Et ideò anima Christi magis est repleta virtute Verbi Dei, quàm aliquis Angelorum: vnde & Angelos illuminat: & proinde de eis habet iudicare.

Secundò, quia per humilitatem passionis humana natura in Christo meruit exaltari super Angelos, & bonos, & malos. In cuius signum dicitur, quod
Apoc. 7. *omnes Angeli stabant in circuitu throni.*

Tertiò, ratione eorum, quæ circa homines operãtur: quorum Christus speciali quodam modo est caput. Vnde di-
Heb. 1. citur: *Nonne omnes sunt administratorij spiritus,*

in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis?

Subsunt autem iudicio Christi vno quidem modo, quantum ad dispensationem eorum, quæ per ipsos aguntur, quæ quidem dispensatio fit per hominem Christum, cui *Angeli ministrabant*: & à quo daemones petebant, vt in porcos mitterentur. Matth. 4. Matth. 8.

Secundò, quantum ad alia accidentalia præmia bonorum Angelorum, quæ sunt gaudia, quæ habent de salute hominum: *Gaudium erit coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.* Et etiam quantum ad pœnas accidentales dæmonum, quibus torquentur vel hîc, vel recluduntur in inferno. Et hoc etiam pertinet ad hominem Christum. Vnde dæmon clamauit: *Quid nobis & tibi Iesu Nazarene: venisti perdere nos?* Lucæ 15. Marci 1.

Tertiò, quantum ad præmium essentiale bonorum Angelorum, quod est beatitudo æterna: & quantum ad pœnam essentialem Angelorum malorum, quæ est damnatio æterna. Sed hoc factum est per Christum, inquantum est Verbum Dei, à principio mundi.

Morale.

Matt. 20. *Calicem quidem meum bibetis.*

QVatuor sanctus Iacobus priuilegia habuit.

Primum est, quòd fuerit nepos Virginis Mariæ, & consanguineus Christi, sicut & Ioannes frater eius. Fuerũt enim filij Zebedæi de Maria tertia filia B. Annæ. Nos etiam consanguinei Domini erimus, si præcepta eius seruauerimus: Marci 3. *Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, & soror mea, & mater mea est.*

Secundum priuilegium est, quòd vocatus sit Iacobus maior, & alter Iacobus minor, qui tamẽ ætate maior erat. Prior enim à Christo ad Apostolatum vocatus est. Et maiorem cum Christo familiaritatem habuit, atque ex tribus vnus fuit, quos Saluator maximè dilexit, & testes esse voluit suæ transfigurationis: & interesse miraculo, cùm Archisynagogi filiam à mortuis excitaret: & adesse, cùm secessit in mõtem Olíueti, Patrem oraturus, antequam à Iudæis comprehenderetur.

Matt. 10. Lucæ 6. Tertium priuilegium est, quòd inter Apostolos tertius fuerit, nimirum post Petrum,

Petrum, & Andream. Ordo autem ille secundùm merita, & sanctitatem sumitur. Imò & à S. Marco secundus numeratur. Marci 3.

Quartum priuilegium est, quod primus pro Christo inter Apostolos martyrium subierit. Nam cùm ex Hispania rediisset Ierosolymã, & Herodes Claudio Imp. ad regnum elatus esset, vt Iudæorum gratiam iniret, Iacobum liberè Iesum Christum Deum confitentem capitis dãnauit. Quem cùm is, qui eum duxerat ad tribunal, fortiter martyrium subeuntẽ vidisset, statim se & ipse Christianũ esse professus est. Ad supplicium cùm raperentur, petiit ille à Iacobo veniam: quem Iacobus osculatus: *Pax*, inquit, *tibi sit*. Itaq; vterque est securi percussus, cùm paulò antè Iacobus paralyticum sanasset.

Deus autem, quos magis diligit, maioribus sæpe tribulationibus exponit tribus de causis.

Prima est, vt innotescant virtutes Sanctorum, qui nobis in exemplum dati sunt. Ita de Tobia dicitur: *Hanc autem tentationem ideò permisit Dominus euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius, sicut & S. Iob.* Tob. 2.

Secunda est, ob maius meritum: Nam

Sancti Dei, quò altiùs proficiunt, eò grauius, quod tolerẽt, inueniunt: sicut ignis flatu premitur, vt crescat. Ita dixit Ca-
Iud. 1. leb: *Qui percusserit Cariath Sepher, & vastauerit eam, dabo ei Axam filiam meam vxorem:* vt qui maius incurrerat periculum, maius
Ibid. obtineret prȩmium. *Cùm cepisset eam Othoniel filius Cenes frater Caleb minor, dedit ei Axam filiam suam coniugem.*

Tertia est, ob maiorem dilectionem Dei: magis enim per patientiam assimilantur Christo, & quò fideliores in-
2. Tim 3 uenti sunt, eò magis dilecti sunt. *Omnes, qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur.*

IN FESTO S. LAVRENTII.

Exordium:

VEtusto Macedoniæ more Regi Alexandro nobilissimi pueri præsto erant sacrificanti. E quibus vnus thuribulo accepto ante ipsum astitit, in cuius brachium carbo ardẽs delapsus est: quo etsi vrebatur, vt adusti corporis eius odor ad circumstantium nares perueniret,

niret, tamen & dolorem silentio pressit, & brachium immobile tenuit, ne sacrificium Alexandri aut excusso thuribulo impediret, aut edito gemitu aures regias aspergeret. Rex quoque patientia pueri magis delectatus, hoc certius experimentum perseuerantiæ voluit sumere; solito enim sacrificauit diutiùs, nec hac re eum à proposito repulit.

Sed S. Laurentij patientia hunc puerum longè superauit, qui in craticula positus toto corpore assatus fuit.

Euangelium:

Dixit Iesus discipulis suis: Amen amen dico vobis: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Ioan. 12.

Thema:

Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Ibid.

Occasione horum verborum de merito nobis agendum erit: quid, & quotuplex illud sit: & an apud Deum aliquod meritum hominis sit?

Meriti vocabulum tum in bonã, tum in malam partem accipit solet. In bonam accipitur ibi: *Domini sententia erat, vt non mererentur vllam clementiam.* In malam ibi: *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, in statera!* Hic verò accipimus Iosue 11. Iob 6.

in bonam partem: quod ita generatim definire poteſt.

Meritum eſt opus liberum, bonum, ad alterum aliqua ratione ſpectans, quod proinde ſecundùm modum aliquem æqualitatis, ſiue iuſtitiæ, aliquo munere ab alio compenſari debet.

Nā famulus, verbi gratia, hoc ipſo ſtipendiū à Domino mereri dicitur, quòd in illum officium aliquod bonum contulit, quod ſecundum iuſtitiam commutatiuam debeat dominus illi compenſare. Et bonus ciuis mereri dicitur portionem aliquam iuxta æqualitatem iuſtitiæ diſtributiuæ, ex bonis communibus inter Reipub. partes diſtribuendis ſibi reſpondentem, ſi in Remp. officia aliqua vtilia contulit: & eò maiori portione bonorum eiuſmodi dignus, quò plus de Rep. meritus eſt. Apoſtolus etiam, cùm diſtinguit inter modum, quo aliquid datur, tanquam merces meriti, & modum,
Rom. 4. quo aliquid datur gratis, inquiens: *Ei autem, qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundū debitum*: ſatis ſignificat Meritum eſſe id, quod ſecundum iuſtitiam aliquam compenſari debet.

Quod autem addimus, meritum eſſe opus liberum, rationem meriti remouet à rerum naturalium, & brutorum actionibus, quæ non ſolent cenſeri merita,

rita, propter defectum libertatis.

Quod adiunximus, esse opus donum ad alterum aliquo modo spectans, ideo additum est, quoniam eam ob causam debet meritum compensari, quia scilicet attinet aliquo modo ad alterum.

At secundum analogiam huius meriti propriè dicti, dicitur etiam meritum minùs propriè id opus, quod etsi nō debeat secundum aliquem modum iustitiæ compensari aliquo munere, tamen congruum est, & decet secundum honestatem quandam, vt compensetur. Sicut si diceremus filium, quando debitā obedientiam patri suo præstat, mereri hoc modo à parente aliquam remunerationem. Et hoc vocatur meritum de congruo: sicut prius meritum de condigno.

Porro Meritum apud Deum sic describi solet: *Meritum est opus liberum, ex gratia profectum, ad Deum aliqua ratione spectans, quod proinde per aliquem iustitiæ modum aliquo munere à Deo compensari debeat.*

Extare autem posse meritum hominis apud Deum verè, & propriè secundùm hanc descriptionem, certissimè tenendum est.

Et probatur primò ex Scriptura, quæ multis in locis subindicat eiusmodi meritum, quod à Deo debeat compensari.

Iere. 31. *Est merces operi tuo, ait Dominus.* Et: *Qui reddet*
Rom. 2. *vnicuique secundùm opera eius.* Item: *Si cuius*
1. Cor. 3. *opus manserit, quod superædificauit, mercedem*
1. Cor. *accipiet.* Et: *Abundantes in opere Domini semper,*
15. *scientes, quòd labor vester non est inanis in Domino.*

Probatur secundò, ex Patribus, Cypriano *l.4. epist.6.* Ambrosio *serm.3. & 14. in Psalm.*118. Hieronymo *in c.1. & 49. Isa.* Augustino *tract.3. in Ioannem, & alibi.*

Probatur tertiò ratione. Nam etsi non ita extare posſit meritum hominis apud Deum, vt propter solam bonitatem aliquam humani operis, seclusa ordinatione, & promisſione diuina, Deus obligetur ad illud compensandum, iuxta modum aliquem æqualitatis, seu iustitiæ: tamen posita etiam eiusmodi aliqua ordinatione, seu promisſione, qua scilicet Deus sese obliget ad bonitatem aliquam humanorum operum secundum iustitiæ modum aliquem compensandum, verisſimè eiusmodi opera habebunt rationem meriti, ac debebūt compensari secundùm aliquem iustitiæ modum.
2. Tim. 2 Est enim Deus *fidelis, & negare seipsum non potest.*

Obiicitur primò. Ad huius meriti rationem pertinet, vt sit opus aliquo modo spectans ad illum, apud quem est meritum.

ritum. At nullum opus hominis affert emolumentum Deo. *Si iuſtè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet? homini, qui ſimilis tui eſt, nocebit impietas tua; & filium hominis adiuuabit iuſtitia tua.* Et: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Et ita nullum opus hominis videtur ſpectare ad Deum aliquo modo, qui ad meritum ſufficiat. Iob 35. Rom. 11.

Reſpond. licet opus eiuſmodi non ita ſpectet ad Deum, vt Deo per ſe adferat aliquod emolumentum, ex quo perfectioni diuinæ fiat acceſsio; ſatis tamen, quantum ad rationem meriti requiritur, ſpectat ad ipſum, quatenus illi gloriam parit, conciliando ſcilicet illi dignam exiſtimationem, tanquam auctori bonorum omnium.

Quæ exiſtimatio licet in Deo ipſo nihil ponat, ſed potiùs homini vtilis ſit; tamen quia diuinæ bonitatis cognitio primum quaſi aditum humanæ mentis aperit Deo, vt homini ſe communicet, omninò hac ratione bonum opus ad Deum ſpectat: quandoquidem excitando exiſtimationem, & notitiam diuinæ bonitatis, confert ad illum Dei finem, & propoſitũ communicãdi ſe hominibus. Item ſpectat bonum opus ad Deum, ea ratione, qua redundat in bonũ communitatis, cuius Deus eſt rector ſupremus.

Digitized by Google

Obiicitur secundò, Opus hominis adeò nullam vtilitatem adfert Deo, vt potius ipsum sit nouum beneficium, ac
Act. 17. donum Dei: siquidem *in ipso viuimus, mouemur, & sumus.* Ergo nihil omnino debet Deus operi qualicunque nostro; sed potiùs nos debemus rursus pro qualicunque opere nostro referre gratiam Deo.

Resp. per illud solum probari, quòd non teneatur Deus compensare bonum opus hominis, spectata sola ipsius operis bonitate, quandoquidem illius est beneficium: tenetur tamen illud compensare, si spectetur simul ipsius Dei ordinatio, & promissio, qua se ad id obligauit. Ita filia Pharaonis tenebatur mer-
Exod. 2. cedem dare matri Moysis: licet enim iure naturę hæc filium suum nutrire debebat, promissionem tamen mercedis à filia Pharaonis acceperat: *Accipe*, ait, *puerum istum, & nutri mihi: ego dabo tibi mercedem tuam.*

Morale.

Ioan. 12. *Si autem mortuum fuerit, multum fructum adfert.*

VT opera nostra Deo accepta sint, plura requiruntur.

Primò,

Primò, requiritur bonitas in operante. *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, & malus homo de malo thesauro profert malum. Ex abundantia enim cordis os loquitur.* Et iterum: *Non potest arbor bona malos fructus facere: neque arbor mala bonos fructus facere.* Ita *Abel obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum: & respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* Neque enim placuit Abel ex munere, sed munus ex Abel. Lucæ 6. Matth. 7. Gen. 4.

Secundò, requiritur promptitudo in voluntate. Ita dicebat Dauid: *Populum tuum, qui hîc repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria. Domine Deus Abraham, & Isaac, & Israel patrum nostrorum, custodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum, & semper in venerationem tui mens ista permaneat.* Ratio est: *Si enim voluntas prompta est, secundùm id, quod habet, accepta est, non secundum id, quod non habet:* ait Apostolus. Quod autem non est voluntarium, non est Deo acceptum. *In omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione sanctifica decimas tuas.* 1. Paral. vlt. 2. Cor. 8. Eccli. 35.

Tertiò, requitur recta intentio in operatione, vt soli Deo placere studeamus. *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.* Oculus noster intentionem significat: quæ, si recta fuerit, omnia opera bona faciet. Nam Deus *discretor intentio-* Matth. 6. Heb. 4.

intentionum, & cogitationum cordis est.

Quartò, requiritur difficultas in opere, vt arduum sit. Vnde Christus dicit:
Luc. 22. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum*; nimirum per dura & aspera: *vt edatis & bibatis super mẽsam in regno meo.* Item
Act. 14. Paulus & Barnabas *reuersi sunt Lystram, & Iconium, & Antiochiam, confirmantes animas discipulorum, exhortantesque, vt permanerent in fide, & quoniam per multas tribulationes oportet*
Gal. 5. *nos intrare in regnum Dei.* Et alibi: *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, &*
Heb. 12. *concupiscentiis.* Item: *Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit.*

Quintò, requiritur studiosa diligentia in opere. Dixit enim Ezechias Sacerdo-
2. Par 29 tibus & Leuitis: *Filij mei nolite negligere: vos elegit Dominus, vt stetis coram eo, & ministretis illi, colatisq́; eum, & cremetis incensum.* Vbi autem amor est, ibi nihil negligitur. Vnde
1. Cor. 14. Apostolus: *Sed in Ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui, vt & alios instruam: quàm decem millia verborum in lingua.* Non enim diuturnitas temporum, non numerositas operum, sed maior dilectio auget homi-
Deut. 16. nis meritum, & præmium. *Iustè, quod iustum est, persequeris: vt viuas, & possideas terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi.* Hoc autem fit, quando cum diligentia opus exequi-

exequimur, *in captiuitatem redigentes omnem* 2. Cor.
intellectum in obsequium Christi. Nam *Spiritus* 10.
sanctus auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine Sap. 1.
intellectu.

Sextò, requiritur charitas in operante. *Si linguis hominum loquar, & Angelorũ; charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens.* Vbi quatuor nobiliora ponit exercitia, quę si non valeant sine charitate, quantò minus ignobiliora valebunt? *Fortis enim est, vt mors, dilectio,* quæ nihil aliud amantem cogitare sinit, quàm quod amat. *Omnia vestra in charitate fiant.* 1. Cor. 13. Cant. vlt. 1. Cor. 16.

Septimò, requiritur, vt omnia corporis membra, & omnes vires animæ mutuo se adiuuent, & certatim ad laboris obsequium conueniant. *Frater, qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma.* Et hoc multum placet Deo: *In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo, & hominibus: Concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier bene sibi consentientes.* Si autem fratres dissentire incipiant, citò necesse est, vt omnia corruant. *Vnus ædificans, & vnus destruens: quid prodest illis, nisi labor?* Vnde Apostolus: *Obsecro autem vos fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia.* Prou. 18. Eccli. 25. Eccli. 34. 1. Cor. 1.

Rectè

Rectè ergo nos ad bona opera hortatur Ecclesiastes dicens: *Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud apud inferos, quò tu properas.* Et vltima verba Ecclesiastici sunt: *Operamini opus vestrum aute tempus, & dabit vobis mercedem vestram in tempore suo.* Nam secundùm differentiam meritorum erit retributio præmiorum. *Opera enim illorum sequuntur i os.* Vnde Dauid: *Secundùm opera manuum eorum tribue illis: redde retributionem eorum ipsis.*

Eccle. 9.

Eccli. vlt.

Apoc. 14

Psal. 27.

IN ASSVMPTIONE B. MARIÆ.

Exordium:

3. Reg. 2.

VEnit Bethsabee ad regem Salomonem, vt loqueretur ei pro Adonia, & surrexit rex in occursum eius, adorauitque eam, & sedit super thronum suum: positusque est thronus matri regis, quæ sedit ad dexteram eius.

Moraliter:

Christus Dominus, qui pacem inter Deum Patrem, & genus humanũ composuit,

posuit, per Salomonem intelligitur, qui pacificum designat. Dum autem ille in cælorum sedet regno, venit ad eum beata Virgo Maria, mater eius, quando assumpta fuit in cælum. Neque dubium est, quin ipse surrexerit, in occursum eius prodierit, matrem salutauerit, & ad dexteram suam in æterno illo regno collocauerit.

Euangelium:

Intrauit Iesus in quoddam castellum, & mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum suam. Luc. 10.

Thema:

Maria optimam partem elegit. Ibid.

Quia hodierno die B. Virgo per assumptionem ad statum gloriæ transiit, & mors est terminus viæ, ac transitus ad beatitudinem, operæprecium erit de morte eius disserere.

Quæritur itaque: Vtrum B. Virgo corporalem mortem passa sit?

Epiphanius *hæresi* 78. hanc quæstionem attingens insolutam relinquere visus est: *Quærant*, inquit, *vestigia scripturarum, & inuenerint vtique neque mortem Mariæ, neque an mortua sit, aut non mortua, neque an sepulta sit, an non sepulta*. Et inferiùs: *Ego enim non audeo dicere, sed silentium mihi impero: fortaßis enim*

alicubi

alicubi etiam vestigia inuenerimus sancta illius, ac beata, sic nec inuenire datur mortẽ ipsius. Et paulò pòst: *Non autem omninò definio hoc, & non dico, quòd immortalis mansit, sed neque affirmo, an mortua sit*. Fundamentum eius est: *Excessit enim Scriptura mentem humanam, & in suspenso reliquit propter vas pretiosum, ac excellentissimum*. Cui fundamento adiungi potest, quòd nec ex historiis humanis aliquid certi habemus de morte eius. Libellus enim, qui de transitu Virginis inscribitur; & à Trithemio Melitoni Sardicensi tribuitur, & apocryphus est, teste Gelasio Papa *in cap. Sancta Rom. d.* 15. & falsò Melitoni imponitur; vt ex Hieron. *de scriptoribus Eccles.* colligi potest. Referens enim Melitonis scripta, huius non meminit. Et ex Beda *in retract. Act. c.* 8. vbi & opus ipsum refutat, quòd multa historię Lucæ de Actis Apostolorum repugnantia contineat, & non dicit esse Melitonis, sed illi imponi. Præterea alius liber, qui de eodem transitu, seu assumptione Virginis inter opera Hieron. refertur, omnium sententiâ non est Hieronymi, quia in eo mentio fit Hæresum Nestorij, & Eutychetis, quæ post Hieronymum exortæ sunt. Quæ coniectura eodẽ modo probat non esse Sophronij, vt aliqui existimant, quia Sophronius æqualis est Hiero-

Hieronymo, vt ex libro eiuſdem Hieronymi de Scriptoribus Eccleſiaſticis conſtat. Nihil ergo eſt ſcriptum, vnde aliquid certi de Virginis obitu definiri poſſit.

Nihilominus ſine vlla dubitatione dicendum eſt, B. Virginem mortem obiiſſe. Ita ſentit hoc tempore vniuerſa Eccleſia: & ad id confirmandum ſufficit generalis regula Scripturæ. Nam omnes filij Adæ corporali morte obnoxij ſunt: *In quocunque die comederis ex ligno ſcientiæ boni, & mali, morte morieris*: à qua regula neque auctoritas vlla, neque ratio ſuadet excipiendam eſſe Virginem. Gen. 2.

Quin potiùs grauiſsimi, & antiquiſsimi Patres eam mortuam eſſe teſtantur: vt Damaſcenus, Epiphanius, Andreas Cretenſis, Simeon Metaphraſtes, &c.

Ratio etiam hoc ſuadet: quia inprimis decuit B. Virginem eſſe ſimilem Chriſto. Cùm ergo Chriſtus mortem ſuſceperit, non oportuit B. Virginem ab hac lege excipi. Si enim Saul non pepercit filio ſuo, Ionathæ, quò minùs eum ob guſtatum mel morti adiudicaret, dicens: *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia morte morieris, Ionatha*: quantò minùs ſeruis ſuis, & ancillis peperciſſet? Ita Deus Pater, ſi *proprio filio ſuo non pepercit*, quò minùs morti 1. Reg. 14. Rom. 8.

illum traderet: putas, quòd ancillam suam morti eriperet?

Deinde; vt per mortem Virginis constaret euidentiùs, & indiguisse Christi morte, qua fuit redempta; & habuisse carnem passibilem, à qua Christus similem sumpsit; & ita excluderetur error eorum, qui finxerunt B. Virginem fuisse cuiusdam cælestis, seu Angelicæ naturæ. Sicut itaque *cùm reuerteretur percusso Philistæo Dauid, egressæ sunt mulieres de vniuersis vrbibus Israel, cantantes, chorosq́; ducentes in occursum Saul regis, in tympanis lætitiæ, & in sistris*: ita meritò occurrere debuit B. Virgo filio suo à cæde diaboli post resurrectionem suam reuertenti, per quam ipsa tam gloriosam in cælo sedem accepit.

1. Reg. 18.

Denique, quia mors nullam imperfectionem includit, quæ Virginem non deceat: quin potiùs est pœna, quæ propter Deum suscepta magnũ gratiæ potest incrementum promereri: vnde *pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius* dicitur. Ita cùm Xixtus II. sub Valeriano ad martyrium duceretur, *occurrẽti S. Laurentio, & dolenter in hunc modum interroganti: Quò progrederis sine filio pater? Quò sacerdos sancte, sine ministro properas? respondit: Non ego te desero, fili: maiora te manent pro Christi fide certamina: post triduum me sequeris sacerdotem Le-*

Psal. 115.

uita,

uita. vt habet Breuiarium. Ergo nulla est causa, ob quam à morte corporis fuerit præseruata. Neque Epiphanius hanc veritatem negat loco citato; sed solùm asserit in Scriptura nihil de illius morte referri.

Sed quæret aliquis primò, Quæ fuerit causa, vel occasio mortis Deiparæ; an scilicet morbo aliquo, seu ægritudine vsque ad mortem laborarit; vel absque aliqua naturali causa, sola Dei voluntate, & arbitrio sit defuncta? Sic mortuus videtur Moyses, cui dixit Deus: *Ascende in montem, & morere ibi.* Vnde subditur: *Mortuusque est ibi Moyses, seruus Domini, in terra Moab, iubente Domino.* Sic etiam mortuus videtur Ioannes Euangelista, si vera est historia, quam Nicephorus refert *lib. 2. c.* 42. qui propter hanc fortasse causam dixerat *l. 1. c.* 35. Ioannem mortuum fuisse eo modo, quo Dei genitrix. Deut. 32. Deut. 34.

Ex quibus exemplis hæc posterior pars verisimilis fieri videtur.

Primò, quia hic mortis modus videtur excellentior, & innocentiæ, ac puritati Virginis quodammodo debitus. Solet enim mors ferè correspondere vitæ, vt qui atrociter vixerint, eodem moriantur modo: & qui innocenter vixerint, similem sortiantur mortem. Ita cùm

Digitized by Google

2.Reg.4. Rechab, & Baana occidiſſent Isboſeth dormientem ſuper ſtratum ſuum meridie, & rem narrarent Dauid, ille *præcepit pueris ſuis, & ſtatim etiam interfecerunt eos.*

Secundò, quia mortua creditur ſine dolore, vt Damaſcen. ſentit *orat. 2. de dormit. Virginis*: tum quia ſine libidine concepit, omniq́ue inordinata cõcupiſcentia ſemper caruit: tum etiã, quia in morte filij maiores dolores, quàm in morte ſentiantur, deguſtauit. Et hoc prænun-
Luc. 2. ciauerat Simeon dicens: *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, ſcilicet doloris.

Addere tamen poſſumus, quamuis B. Virgo mortua non fuerit vi alicuius morbi corporalis, vi tamen amoris, & ardentiſsimi deſiderij, & intentiſsimæ contemplationis obiiſſe. Fieri enim poteſt, vt mens tantâ efficaciâ, & intentione in his actibus occupetur, vt veluti deſtituat corpus, ita vt paulatim eius diſpoſitiones remittantur, ac deficiant; ac tandem ob earum defectum non poſsit anima in corpore conſeruari. Sicut rex
2. Reg. 18. Dauid intelligens mortẽ Abſalom, *contriſtatus aſcendit cœnaculum portæ, & fleuit, & ſic loquebatur, vadens: Fili mi, Abſalom, Abſalom, fili mi: quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te, Abſalom, fili mi, fili mi, Abſalom.*

Quæres

Quæres secundò, Quo ætatis anno mortua fuerit?

Resp. rem esse incertã. Videtur enim annum egisse 49. quando Christus Dominus mortuus est: quia quando illum peperit, iam 15. annum expleuerat, & Christus 34. ætatis anno inchoato mortuus est. Expleuerat ergo tunc temporis B. Virgo 48. ætatis annos, & agebat 49. Post Christi autem mortem quidam dixerunt vixisse tantùm annũ integrum, & aliquot menses. Quæ tamen sententia inter omnes est improbabilissima, & solùm in quadam incerta, & apocrypha reuelatione fundata.

Alij verò existimãt, vixisse Virginem vsque ad 2. annum Imperij Claudij, qui fuit 11. à Christi morte, quo primùm Petrus profectus fuit Romam, teste Eusebio *in Chronico*, & Hieron. *de script. Ecclesiasticis*. Vnde fit coniectura, Petrum permansisse in Iudæa, quamdiu Deipara vixit: statim verò post mortem eius discessisse, vt Romã pergeret. Quocirca iuxta hanc sententiam B. Virgo obiit anno ætatis 59. vel iam expleto, vel propè. Quæ fuit sententia Euodij apud Niceph. *lib. 2. hist. c. 3.* quam ipse videtur sequi tam ibi, quàm *c. 21.* vbi dicit, B. Virginem obiisse, cùm annum ageret 60. Vnde sentit,

quod Euod. dixit, intelligendum esse de annis 59. expletis. Non tamen sibi constat Niceph. dum dicit, B. Virginē mortuam esse 5. anno Imperij Claudij, qui est 14. à morte Christi, vt apertè constat ex Chronico Eusebij. In eandem sententiam de 59. annis refertur Hippolytus Thebanus ab Epiphanio Presbytero Constantinop. *in serm. de Deipara*, vt refert Turrianus *l. 3. pro Epistolis Pontificiis, cap. 16.* Quanquam (vt refert Cæsar in Annal. an. 48.) ille auctor potiùs asseruit B. Virginem tantùm 57. annos vixisse: & ibid. refert, alios asseruisse, 58. ætatis anno diem humanæ vitæ clausisse. Quæ fortasse varietas ex eo orta est, quòd circa annum conceptionis, vel mortis Christi aliter, quàm nos supponimus, opinabantur. Ab hac sententia discrepat parum Driedo *3. lib. de dogmat. sacræ Scripturæ tract. 3. c. 4.* vbi dicit B. Virginem obdormisse anno 12. post Christi mortem, secundùm Eusebij Chronologiam. Sed apud Euseb. hoc ego non reperio: quin potiùs in Chron. eius assumptio B. Virginis annotatur in anno 6. Imperij Claudij, qui est 15. à morte Christi; quāquam annotatio illa videatur potiùs ab aliquo addita, quā ab Eusebio scripta. Sic enim habet: *Maria Virgo Iesu Christi, ad filium in*

cælum

cælum assumitur, vt quidam fuisse sibi reuelatum scribunt. Nunquam enim Eusebius huiusmodi incertis reuelationibus vti solet, neque ante ipsum aliquid de eiusmodi reuelatione scriptum inuenimus.

Hinc autem orta est aliorum opinio dicentium, B. Virginem obiisse annum agẽtem 63. quam esse vulgi opinionem, Turrianus ait. Cęsar autem Baronius ait, opinionem hanc fundari in traditione quadam, eamque distinguit ab opinione, quæ colligitur ex dicto loco Eusebij. Sed si iuxta principia posita fiat computatio, nulla est diuersitas.

Vltima verò sententia, quæ in re ambigua videtur, verisimilior est, B. Virginem mortuam fuisse anno ætatis 72. Ita sentit dictus Epiphanius presbyter, & Cedrenus *in comp. histor.* & insinuat Andreas Cretensis *serm. de dormitione Deiparæ*, dum inquit Virginem peruenisse *ad summam ætatem*. Et hanc sententiam confirmat elegãter Cæsar ex testimonio Dionysij *c. 3. de diuinis nominibus*, vbi sic ait: *Nam & apud ipsos diuino spiritu plenos Pontifices nostros, cùm & nos (vt nosti) & plerique ex sanctis fratribus nostris ad contuendum corpus illud, quod auctorem vitæ, Deumque ceperat, conuenissemus; aderat autem & frater Domini, Iacobus & Petrus, supremum decus, antiquißimũ Theologorum*

columen, vbi post contuitum placuit, vt infinitè potentem, diuinæ infinitatis bonitatē Pontifices laudarent omnes, quisque pro captu suo. Quæ verba de sancto corpore B. Virginis, & non de sepulchro Christi, aut de domo Ioannis, in qua Christus cœnauerat, esse intelligenda, & ipsa verba per se sumpta satis suadent, & est communis sententia Sanctorum, qui ex hoc loco colligunt, diuinâ prouidentiâ factum esse, vt Apostoli omnes, qui tunc temporis viuebāt, & præcipuè ex eorum discipulis, ac Pontificibus Ecclesiæ, ad transitum, & funus B. Virginis conuenirent. Ita Maximus, D. Thomas, & Albertus Magnus illum locum exponentes: Damascenus, & Andreas Creten. *orationibus de dormitione & assumptione Virginis.* Epiphanius presbyter, & Simeon Metaphrastes scribentes de vita & educatione Deiparæ. Nicephorus & Iuuenalis Ierosol. *apud eundem lib. 2. hist. c.* 21. 22. *&* 23. vbi hanc historiam de transitu, & glorioso funere virginei corporis latè describit. Et inter alia affirmat, etiam Christum Dominum magna Angelorum multitudine comitatum dormitioni eius interfuisse. Quod etiam affirmat Damascenus, Andreas Cret. & alij. Igitur scribit Dionysius *loco citato* transitum Virginis, & Apostolorum

conuen-

›nuentum illius causa coactum. At ve-
› Dionysius (vt ex historia Actuum
olligitur) non venit ad fidem vsque ad
8. annum à Christi nece, qui fuit 52. à
ıatiuitate eius, quia non antea Paulus
›eruenit Athenas. Ergo vt posset adesse
norti Virginis, necesse est, vt B. Virgo
ıltra 66. annos vixerit: & euertuntur ita
›mnes sententiæ superiores.

Verisimile autem est, à conuersione Dionysij vsque ad aduentum eius in Ierusalem, aliquot annos fluxisse, præsertim si conuentus ille Apostolicus absque miraculo, suaui dispositione diuinæ prouidentiæ factus sit: quia & Petrus eo tempore Româ Ierosolymam rediisse creditur, & Paulus etiam circa illa tempora Ierosolymam reuersus fuit post conuersionē Dionysij; & alia ab eo gesta quæ in Actibus narrantur. Est ergo in re incerta verisimilis hæc coniectura. Act. 18. ad 21.

Morale.

EX epistola hodierna exaltationem B. Mariæ discimus, quomodo in cælis sit glorificata.

Quasi cedrus exaltata sum in Libano. Cedrus significat Angelos propter naturæ sub- Eccli. 24.

Ezech.31 limitatem. *Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei*, id est, Angeli non fuerunt sublimioris naturæ Lucifero.

Eccli. 24. *Et quasi Cypressus in monte Sion.* Cypressus significat Patriarchas & Prophetas, propter odoris suauitatem. Vnde de vno

Gen. 27. dictum est: *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.*

Eccli. 24. *Quasi palma exaltata sum in Cades.* Palma significat Apostolos propter gloriosum de vniuerso mundo triumphum. Palma

Apoc. 7. enim significat victoriam: *Et palmæ in manibus eorum.*

Eccli 24. *Et quasi plantatio rosæ in Iericho.* Rosa significat Martyres per effusionem san-

Eccli. 39. guinis, qui colorem habet rubeum. *Et quasi rosa plantata super riuos aquarum fructificata.*

Eccli. 24. *Quasi oliua speciosa in campis.* Oliua signi-

Psal 51. ficat Confessores propter oleum. *Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei speraui in misericordia Dei.*

Eccli. 24. *Et quasi platanus exaltata sum iuxta aquas.* Platanus significat virgines, propter frigiditatem libidinis incendium extinguentem: crescit enim iuxta aquas: & in aquis notatur frigiditas.

Ibid. *Sicut cinamomum, & balsamũ aromatizans.* Cinamomum quantò subtilius est, tantò melius est, & magis odoriferum: & per hoc

Digitized by Google

hoc humilitas intelligitur. Balſamum autem quantò grauius, & ponderoſius eſt, tãtò melius: vnde probatur in aqua, & ſi citò deſcendat ad fundum, habetur probatum: & per hoc intelligitur grauitas morum.

Iam verò B. Virgo exaltata fuit ſuper Angelos: habuit enim meritum Angelorum Angelicè viuẽdo. In carne enim præter carnem viuere, non terrena vita eſt, ſed cæleſtis.

Exaltata fuit ſuper Prophetas: nam meritum Prophetarum habuit prophetando: *Beatam me dicent omnes generationes.* Luc. 1.
Vidit enim ſpiritu Prophetico, & prophetauit, quòd deberet beatificari ab omnibus gentibus, & quòd omnes gentes deberent recipere Dei filiũ, & ſuum.

Habuit etiam meritum Apoſtolorum & Euangeliſtarum docẽdo: Multa enim ſcripta ſunt, & prædicata, quæ nõ potuerunt Sancti, niſi per reuelationem eius ſcire: ſicut de ingreſſu Angeli in conceptione, & aliis pluribus.

Habuit meritum martyrum, mortem crucis cum filio patiendo. *Et tuam ipſius* Luc. 2.
animam gladius pertranſibit.

Habuit meritum confeſſorum, deuotè Dominum confitendo. *Magnificat ani-* Luc. 1.
ma mea Dominum.

Habuit

Habuit meritum Virginum, inchoando virginitatem, & conseruando: *Ingressus est Angelus Gabriel ad Mariam Virginem.* (Ibid.)

Sicut ergo habuit meritum Sanctorum omnium, ita decuit, vt super omnes eleuaretur in cælum. *Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?* (Cant. 6.) Nos itaque ad patrocinium eius confugiamus, in omni tribulatione, & angustia opem eius imploremus, quia magnæ ipsa in cælis est auctoritatis. Si enim Salomon matri suæ dixerit: *Pete, mater mea: neque enim fas est, vt auertam faciem tuam:* (3. Reg. 2.) putas, quòd Saluator noster matri suæ quidquam negabit, quòd faciem eius auertet? Nequaquam: sed quidquid petierit, infallibiliter sine dubio impetrabit.

IN

IN FESTO S. BARTHOLOMÆI.

Exordium:

ANaxarchus, cùm à Tyranno Cypriorum Nicocreonte torqueretur, nec vlla vi inhiberi poſſet, quo minus amariſſimorum eum maledictorum verberibus ipſe retorqueret, ad vltimum linguæ amputationem minitanti: *Non erit*, inquit, *effæminate adoleſcens, hæc quoque pars corporis mei tuæ ditionis*. Protinuſque dentibus abſciſſam, & commãducatam linguã in os eius ira patens expuit. Multorum autem aures illa lingua, & inprimis Alexandri regis admiratione ſui attonitas reddiderat, dum terræ conditionem, ambitum maris, ſiderum motus, totiuſque denique mundi naturam prudentiſsimè, & facũdiſsimè exprompſit: penè tamen occidit glorioſius quàm viguit, quia tam forti fine illuſtrem profeſsionis actum comprobauit, Anaxarchique non vitam modo deſeruit, ſed mortem reddidit clariorem. Refert Valerius Max. *l.3.c.3.*

Ita S. Bartholomæus, cùm in India citeriore

teriore plurimos ad Iesum Christũ conuertisset,& multos labores, calamitatesque perpessus in maiorem Armeniam venisset, Polemonem ibi regem,& coniugem eius, ac duodecim præterea ciuitates ad Christianam fidem perduxit. Quę res magnam in eum inuidiam concitauit illius gentis Sacerdotum: nam vsque adeò Polemonis regis fratrem in Apostolum incenderunt, vt is viuo Bartholomæo pellẽ crudeliter detrahi iusserit, ac caput abscindi.

Euangelium:

Luc. 6. *Exiit Iesus in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei: & cùm dies factus esset, vocauit discipulos suos.*

Thema:

Vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis.

Occasione horum verborũ dogmata duo de institutione ministrorum Ecclesiæ instituemus.

Primum est: Non decuit Christianos Sacerdotes carnali successione propagari.

Probatur primò ex figura, quæ in lege naturę prçcessit. Nam Melchisedech, secundùm cuius ordinem Christus,& Christiani Sacerdotes esse dicuntur, idcirco

rco fine patre, fine matre, fine genea- Heb. 7.
gia fuiffe defcribitur, vt intelligere-
us Sacerdotes Chriftianos non debe-
nafci, fed fieri.

Probatur fecundò ex prophetia: *Affu-* Isa. 66.
am, inquit Dominus, ex eis Sacerdotes & Leui-
. In quem locum obferuat S. Hierony-
us, ideò dixiffe Prophetam, *Affumam ex*
quia in Teftamento nouo, de quo a-
rtifsimè eo loco loquitur Ifaias, non
nt Sacerdotes nafciturí ex vna ali-
a familia, fed affumendi ex omnibus
ntibus.

Probatur tertiò ex differentia Tefta-
nti noui & veteris. Vt enim in Tefta-
nto veteri populus Dei propagatur
carnalem generationem ex Iacob;
ouo autem propagabatur per fpiri-
lem ex Chrifto regenerationem: ita
que par erat, vt in Teftamento vete-
acerdotes carnali fuccefsione pro-
arentur; in nouo autem fpirituali
tione affumerentur. Item quemad-
dum facerdotium Aaronicum car-
e fuit, quippe quod totum in bobus,
uibus mactandis occuparetur; Chri-
num facerdotium fpirituale eft, cùm
oftia fpirituali, ac diuina facrifican-
ccupetur: fic etiam æquum erat, vt
rdotum propagatio in Teftamento
veter

veteri carnalis, in nouo spiritualis esset.

Adde, quòd illi vxores, & liberos habebant; proinde facile potuit illa ratio institui, vt filij parentibus succederent: nostri autē Sacerdotes cœlibes esse debent, præsertim secundùm ritum Ecclesiæ purioris: quare non potest vllo pacto fieri, vt Sacerdotium Christianum successionem carnalis generationis consequatur.

Probatur quartò ratione naturali. Christianæ enim Reip. (quæ sanè perfectissima est) perfectissima ratio conuenit instituendi ministros Ecclesiæ. At longè est melior ratio per electionem, quàm per generationem. Nam si electio valeat, semper optimi, & doctissimi pastores pręfici possunt Ecclesiis: si autem generatio locum habeat, cogemur non raró pueros habere Episcopos, aut viros improbos, & imperitos.

Dogma alterum: Ordinatio tum Episcoporum, tum aliorum Ecclesiæ Ministrorum, non ad plebem, sed ad solos Episcopos pertinet.

Testantur id passim diuinæ Scripturæ, testantur decreta Conciliorum, testantur veteres Patres, testantur denique mos populi, & exempla maiorum.

Aaronem, & filios eius, sacerdotes primos

:imos veteris Testamenti solus Moy- Leuit. 8.
s Sacerdos, & Pontifex ordinauit, &
onsecrauit. Moysen autē fuisse Sacer-
otem, testatur Dauid: *Moyses & Aaron in* Psal. 98.
acerdotibus eius. & Patres testantur.

In Testamento nouo, vbicunq; men-
io fit manus impositionis, quo ritu et-
am apud aduersarios ordinatio cele-
oratur, semper ea Apostolis, ceterisque
Episcopis, nunquam verò plebi tribui-
ur. Nam soli Apostoli per manus impo- Act. 6.
sitionem Diaconos ordinarunt. Et: *Noli* 1. Tim. 4.
*negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi
per impositionem manuum Presbyterij.* Quo lo-
co Presbyterium Episcoporum cœtum
significat, vt testātur omnes ferè inter-
pretes, ac præsertim Græci. Item ad Epi-
scopum Apostolus dicit: *Manus citò nemini* Ibid.
imposueris. Rursus: *Admoneo te, vt resuscites* 2. Tim. 1.
*gratiam Dei, quæ est in te per impositionem ma-
nuum mearum.*

Prob. etiam ex can. 1. Apostolorū, in quo definitū est, Episcopū à tribus Episcopis ordinandū esse. Qui canon quartus est inter canones Concilij I. Nicæni Oecumenici: duodecimus est Concilij II. Carthaginensis: tricesimus nonus III. secundus IV. & quartus VI.

Accedat, quòd veteres Patres constanter docent solius Episcopi esse ini-

tiare sacris, siue Presbyteros, siue Diaconos, siue ipsos etiam Episcopos, neque id vllo modo Presbyteris licere: multò minus licebit clericis inferioris gradus, aut laicis.

Denique ita docet antiquissima, & perpetua Ecclesiæ vniuersæ consuetudo, quæ optima iuris interpres esse solet. Nam à sæculo non est auditum, vt Episcopum non Episcopus ordinaret, neque huius rei vllum vnquam vel institutum ex disciplina, vel exemplum ex historiis, vel etiam vsurpatio ex hæretica licentia proferetur. Nam apud Lutheranos quoque & Caluinistas, qui Ecclesiasticos ritus penè omnes sustulerunt, ij solum manus imponunt, & Pastores, seu ministros faciunt, qui Pastores, & Episcopi licet re vera non sint, tamen haberi, & appellari volunt.

Morale.

Luc. 6. *Vocauit discipulos suos.*

QVi discipulus Christi esse desiderat, temporalia omnia debet relin-
Luc. 16. quere: nam, vt ipse ait, *qui non renunciauerit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Idque ob plures rationes.

Prima

Prima eſt, propter anguſtam mortis viam. *Nihil intulimus in hunc mundum: haud dubium, quod nec auferre quid poſſumus.* Et Saluator: *Anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam.* Iterum: *Amen dico vobis, quia diues difficilè intrabit in regnum cælorum.* Bona enim temporalia arctiùs diliguntur adepta, quàm concupita. Vnde addit: *Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum.* ſcilicet qui diuitias tanquam finem vltimũ habet iuxta Marcum: *Filioli, quàm difficile eſt confidentes in pecuniis, in regnum Dei introire!* 1. Tim. 6. Matth 7. Matt. 19. Ibid. Marc. 10.

Secunda ratio, quia diuitiæ charitati contrariæ ſunt, & quantum creſcit cupiditas, tantum decreſcit charitas: ſicut & quantum creſcit charitas, tantum decreſcit cupiditas. Quemadmodum venenum nunquam in igne manet, ſed aut illum extinguit, aut ab eo exilit: ita nec cupiditas cum caritate. Chriſtus autem ait: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt accendatur?* Non ergo mirum eſt, ſi extinguere voluerit cupiditatem. Luc. 12.

Tertia ratio eſt propter periculum: cupiditas enim ad omnia vitia trahit. *Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem.* Nunquam Iudas tra- 1. Tim. vlt.

didiſſet ſuum Dominum, & periiſſet, ſi à
Matt. 26. cupiditate immunis. Vnde dicebat: *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?*

Quarta ratio eſt, quia cupiditas adeò animum occupat, vt à Chriſto ad idolo-
Epheſ. 5. latriam trahat. *Hoc ſcitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod eſt idolorum ſeruitus, non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei.* Dicitur autem auaritia idolorum ſeruitus: tum quia auarus diuitiis fidem ſeruat, ne eas lędat minuendo, ſed potiùs augeat offenſo Deo: tum quia ſe totum illis tribuit, & magis in il-
1. Tim. vlt. lis, quàm in Deo confidit. *Radix omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis.*

Quinta ratio eſt propter inutilē cordis anxietatem. Nam diuitiæ non acquiruntur, niſi cum dolore; non cuſtodiuntur, niſi cum timore; non amittuntur, niſi cum dolore. Nunquam etiam animum ſatiant, ſed quātò magis iis homo
Eccle. 5. abundat, tantò auidius iis inhiat. *Auarus non implebitur pecunia: & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis: & hoc ergo vanitas.* Bene
Philip. 3. ergo ait Apoſtolus: *Omnia detrimentum feci, & arbitror, vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam.* Sicut enim ſtercus, ſi reſeruetur, aërem fœtore ſuo inficit; ſi autem in terram

ſparga-

ſpargatur, fructiferam illam reddit: ita diuitiæ reſeruatæ animum ad peccatum alliciunt: pauperibus elargitæ fructum æternum faciunt. *Diſperſit, dedit pauperibus: iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.* Pſal. 111.

IN NATIVITATE B. MARIÆ.

Exordium:

FVit B. Virgo Maria figurata per *fontem* in paradiſo, qui *aſcendebat è terra, irrigans vniuerſam ſuperficiem terræ.* Gen. 2.

Eſt enim ipſa

Rigans mundum nouo rore,
Nouæ prolis nouitate,
Noua facit nouo more,
Cuncta mira claritate.
Ex diuina bonitate
Fons aſcendens in honore,
Rigans terram charitate,
Dei creſcens in amore.

Euangelium:

Matth. 1.

Liber generationis Ieſu Chriſti, filij Dauid, filij Abraham. Abraham genuit Iſaac, Iſaac autem genuit Iacob.

Hodie natiuitas est B. Mariæ Virginis, de qua pauca in diuinis litteris videntur scripta: multa tamen loca sunt, ex quibus petuntur argumenta.

Principio in Testamento veteri frequens est B. Virginis mẽtio prophetica, vel aperta, vel figurata. Nam, vt Bernardus ait, *in sermone Signum magnum: Longè antè est Patribus cælitus repromissa, mysticis præfigurata miraculis, oraculis annũciata Propheticis*. Et *epist*. 174. dicit *Patriarchis, & Prophetis fuisse præcognitam*. Augustinus *l. de assump. in initio: Facta thronus Dei, & aula regis æterni, secundum quod nos docuisti per sanctos tuos Patriarchas, Prophetas, & Apostolos, figuris, & sermonibus, quibus credimus, & certi sumus, quia nunquam*
Heb. 10. *fefellisti*. Addere possumus, sicut Paulus de Christo dicit, in capite libri de illo scriptum esse; ita de B. Virgine in sacræ
Gen. 3. Scrip. initio scriptum esse: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem: ipsa conteret caput tuum*. His enim verbis Deum ipsum Mariam Virginem prædixisse, communis est antiquorum Patrum sententia. Totum præterea Canticorum librum, non solùm per accommodationẽ, sed etiam in sensu aliquo à Spiritu sancto intento, Virginem præcinere, omnes ferè Patres, qui illum interpretantur, intelligunt.

Sunt

ſunt præterea in Scriptura veteri Vir-
nis proprietates,& perfectiones,in va-
s perſonis,& rebus præfiguratæ, quas
c loco congerere non oportet, quia
lgares ferè ſunt,& in ſanctis Patribus
cilè reperiuntur. Nonnulla etiam ex
bris Pſalmorum,& Sapientialibus Ec-
eſia ad Virginem accommodat, ex
ibus interdum non leue ſumi poteſt
gumentum.

Secundò, in nouo Teſtamento pauca
uidem verba de Virgine ſcripta ſunt,
noniam tota Euangeliſtarum, & Apo-
olorum intentio referebatur ad Chri-
um,quia illo cognito,eiuſque fide ſatis
ndata, non poterat matris eius excel-
ntia aut ignorari,aut occultari. In illis
erò paucis verbis, eiſque grauiſſimis,
uædam præcipua capita indicata ſunt,
uæ omnia,quæ de Virgine dici poſſunt,
irtute continent. Quod in ceteris ferè
bus,etiam in geſtis à Chriſto,quæ nar-
ntur ab Euangeliſtis, obſeruare licet.
ſt enim totum Euangelium breue, &
oncisum: *quoniam verbum abbreuiatum fecit* Rom. 9.
ominus ſuper terram. Cùm enim non poſ-
nt Euangeliſtæ ſingula proſequi, ea,
uæ maximè neceſſaria erant, attige-
unt, vt ex eis reliqua intelligeremus.

Percontabitur fortaſſe aliquis: Cur

Christus Dominus, qui fidem Centurionis, Magdalenæ charitatem, & Ioannis laudes interdum prædicauit, nunquam de matre sua quidpiam simile locutus sit?

Respondetur primò, ad temperantiam quandam, & modestiam id spectare potuisse: quidquid enim de Virgine diceret, ad seipsum referri, & pertinere diceretur.

Sicut Sara separari voluit Ismael ab Isaac propter matrem, quæ seruilis erat conditionis. Nam *cùm vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham: Eiice ancillam hanc, & filium eius: non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac.* (Gen. 21.)

Deinde, vbi res ipsæ, & opera, quibus Christus matrem honorauit, clamabãt, verba non erãt necessaria. Ita non multis Dauid laudatur verbis: sed tantùm dicitur: *Acceptus erat in oculis vniuersi populi, maximeque in conspectu famulorum Saul.* (1. Reg. 18.)

Tertiò, præter ea, quæ in Scripturis canonicis continentur, sunt alia multa de B. Virgine per traditionem, quæ ab ipsis Apostolis manauit, & per manus Patrum ad nos vsque peruenit, communi sensu Ecclesię, & definitione recepta: vt constat ex Dionysio *c. 3. de diuinis nominibus,*

bus, & epist. 4. ad Caium. Ignatio, Irenæo. piphanio, Hieronymo, Augustino, & iis antiquissimis.

Illud verò obseruatione dignum cen-o, videlicet ex quatuor primis Conci-is generalibus, quæ Gregorius vt qua-ior Euangelia veneratur, primum Ni-enum honorem Filij, & consequenter onorem etiam Patris contra Arium efendisse: secundum, scilicet Constan-nopolitanum I. diuinitatem Spiritus ancti statuisse cõtra Macedonium: ter-ium scilicet Ephesinum, ad tuendam iatris Dei dignitatem contra Nesto-ium, esse congregatũ. In quo tam mul-a sunt dicta de laudibus Virginis, vt vix liquid addi posse videatur; quæ postea ı quarto Concilio Chalcedonensi, & in .& 6. Synodo, & in ceteris vsque ad Tri-entinum confirmata sunt, & explicata.

Quartò, tandem non sine singulari piritus S. consilio factum est, vt non-iulla Virginis mysteria & priuilegia, iec scripta sint, nec certa traditione re-epta, vt occasio daretur fidelibus am-liùs meditandi, & recogitandi hęc my-teria, loquendique, ac scribendi de Vir-ine, & principiis traditis, plura ratio-inando, & colligendo. Quocirca ratio-iibus etiam in hac materia vtendum

Digitized by Google

est, quæ vel in dictis principiis, vel in ipsarum rerum natura, & decentia fundatæ, multum ponderis, & efficacitatis in Theologia habēt. Ita coram Dario rege variis tres iuuenes disputarunt rationi-
3 Esd. 3. bus, quid esset fortissimum. *Vnus scripsit: Forte est vinum. Alius scripsit: Fortior est rex. Tertius scripsit: Fortiores sunt mulieres: super omnia autem vincit veritas.*

Sed vt magis appareat, quænam hodie nata sit, quærendum est: Vtrum B. Virgo verè ac propriè fuerit mater Dei, & hominis?

Hæc quæstio potissimùm versari cœpit in Ecclesia post annum quadringentesimum, tempore Concilij Ephesini: quia licet ante illa tempora hæretici, qui negauerunt Christum esse verum Deum, aut verum hominem verâ humanâ carne constantem, consequenter negarent Virginem fuisse verā matrem Dei, aut hominis; ex iis tamen, qui Christum Deum, & hominem confessi sunt, primus fuit Nestorius, qui negare ausus est, Mariam Virginem verè ac propriè fuisse matrem Dei, vt constat ex historia Concilij Ephesini, & ex Vincentio Lyrinensi *lib. contra profanas vocum nouitates*, & Cassiano *lib. 1. & 2. de incarnatione*, & Theophylacto *Ioan. 9.* in quo errore versari etiam

etiam hoc tempore nonnullos hæreticos, refert Canisius *l. 3. de B. Virgine, c. 22.* Fundamentum huius erroris fuit, vel quia vnionem veram humanæ naturæ cum Verbo diuino negauit, & consequenter veram, ac propriam communicationem idiomatum; vel quia saltem negauit, hanc vnionem factam esse in vtero Virginis. Hinc enim consequens esse videtur, licet B. Virgo fuerit mater Christi, non tamen Dei, quia nec concepit, nec peperit Deum.

Veritas tamen est, B. Virginem verè ac propriè fuisse matrem Dei, vt definitum est in Cōcilio Ephes. & Chalcedon. & in 6. Synod. *act.* 4. *&* 11. & habetur etiam in 7. Synodo *act.* 4. *&* 7. & in Concilio Lateran. sub Mart. 1. *c.* 3. & aliis frequenter.

Vt autem veritatem hanc ex propriis principiis probemus, oportet nonnulla supponere.

Primum est, B. Virginem propriè esse matrem huius hominis, scilicet Christi. Ita enim expresse dicitur: *Et erat mater* Ioan. 2.
Iesu ibi. Et: *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Do-* Luc. 1.
mini mei ad me? Et: *Simeon dixit ad Mariam,* Luc. 2.
matrem eius. Et: *Accipe puerum, & matrem eius.* Matth. 1. & 2.

Dices: Similibus testimoniis probaretur, Iosephum fuisse patrem Christi.

Resp.

Resp. hoc ipso explicare veritatem:
Luc 3. tum quia propterea additum est: *Vt putabatur, filius Ioseph*; quod de Virgine nunquam est dictum: tum etiam, quia de Iosepho nunquam dicitur in Euangelio genuisse Christum; de Virgine autem dicitur concepisse, & peperisse filium. Hoc etiam confirmat illa frequens appellatio, qua Christus in Euangelio *Filius hominis* vocatur, vt notauit Irenæus
Luc. 19. *l. 3. cont. hæres. c. 32. Venit Filius hominis quærere, & saluum facere, quod perierat.* Et eandem etiam efficaciam habet, quod dicitur *Filius David*, vel *Abraham*: media enim generatione ex Virgine matre ab illis de-
Isa 11. scendit. Vnde dicitur: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Sicut ergo flos verè producitur ex arbore; ita Christus ex Virgine. Eandemque vim habet hoc testimoniũ, etiamsi per virgam Christum intelligamus, quia Christus non fuit de radice Iesse, nisi mediante Virgine.

Confirmatur, secundò. Nam Christus in cruce moriens se esse filium Virginis
Ioan. 19. professus est, cùm dixit Virgini: *Ecce filius tuus.* Illo enim exemplo, vt August. *tract. 119. in Ioannem*, Chrysostomus *hom. 84.* & Cyrillus *lib. 12. c. 34.* notarunt, parentes honorandos, & illorum curam à nobis geren-

Digitized by Google

fuiſſet gerendam eſſe docuit. Recognouit igitur & honorauit Virginem, vt matrem: & ideo in extrema anguſtia poſitus tantam curam illius habuit.

Dices: Quid igitur tam illo loco, quàm Ioan. 2. & aliis locis, Virginē mulierem vocat, nunquam verò matrem? Et, quod difficilius eſt, cur matrem negare viſus eſt, dicens: *Quæ eſt mater mea?* Matt. 12.

Ad priorem partem reſp. Chriſtum illo modo fuiſſe locutum, quia ita decebat: tum propter Chriſti modeſtiam, & grauitatem: tum etiam propter exemplum noſtrum. Dixerat enim: *Nolite vocare vobis patrem ſuper terram.* Fortaſſe etiam in illo loco Ioan. 19. matris appellationem vitauit, ne Virginem ampliùs commoueret, vt ibi notauit Lyranus. Matt. 23.

In alio verò loco Ioan. 2. id fecit, vt indicaret, illud opus, & miraculum, quod B. Virgo poſtulabat, eſſe diuinæ virtutis, non humanitatis propriũ, quam ſolam à matre ſuſceperat, vt Auguſtinus notat *tract.* 8. *in Ioan. & l. de fide, & ſymb. cap.* 4. Vel certè, ſicut ſe vocabat filium hominis: ita Virginem per antonomaſiam mulierē appellabat, vt eam indicaret mulierem illam, per quam damna primæ mulieris inſtauranda forent.

Ad aliam verò partem reſp. non negaſſe

gasse Christum matrem suam, sed illis verbis reprehendisse eos, qui se concionantem importunè interpellabant.
Matt. 12. Vnde ait: *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei*, &c.

Deinde docuisse, propter consanguineos non esse opus Dei omittendum.
Matt. 16. *Caro & sanguis non reuelauit tibi.*

Tertiò quorundam iactantiam frænare voluit, qui de Christi consanguinitate gloriabatur, significando eam sine spirituali coniunctione nihil prodesse; hanc verò per se multùm valere.

Quartò addunt Hilarius *can. 12. in Matt.* Gregorius *hom. 3. in Euang.* & Ambrosius *l. 6. in Lucam*, hoc facto significasse Christum, Ecclesiam, quæ credidit, synagogæ fore præferendam, ex qua ipse erat secundùm carnem.

Secundò supponendum est, humanitatem Christi eo temporis momento, quo perfectè formata fuit in vtero Virginis, & existere incepit in rerum natura, fuisse assumptam, & vnitam Deo hypostaticè. Vnde concludimus, hunc hominem Christum semper à primo instanti conceptionis suæ fuisse Deum & hominem, & nunquam purum hominem extitisse.

Tertiò, hinc facilè concluditur intenta

tenta veritas, scilicet B. Virginem verè ac propriè esse matrem Dei.

Probatur ex dictis, quia Virgo concepit, & peperit Deum. Ergo est mater Dei. Ant. constat ex dictis: quia cōcepit hunc hominem: & hic homo in ipsa conceptione fuit Deus: ergo concepit Deum. Vnde & Scriptura sacra sic apertè loquitur: nam Filius Dei hoc sensu dicitur *factus ex muliere*: & *factus ex semine Dauid secundùm carnē*: & *quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei*. Vocabitur, inquit, non falsa appellatione, sed vera; & non solùm post natiuitatem ex vtero, sed in ipsamet conceptione in vtero, de qua Angelus loquebatur, rationē reddens, quare Spiritus sancti virtute esset efficienda, quia nimirum ipse Deus concipiendus erat. Et hoc etiam confirmat Isaias: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel; quod est interpretatū, Nobiscum Deus*, ait Matthęus. Hanc denique veritatem confitetur Elisabeth dicens: *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Illa enim vox, Domini, diuinam significat Personam: vt Damasc. ait *l. 3. de fide, c. 12.*

Gal. 4. Rom. 1. Luc. 1. Isa. 7. Matth. 1. Luc. 1.

Et eodem modo loquuntur omnes antiqui Patres: & hac ratione vocant etiam Virginem *thronum, thalamum, tabernaculum,*

naculum,& templum Dei,& similibus titulis, qui passim in sanctis Patribus reperientur.

Confirmatur tandem: Nam Deus est mortuus, quia hic homo est mortuus: Ergo Deus est conceptus & natus, atque adeò filius Virginis, quia hic homo est filius eius. Ergo è contrario Virgo, sicut est mater huius hominis, ita Dei.

Vltimò addi potest coniectura, seu congruentia. Quia nimirum voluit Deus sese omnibus modis hominibus communicare, & (vt ita dicam) omnes cognationis, & affinitatis modos perfectionem importantes cum illis contrahere. Vnus autem, & valdè perfectus est, vt Deus non tãtùm sit homo, sed etiam filius hominis, & vt quædam humana persona creata sit coniuncta Deo, quantum esse potest in ratione personæ. Vnde etiam factum est, vt non solùm humana in Christo natura, sed etiam persona creata in Virgine super omnes Angelorum choros fuerit exaltata.

Iam verò cùm qualitatem personæ hodie natæ vidimus, quid aliud restat, nisi vt cum ipsa renascamur? Nam Dominus dixit Nicodemo: *Amen, amen dico tibi, Nisi quis renatus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei. Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo*

Ioan. 3.

modo potest homo nasci, cùm sit senex? Nunquid potest in ventrem matris suæ iterum introire, & renasci? Et Dominus: *Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Vt ergo cum Maria Virgine renascamur, in nouitate vitę ambulemus, vt cum ipsa in æterna vita regnemus. Amen.

IN FESTO S. MATTHÆI.

Exordium:

PEruicacissimi olim Latinorum Æqui & Volsci fuerunt Romanis, & quotidiani, vt sic dixerim, hostes. Sed hos præcipuè L. Quinctius domuit, ille dictator ab aratro, qui obsessa, ac penè iam capta L. Minutij Consulis castra, egregia virtute seruauit. Mediũ erat forte tempus sementis, cùm patricium virum innixum aratro suo lictor in ipso opere deprehendit. Inde in aciem profectus, ne quid à rustici operis imitatione cessaret, victos more pecudum sub iugum misit. Sic expeditione finita rediit ad boues rursus triumphalis agricola. Fi-

des numinis, qua velocitate! intra XVI. dies cœptum, peractumque prorsus est bellũ, vt festinasse dictator ad reliquum opus videretur.

Ita etiam S. Matthæus à Domino vocatus aratrum suum, id est, telonium, & terram, id est, diuitias reliquit, & statim ad spiritualem se militiam contulit, in qua & palmam martyrij obtinuit.

Euangelium:

Matth 9. *Vidit Iesus hominem sedentem in telonio Matthæum nomine, & ait illi: Sequere me.*

Thema:

Sedentem in telonio.

Occasione horũ verborum agendum erit de negotiatione per emptionem, & venditionem, quatenus ea sit licita vel illicita. Ac si negotiationis vocabulum impropriè sumatur, pro commutatione rerum cum rebus, vel rerum cum pecuniis, instituta necessitatibus humanæ vitæ subueniendi causa, non est dubium, quin sit licita, & laudabilis.

Sed loquimur nunc de negotiatione propriè accepta pro commutatione pecuniarum cum pecuniis, vel quarumcunque rerum cum pecuniis, non necessitatis, sed lucri causa suscepta.

De hac negotiatione conuenit inter Doctores

Digitized by Google

Doctores primò, habere eam quandam speciem turpitudinis. Nam seruit cupiditati lucri, quæ nullum habet terminum. Neque habet vllum proximum finem honestũ, vel necessarium. Quanquam non est quidem negotiatio turpis intrinsecè, & positiuè, quasi per se contraria virtuti; sed negatiuè, quia scilicet non habet secundùm se aliquam honestatem. Ita cùm Dauid emere vellet aream ab Areuna ad ædificandum altare Domino, ipse ait: *Accipiat, & offerat dominus meus rex, sicut placet ei. Omnia dedit Areuna rex regi.* 2. Reg. vlt.

Secundò inter Doctores conuenit, negotiationem posse ex circumstantiis reddi licitam, & laudabilem, ac præcipuè ex bono, & honesto fine extrinseco. Vt si quis referat lucrũ ad sustentationem familiæ, vel pauperum, vel ad vtilitatem Reip. Ita *Dauid* tandem *emit aream ab Areuna, & boues, argenti siclis quinquaginta: & ædificauit ibi altare Domino, & obtulit holocausta, & pacifica: & propitiatus est Dominus terræ, & cohibita est plaga ab Israel.* Et proprerea sanctus Augustinus (aut quisquis auctor est) *in l. quæstionum veteris & noui Testam.* distinguit negotiationẽ ab aliis, quæ sunt intrinsecè mala. *Fornicari,* inquit, *nunquam licet: negotiari autem aliquando licet, aliquando* Ibid.

Digitized by Google

non licet. Ratio clara est: nam velle abundare rebus temporalibus, quod est finis negotiationis proximus, non aduersatur obligationi alicuius virtutis, si non addatur aliqua extrinseca circumstantia mala: vt addit, qui ita constituit vltimum finem in lucro, vt quæuis peccata mortalia admittat facilè propter illud. Quanquam aduersatur quidem negotiatio ex se perfectioni virtutis: quæ cernitur in contemptu rerum temporalium. Quòd si aliqua incommoda sequi videntur ex negotiatione, vt quòd res plerumque cariùs emuntur, quàm si immediatè à primis dominis emerentur, eò quòd sequatur inde quandoque penuria rerum, &c. Hæc compensantur vtilitate, quæ ex negotiatione ad communitatem redundat. Efficit enim negotiatio aliunde res aduehendo, & alio transferendo, vt Resp. non careat rebus necessariis: quod secus sæpe eueniret negotione sublata; cùm non omnia in omnibus locis suppetant, neque quiuis possit emendi causa quocunque commeare.

Tertiò conuenit inter Doctores, negotiationem, sicut ex circumstantiis potest fieri licita, ita etiam ex multis circumstantiis reddi illicitam posse.

Potest

Poteſt enim primò reddi illicita ex parte rei,quæ venditur. Vt ſi non ſit venalis,quia prohibeatur vendi. C. *Quæ res vendi non poſſunt.* Tale eſt venenum, quod nulla re alia adiuncta vtile fieri poſsit; vt patet *l. Quod ſæpe.ff.de contrahenda emptione.* Item homo liber ab alio vendi non poteſt: quanquam pater in neceſsitate poſsit vendere filium.*l.1.&2.ff.de patribus, qui filios diſtraxerunt.* Res ſacræ etiam vendi non poſſunt.Ita Petrus dixit ad Simonem,qui Spiritum ſanctum pecunia volebat emere: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem : quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri.* Act.8.

Secundò redditur negotiatio illicita ex parte perſonæ vendentis,ſi ei ſpecialiter prohibeatur: quemadmodum prohibetur clericis. 88.*diſt.per totam.*

Si tamẽ ſit negotiatio vera,& propriè dicta, qua videlicet res non mutatæ cariùs venduntur.Si enim clerici propria opera, & curatione res efficiant meliores, non prohibetur illis, quin cariùs etiam vendant. *c. Clerici, Extrau. de vita, & honeſtate clericorum. & 91.diſtinct. Can. Clericus.* Vbi ſit illis facultas proprio artificio, & labore ſibi,& ſuis prouidere de rebus neceſſariis; exemplo D.Pauli,qui artem ſcenofactoriam exercebat. Nam *egreſſus* Act.18.

Digitized by Google

ab Athenis venit Corinthum, & inueniens quendam Iudæum nomine Aquilam, & Priſcillã vxorem eius, acceſſit ad eos. Et quia eiuſdem erat artis, manebat apud eos, & operabatur. Erant autem ſcenofactoriæ artis.

Addit etiam Medina q. 31. *de rebus reſtituendis,* non eſſe Clericis prohibitum negotiari etiam proprie per alios, quibus pecuniam committant. Tunc enim non habent locum rationes, propter quas illis negotiatio prohibetur: ſiquidẽ per ſeipſos non negotientur. Neque enim illis eſt prohibitum omne genus lucri.

Denique licitum eſt illis etiam exercere opera ruralia. In omnibus tamen cauere debent ſcandalum, & ne aliquid tempori rebus ſuis neceſſario detrahãt. Ita dicebat Simon Petrus aliis diſcipulis: Ioan. vlt. *Vado piſcari. Dicunt ei: Venimus & nos tecum. Et exierunt, & aſcenderunt in nauim; & illa nocte nihil prendiderunt.*

Tertiò redditur illicita negotiatio ex parte emptoris, ſeu perſonæ, cui res venditur. Vt quando quis vendit aliquid perſonæ, quam veriſimiliter putat, aut facile putare poteſt re abuſuram. Quod præcipue habet locum in rebus, quæ valent ad voluptates, & inimicitias perſequendas: cuiuſmodi ſunt chartæ luſoriæ, ornamenta quædam, cibi laſciui,

arma

Digitized by Google

arma offensiua,&c. Tunc enim quis cooperatur ad malum, præbens materiam peccandi.

Ita peccasset, qui Saul gladium vendidisset, quando seipsum interficere volebat; quando ad armigerum suum dicebat: *Euagina gladium tuum, & percute me: ne fortè veniant incircumcisi isti, & interficiant me illudentes mihi: quando arripuit gladium, & irruit super eum.* Et hoc modo intelligẽdum est, quod Innocentius *in cap. vnico de sagittariis* ait, artem sagittariorum pestiferam esse, & ex Rep. Christiana exterminandam. Intelligitur enim, si quis ea ita vtatur, vt absque discrimine vendat omnibus, siue sint bene, siue male vsuri. 1. Reg. vlt.

Ex hoc autem non sequitur illicitum esse locare domum meretrici in locis, quibus tales mulieres à publica potestate permittuntur: aut etiam vsurario. Non enim perinde se habet locus ad peccatum, atque peccati materia. Qui enim alteri confert peccati materiam, hoc ipso censetur peccato cooperari, cùm det id, quod intrinsecè pertinet ad peccatum. Locus autem habet se omninò extrinsece. Itaque licite quis eum locat homini peccaturo, si tantùm intendit, vt is in eo viuat, nec directa, aut indirecta intentione per eam locatio-

Digitized by Google

nem ad peccatum cooperatur, aut ad id inducit alterum.

Prohibentur etiam Christiani tempore belli vendere arma infidelibus, & etiam ligna, & alia, quæ pertinēt ad rem bellicam, vt patet *Extra. de Iudæis & Saracenis*. Item prohibentur vendere illis qualiacunque omninò mercimonia, nisi quis fortè super hoc habeat dispensationem. Item excommunicantur, qui ferunt arma ad terras infidelium, *in Bulla Cœnæ Domini.*

Quartò redditur illicita negotiatio ratione loci. Non enim licet vendere in loco sacro: vt patet *De immunitate Ecclesiarum l. 6. Capit. Decet domum Dei.* Vnde
Matt. 21. Christus *eiiciebat omnes vendentes & ementes in templo; & mensas numulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit. Et dicit eis: Scriptum est: domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Intelligitur hoc etiam extra tempus, quo diuina celebrantur: non tamen extra illud tempus esset peccatum mortale, colloquendo dumtaxat in Ecclesia negotiari, secluso scandalo: secus si exponerentur ibi merces, & fieret clamor, & quasi quædam nundinatio: tunc enim esset mortalis irreuerentia.

Quintò redditur negotiatio illicita ratione

Digitized by Google

ratione temporis. Non enim licet in diebus festis: vt patet *Extra. De feriis*: nisi in iis rebus, in quibus necessitas aliud postulare videtur. Vnde excusantur pharmacopolæ, & vendentes victualia, etiam ante sacrorum auditionem. Sicut etiam in festis excusantur alij exercentes necessitatis causa alia opera seruilia. Ita cùm Iudæi oppugnarentur à militibus Antiochi die Sabbatorum, *non responderunt eis, nec lapidem miserunt in eos, nec oppilauerunt loca occulta, ne polluerent diem Sabbatorum: & mortui sunt ipsi, & vxores eorum, & filij eorum, & pecora eorum, vsque ad mille animas hominum.* Postea tamen *dixit vir proximo suo: Si omnes fecerimus, sicut fratres nostri fecerunt, & non pugnauerimus aduersus gentes pro animabus nostris, & iustificationibus nostris: nunc citiùs disperdent nos de terra. Et cogitauerunt in die illa dicentes: Omnis homo, quicunque venerit ad nos in bello die Sabbatorum, pugnemus aduersus eum: & non moriemur omnes, sicut mortui sunt fratres nostri in occultis.* 1. Mach. 2.

Sextò redditur negotiatio illicita ratione modi, qui latissime patet. Primò enim quæ vitia solent aliis artibus admisceri, hic sunt frequentiora: vt blasphemiæ, periuria, &c. quæ tamen vitia non efficiunt negotiationem secundùm se illicitam esse.

Deinde peculiariter in modo negotiationis peccari ſolet ratione finis: ſi quis vſque adeò inhiat lucro, vt in eo conſtituat vltimum finem, negligendo eius cauſa præcepta diuina: quod conſtat genus eſſe auaritiæ peſsimum, & Reip. nocentiſsimũ. Coarceruare enim ſolent tales res venales, & afferunt annonæ caritatem, &c. Ac de eiuſmodi iniquis negotiationibus intelligendi fere ſunt S. Patres, cùm ſeuere negotiationes damnant. Item illud: *Quoniam non* Pſal. 70. *cognoui litteraturam*, (vel negotiationem ſecundùm LXX.) *introibo in potentias Domini.*

Morale.

Matth. 9. *Vidit Ieſus hominem.*

VIdet Deus homines multis modis. Primò, amabiliter videt bonos. Pſal. 33. *Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces* Gen. 4. *eorum.* Ita *reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.*

Secundò, reſpicit inimico oculo pec- Pſal. 33. catores. *Vultus autem Domini ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.* Et Habac. 1. alius: *Mundi ſunt oculi tui, ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris.* ſcilicet Gen. 6. amabiliter, & approbãdo. Ita *videns Deus,* quòd

quòd multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum, quòd hominem fecisset in terra.

Tertiò, videt Deus quosdam execrabiliter maledicendo: vt dæmones omnes, & damnatos. *Intende ad visitandas omnes gentes; non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem.* Item: *Ignis eorum non extinguetur: & erunt vsque ad satietatem visionis omni carni.* Psal. 58. Isa. vlt.

Sed quæstio est: Vtrum Beati delectentur in visis pœnis damnatorum? Resp. quod beati non delectentur in pœnis damnatorum per se; nam perfectissima in ipsis charitas est, qua inimicos suos diligunt: & per consequens nec ipse Deus, cuius misericordiæ non est numerus. Per accidens tamen tribus modis in pœnis damnatorum delectantur.

Primò, quia in illis pœnis vident iustitiæ diuinæ executionem. *Lætabitur iustus, cùm viderit vindictam.* Psal. 57.

Deinde, quia vident in seipsis diuinæ misericordiæ beneficium, quo pœnas tales, ac tantas euaserunt. *Manus suas lauabit in sanguine peccatoris,* id est, propter opera sua munda gaudebit iustus se euasisse illas pœnas ex misericordia diuina. Ibid.

Denique, quia gloria beatorum ex pœnis

Digitized by Google

pœnis illis augmentum habet: quia opposita iuxta se posita magis elucescunt.
Ibid. *Et dicet homo*: id est, quilibet rationabiliter loquens. *Si vtique est fructus iusto.* id est, quia est fructus iusto in augmento gloriæ. *Vtique est Deus iudicans eos in terra.*

Quartò, videt Deus quosdam feliciter: beatos scilicet, & animas in cælum
Sap. 4. deducendas. *Gratia Dei, & misericordia in sanctos eius, & respectus in electos illius.* Et Chri-
Ioan. 16. stus: *Et vos nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum: & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.*

Quintò, videt Deus quosdam misericorditer; scilicet peccatores, quos à
Ioan. 3. peccatis conuertit. Ita *Vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt de via sua mala: & misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat,*
Psal. 24. *vt faceret eis, & non fecit.* Vnde Dauid: *Respice in me, & miserere mei: quia vnicus & pauper sum ego. Vide humilitatem meam & laborem meum: & dimitte vniuersa delicta mea. Vnicus,* id est, vnicam animam habeo, qua perdita omnia pereunt.

Quatuor autem signa sunt, quod Deus aliquem oculo misericordiæ aspexerit.

Primum est timor de peccato com-
Psal. 103. misso. *Qui aspicit terram,* id est, terrenum peccatorem, *& facit eam tremere.* Sicut
Prou. 15. reus tremit aspectu iudicis. *Per timorem*

Domini

Domini declinat omnis à malo.

Secundum eſt bonæ voluntatis inſpiratio. Ita *cùm adhuc longè eſſet* filius prodigus, *vidit illum pater ipſius, & miſericordia motus eſt.* Fortè enim ad patrem non perueniſſet, ſi aſpectu miſericordiæ caruiſſet. Luc.15.

Tertium eſt cordis compunctio. Ita *conuerſus Dominus reſpexit Petrum. Et egreſſus foras Petrus fleuit amarè.* Nam ſicut ignis diſſoluit ceram, ita oculus Domini cor peccatoris. *Sicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei.* Luc.22. Pſal.67.

IN FESTO S. MICHAELIS ARCHANGELI.

Exordium:

De S. patre noſtro Franciſco refert S.Bonauentura, *in vita eius, c.* 8. *§.6.* quòd ouem habebat, quæ audiens fratres in choro cantare, & ipſa Eccleſiam ingrediens flectebat genua, vocem balatus emittens ante altare Virginis matris Agni, ac ſi eam ſalutare geſtiret. Inſuper

super & cùm eleuaretur sacratissimum Christi corpus inter Missarũ solemnia, flexis curuabatur poplitibus, tanquàm si reuerens pecus de irreuerentia indeuotos argueret, Christoque deuotos ad Sacramenti reuerẽtiam inuitaret. Cùm autem agniculum illum dominæ Iacobæ de septem foliis conseruandũ commisisset, ille quasi in spiritualibus eruditus à Sancto, dominæ eunti ad Ecclesiam, stanti, & reuertenti societate inseparabili adhærebat. Si matutinali hora domina tardaret exsurgere, agnus impellebat eam corniculis, & balatibus excitabat, gestibus adhortãs, & nutibus, vt ad Ecclesiam properaret. Ob quod amabilis, & admirabilis à domina seruabatur.

Ita etiam S. Angeli nos ad virtutem ignorantes excitant, ad virtutem dirigendo iuuant.

Euangelium:

Matt. 18. *Accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: Quis, putas, maior est in regno cælorum?*

Thema:

Ibid. *Angeli eorum semper vident faciem Patris.*

Angeli sancti multiplicia nobis præstant obsequia, quæ ad nouem reduci possunt.

Primò,

Primò, obsistunt nobis in malis, ponentes impedimenta, sine quibus in varia sæpe incideremus peccata. Ita cùm displiceret Domino via Balaam, *stetit Angelus Domini in via contra Balaam, qui insidebat asinæ.* Et ait illi: *Cur tertiò verberas asinam tuam? Ego veni, vt aduersarer tibi, quia peruersa est via tua, mihique contraria: & nisi asina declinasset de via, dans locum resistenti, te occidissem, & illa viueret.* Itaque Angeli sancti aduersarij nostri sunt, de quibus Christus: *Esto consentiens aduersario tuo citò, dum es in via cum eo: ne fortè tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem.* Num. 22 Matth. 5.

Secundò, Angeli resistunt aduersariis, & repellunt hostilia tentamenta. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem: sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ.* Diabolus enim modò impugnat per violentiã tribulationum, modò per blanditias tentationum, modò per astutias & fraudulentias illusionum, modò per deceptionem curiositatum. *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est, vt nullum timeret.* Contra hostes tam callidos & potentes, nequaquã humana stare posset fragilitas, Ephes. 6. Iob 41.

nisi

nisi sanctos haberet Angelos adiutores.
Dan.6. Vnde Daniel ad Regem: *Deus meus misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi*. Leones isti dæmones sunt.
Psal.73. *Ne tradas bestiis animas confitentes tibi*. Item Angelus Tobiæ religauit *dæmonium* As-
Tob.8. modæum nomine *in deserto superioris Ægypti*, vt nemini noceret. Iudith etiam ait:
Iudit. 13 *Viuit ipse Dominus, quoniam custodiuit me Angelus eius, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem, & non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari*.

Tertiò, peccatores illuminant, & ad pœnitentiam excitant. Sicut enim dicit
Ioan. 8. Saluator: *Qui facit peccatum, seruus est peccati*, & peccatum non potest detestari, quamdiu voluntas eius illi est astricta: ideo vndique incitant Angeli. Ita Agar fugienti à facie Sarai occurrit Angelus
Gen.16. Domini, & dixit ei: *Vnde venis, aut quò vadis? Reuertere ad dominam tuam, & humiliare sub manu illius*. Agar, quæ interpretatur aduena, est anima nostra, quæ in hoc mundo debet esse peregrina. Sara, quæ interpretatur particeps, est æterna sapientia, cui mens nostra debet esse subiecta. Igitur Angelus Domini transgredienti diuina mandata, & à facie Domini fugiẽti dicit: Reuertere ad dominam tuam, conuerte te ad diuinã sapientiam,

& hu-

& humilia te ſub manu eius, recognoſcendo culpam, petendo veniam. Similiter Petro in carcere conſtituto *Angelus* Act. 12.
Domini aſtitit, & lumen refulſit in habitaculo: percuſſoq; latere Petri, excitauit eum, dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus eius. Lumen refulget in habitaculo, quando peccatori vinculis peccati compedito Angelus aliquem illuminationis ſuæ infundit radium. Aſtat Angelus, & latus peccatoris percutit, quando eum ad lamentum contritionis excitat, & dicit: Surge velociter, peccatũ derelinquendo. Et tunc cadunt catenæ de manibus per abſolutionem, & bonæ operationis reſtitutionem.

Quartò, Angeli pro nobis apud Deum interpellant, & gratiam impetrant. Vnde *reſpondit Angelus Domini, & dixit: Domine* Zach. 1.
exercituum, vſquequa tu non miſereberis Ieruſalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es? iſte iam ſeptuageſimus annus eſt. Et reſpondit Dominus Angelo, qui loquebatur in me verba bona, verba conſolatoria. Et ſequitur: *Reuertar ad Ieruſalem in miſericordiis.*

Quintò, Angeli nos corroborant, & confirmant, promouent, & confortant ad exercitia virtutum. Ita cùm Tobias vellet mittere filium ſuum ad Gabelum, & viam ignoraret ille, dixit ad eum:

Tob. 5. *Perge nunc, & inquire tibi aliquem fidelem virum, qui eat tecum ſalua mercede ſua. Et egreſſus inuenit iuuenem ſplẽdidum, ſtantem, præcinctum, & quaſi paratum ad ambulandum. Et ignorans, quòd Angelus Dei eſſet, ſalutauit eum, & dixit: Noſti viam, quæ ducit in regionem Medorum? Cui reſpondit: Noui, & omnia itinera eius frequenter ambulaui.* Quem cùm filius ad patrem introduxiſſet, quæſiuit ab eo: *Nunquid poteris perducere filium meum ad Gabelum in Rages ciuitatem Medorum? dixit ei Angelus: Ego ducam, & reducam eum ſanum ad te.* In omnibus his nihil aliud ſignificatur, niſi quòd Angeli nos in via perfectionis dirigunt, ipſi ducunt, ipſi deducũt, ipſi reducunt. Huc pertinet etiam, quod de Elia dicitur:

3. Reg. 19. *Ecce Angelus Domini tetigit illum, & dixit illi: Surge, comede: grandis enim tibi reſtat via. Qui cùm ſurrexiſſet, comedit, & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, vſque ad mõtem Dei Oreb.* Angelus Domini hominẽ tangit, quando tepeſcentem excitat. *Surge*, dicit, *comede*: quando ad aggrediendum ardua eum confortat: atque ita toto laborioſæ huius vitæ decurſu ambulat, donec ad perfectionis ſtatum perueniat, ac tandem ad ſublimem, & ſtabilem æternitatis quietem pertingat.

Sextò, exhibent nobis ſalutaria documenta,

menta, & reuelant mysteria. Norunt enim causas rerum, antequam fiant, & rationes in Verbo Dei vident. *Angeli eorum semper vidēt faciem Patris.* Omnia etiam veteris Testamenti mysteria ferè facta sunt mediantibus Angelis. Lex enim ministerio Angelico fuit tradita, & vt Apostolus ait, *ordinata per Angelos in manu Mediatoris.* Patet quoque in omnibus Prophetis. Vnde Zacharias: *Et dixit ad me Angelus Domini, qui loquebatur in me.* Et Ioannes: *Apocalypsis Iesu Christi, quam dedit illi Deus palàm facere seruis suis, quæ oportet fieri citò: & significauit mittens per Angelum suum seruo suo Ioanni.* Matt. 18. Gal. 3. Zach. 1. Apoc. 1.

Septimò, mentem nostram eleuant, & inflāmant, desideria lætificant, & spiritualia ingerunt solatia. *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem.* Vnde Ioannes: *Sustulit me Angelus in spiritu in montem magnum, & altum, & ostendit mihi ciuitatem sanctam Ierusalem.* In montem tollit in spiritu, quando mentem in infimis iacentem ad amorē supernorum erigit, & gaudia illius ciuitatis ostendit. Et Angelus Raphael sic salutauit Tobiam: *Gaudium tibi sit semper. Forti animo esto: in proximo est, vt à Deo cureris.* Angelus etiam nunciauit gaudium natiuitatis Domini, dicens: *Euangelizo vobis gaudium magnū, quod* Psal. 103. Apoc. 21. Tob. 5. Luc. 2.

erit omni populo: quia natus est vobis hodie Saluator mundi. Angelus nunciauit gaudium
Matt. vlt. resurrectionis: *Nolite timere vos: scio enim, quòd Iesum, qui crucifixus est, quaritis. Non est hic: surrexit enim, sicut dixit*, &c.

Octauò, in conspectu Dei deferunt omnia nostra bona opera: non quòd Deus illa ignoret, quem nullum latet secretum, sed quia ita constituit, & fieri
Tob. 12. vult. Vnde Raphael Tobiæ: *Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, ego obtuli orationẽ tuam*
Act. 10. *Domino.* Et Angelus ad Cornelium; *Orationes tua, & eleemosyna tua ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.*

Nonò, Angeli perducunt electos ad regna cælestia, & introducunt eos in il-
Exod. 23 la. In Testamento veteri: *Ecce ego mittam Angelum meum, qui pracedat te, & custodiat in via, & introducat in locum, quem praparaui.* Et
Luc. 16. in nouo: *Factum est autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abraha.* Illum introitum nobis etiam aliquando concedat, qui sine fine viuit & regnat. Amen.

IN

IN FESTO S. LVCÆ.

Exordium:

OLim apud Romanos Manlius Torquatus adeò hebetis, & obtuſi cordis inter initia iuuentutis exiſtimatus eſt, vt à patre Manlio ampliſſimo viro, quia & domeſticis, & Reip. vſibus inutilis videbatur, rus relegatus agreſti opere fatigaretur: poſtmodum tamen patrem reum iudiciali periculo liberauit, filium victorem, quòd aduerſus imperium ſuum cum hoſte manũ conſeruerat, ſecuri percuſſit; patriam Latino tumultu feſſam ſpecioſiſsimo triumpho recreauit. In hoc credo fortunæ nubilo contemptu adoleſcentiæ perfuſum, quò ſenectutis eius decus lucidiùs eniteſceret.

Ita Chriſtus ſeptuaginta duos elegit diſcipulos, abiectos quidem ſecundùm mundum, ſed qui verbum Dei cum multis ſeminarunt periculis, & laboribus, de quo & fructus multos retulerunt. Luc. 10.

Euangelium:

Ibid. *Designauit Dominus & alios septuaginta duos: & misit illos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem, & locum, quò erat ipse venturus.*

Thema:

Designauit Dominus & alios septuaginta duos: & misit eos binos ante faciem suam.

Magna de hoc discipulorum numero quæstio est, quia non solùm Græci plerique codices, & Syriaci septuaginta solùm legunt, sed etiam auctores veteres, maximeque Græci, cùm eos numerant, aut mentionem de illis quoquo modo faciunt, non nisi septuaginta ponere solent.

Sunt, qui id quoque ratione confirment. Nam numerus hic septuaginta, sicut & duodecim, Iudæis in honore, & veneratione fuit: hic quidem propter duodecim Patriarchas: ille verò propter septuaginta animas, quæ cum Iacob ingressæ sunt in Ægyptum, vnde totus deinde Iudæorum populus propa-

Gen. 46. gatus est. *Omnes animæ domus Iacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptũ, fuère septuaginta.* Moyses etiam non septuaginta duos, sed septuaginta tantùm seniores consilio Iethro soceri sui elegit, qui iudices infra se es-

Exod. 18 sent. *Prouide autem de omni plebe viros potentes, & ti-*

& timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam, & constitues ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui iudicent populum omni tempore. Et: *Ascende ad Dominum tu, & Aaron, Nadab, & Abiu, & septuaginta senes ex Israel, & adorabitis procul.* Exod. 24
Deus etiam septuaginta seniores parari sibi iussit. *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti, quòd senes populi sunt, ac magistri: & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum, vt descendam, & loquar tibi: & auferam de spiritu tuo, tradamque eis, vt sustentent tecum onus populi, & non tu solus graueris.* In Elim quoque, vbi populus ex Ægypto fugiens castrametatus est, duodecim fuerunt fontes, quibus duodecim Apostoli; & septuaginta palmæ, quibus septuaginta isti discipuli significarentur. *Venerunt autem in Elim filij Israel, vbi erant duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmæ: & castrametati sunt iuxta aquas.* Num. 11 Exod. 15

Sed non dubito, quocunque tandem modo hoc loco legendum sit, septuaginta duos, quos Christus designasse hic dicitur, fuisse discipulos. Fieri enim potest, vt cùm septuaginta duo fuerint, septuaginta tantùm ab Euangelista nominentur. Itaque si probamus legendum esse septuaginta duos, septuaginta duos

fuisse probatum erit: si quis verò probauerit legendum esse septuaginta, non continuò probauerit, non fuisse plures.

Ratio ergo eadem, qua duodecim elegit Apostolos, efficit, vt credamus septuaginta duos discipulos elegisse. Dubium non est, quin propterea duodecim Apostolos elegerit, quia duodecim erãt tribus, vt vnaquæque tribus suum Apostolum haberet. Ergo etiam credibile est eodem numero discipulos elegisse, vt æqualiter inter duodecim tribus diuidi possent. Numerus verò septuaginta inter duodecim æqualiter diuidi non potest: septuaginta verò duo si diuidantur, vnicuique tribui obuenient sex. Septuaginta igitur duo electi sunt.

Probatur hæc opinio iisdem exemplis, quibus auctores alij contrariã probare solent. Nam si spectemus numerum eorum, qui reipsa cum Iacob in Ægyptum ingressi sunt, non erunt septuaginta, sed sexaginta sex, vt eodem loco Scriptura testatur. Si verò numeremus & ipsum Iacob, & Ioseph, qui iam in Ægypto erat, & duos eius filios, qui non in Ægyptum ingressi, sed ibi nati sunt, erunt quidem septuaginta: sed si eodẽ iure duos filios Iudæ numeremus, Her & Onan, qui, antequam ingrederentur

Gen. 46.

rentur Ægyptum, mortui fuerãt,erunt septuaginta duo. *Mortui sunt autem Her & Onan in terra Chanaan.* Ibid.

Moysen verò septuaginta duos seniores elegisse, præterquam quòd boni auctores sentiunt, ex sacris etiam litteris,& ex Iudæorum moribus colligi potest. Dederat Moyses duodecim tribubus optionem , vt ipsæ ex omni populo viros prudentes, & incorruptos eligerent, qui iudices essent.

Quis autem credat homines ambitiosos,quales Iudæi erant,non æqualem ex singulis tribubus numerum elegisse; vt & honos ille æqualiter omnibus participaretur; & iudicium minùs suspectum esset, cùm ex singulis tribubus æqualis iudicum numerus esset electus? Quòd si æqualis ex singulis tribubus electus est numerus,non potuerunt eligi,nisi sex.Si enim plures electi fuissent, vt minimũ fuissent octoginta quatuor, quod nemo concedit: si pauciores, non fuissent,nisi sexaginta,quod minùs concedet quisquam. Necesse est ergo senos ex singulis tribubus iudices electos fuisse. Cur igitur & in Scriptura,& à Philone, & Iosepho, & ab omnibus aliis auctoribus electi septuaginta dicuntur? Cur ij, qui Ptolomæi Philadelphi iussu

sacras litteras ex Hebræo in Græcum sermonem conuerterunt, septuaginta interpretes ab omnibus appellantur, cùm omnes prorsus auctores scribant fuisse septuaginta duos? Sanè regula S. Augustini vera est, solere etiam in litteris sacris cardinalem, quem vocant, numerum exprimi, etiamsi aliquid illi aut supersit, aut desit. *l. 2. qq. in Exod. q.* 47. Sicut filij Israel fuisse dicuntur quadringentos annos in Ægypto, cùm aliquanto
Exod. 12 plures fuerint. *Habitatio filiorum Israel, quæ manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum.* Eadem regula & seniores illos, quos Deus per Moysen eligi iussit, & illas palmas, quæ circum duodecim erant fontes, septuaginta duas fuisse credo, quamuis septuaginta tantùm à præcipuo numero nominentur. Eadem ratione, quamuis Lucas septuaginta discipulos electos fuisse diceret, septuaginta duos fuisse electos crederem.

Adde, quòd & Latini omnes, & Græci multi codices septuaginta duos legant, & maior pars veterum auctorum eundem numerum ponat. Quòd si omnes auctores septuaginta tãtùm posuissent, non plus inde profectò probaretur, quàm si ipse Euangelista septuaginta fuisse

uisse dixisset. Atqui iam probauimus, etiamsi Euãgelista dixisset septuaginta, septuaginta duos fuisse credi debuisse. Nec inde magis sequeretur non nisi septuaginta fuisse discipulos, quia non plures ab auctoribus nominarentur; quàm septuaginta tantùm interpretes fuisse, quia omnes auctores septuaginta illos, non septuaginta duos vocare solent.

Solus Dorotheus mouere potest, quia non solùm septuaginta, vt alij, vocat, sed etiam numerat, & singulorum nomina recenset. Sed scriptoris huius non admodum grauis est auctoritas: Græco enim ingenio scripsit historiam. Vnde etiam ille inter tot antiquiores auctores solus singulorum discipulorum nomina didicit? Qui potuit nomina fingere, aut ficta ab alio leuiter credere, potuit numerum.

Alia adhuc quæstio est: Cur hoc numero potiùs, quàm alio, eos Christus elegerit? Eius numeri rationem vnam suprà indicauimus, quòd Iudæis sanctus quodammodo esset, & multis insignis exemplis, septuaginta duorum hominum, qui ex Iacob, & eius filiis propagati fuerunt; septuaginta duorum iudicum, in quos spiritus Moysis est effusus;

sus;septuaginta duarum palmarum,quę circa fontes duodecim adnatæ erant; septuaginta duorum interpretum, qui Scripturam sacram in Græcam conuerterant linguam.

Alias duas rationes adfert Beda *in comment*. Alteram,quòd totidem mundi plagæ essent, in quas esset disseminandum Euangelium. Nam in septuaginta duas linguas, totidemque gentes fuisse illos
Gen. 11. diuisos, qui Babylonicam extruebant turrim, constans veterum auctorum opinio est: quia totidem familias turrim ædificasse ex præcedenti capite colligitur.

Alteram magis allegoricam, quam sumpsit ex Augustino *l.2. de consensu Euangelist.c.*14. Duodecim Apostoli duodecim anni mēsibus: discipuli viginti quatuor horis diei respondent: quæ aut propter Trinitatis mysterium, aut propter tres Dominici sepulcri dies per tria multiplicatæ, efficiunt septuaginta duas horas,quot discipuli erant.

Ex hoc loco manifestum est, voluisse Christum in Ecclesia sua aliquod personarum esse discrimen, & non solùm Ecclesiasticos ministros hominibus laicis,sed inter ministros etiam ipsos alios aliis esse superiores. Nec enim tempore

ore eodem, neque numero, neq; gra-
u eodem Apostolos & discipulos ele-
it. Indicat Apostolorum paucitas eos
iscipulis maiores fuisse.

Sed qui nunc in Ecclesia Apostolo-
ım, qui discipulorum locum teneant,
e eo inter auctores antiquiores non sa-
s constat. Communis opinio est, Epi-
copos Apostolis, presbyteros septua-
inta duobus discipulis successisse. Alij
piscopos Christo, presbyteros Aposto-
s, diaconos septuaginta duobus disci-
ulis similes faciunt. Fuerunt etiam, qui
icerent Episcopos Dei Patris, presby-
ros Christi, diaconos Apostolorum
ersonam gerere. Sed prima opinio ve-
or est.

Et misit illos binos ante faciem suam. Luc. 10.

Hebraicè, ante se. Vt ibi: *Praibis enim* Luc. 1.
ite faciem Domini. Et: *Ecce mitto Angelum* Luc. 7.
eum ante faciem tuam.

Quare autem binos miserit, ratio non
t obscura. *Væ soli, quia cùm ceciderit, non ha-* Eccle 4.
t subleuantem se. Voluit enim discipulos
os alios aliis in rebus aduersis, aut ne-
essariis adiumento esse. *Frater, qui adiu-* Prou. 8.
tur à fratre, quasi ciuitas firma.

Secunda ratio est, quia duo sunt cha-
ritatis præcepta: vnum, quod in Deo:
alterum,

alterum, quod in diligendo proximo versetur.

Tertia est, quia Christus voluit discipulos suos perpetuos habere actionum suarum testes, ne quis malè eorum solitudinem interpretaretur, quasi ideò soli essent, vt liberiùs sine teste peccaret.

Quarta est, quia hoc semper vsitatum fuit. Nam & Moysi, vt ex Ægypto populum educeret, datus fuit socius Aaron.
Exod 4. *Aaron frater tuus Leuites, scio quòd eloquens sit: ecce ipse egredietur in occursum tuum, vidensque*
Exod 7. *te lætabitur corde*, &c. Et: *Ecce constitui te Deum Pharaonis: & Aaron frater tuus erit propheta*
Iosu. 14. *tuus.* Iosue & Caleb eundem populum murmurantem compescuerunt, & in terram Chanaan introduxerunt. Apo-
Matt 10. stoli etiã bini à Matthæo numerati sunt: bini quoque ad prædicandum à Christo
Mar. 6. missi sunt. *Et vocauit duodecim, & cœpit eos mittere binos.* Ad soluendum asinum, quo veheretur, duos etiam discipulos misit.
Matt. 21. *Tunc Iesus misit duos discipulos, dicens eis.* Item ad parandam vltimã cœnam alios duos,
Luc. 22. Petrum & Ioannem. *Et misit Petrum & Ioannem, dicens: Euntes parate nobis Pascha, vt*
Matt. 11. *manducemus.* Sed & Ioannes cùm *audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi.*
Luc. 10. *Misit* autem *illos binos ante faciem suam,* haud

aud dubiè, vt incultum, & rudẽ agrum
ibi proſcinderent, & vt in aratum iam
ampum Euangelij ſemen iacerent; fa-
erentque nunc diſcipuli, quod antè
oannes fecerat, pararent viam Domini
nte faciem eius, & omnes intelligerent
ro vno Ioanne de medio ſublato ſe-
tuaginta duos ipſi Ioannes natos eſſe.
Ioc enim eſt Euangelij proprium in-
enium, ſanguine creſcit: & Chriſtia-
orum ſanguis ſemen eſt; quò plures
rannus occiderit, naſcuntur plures.

Moraſe.

Curate infirmos, qui in illa ſunt. Luc. 10.

NOuem ſigna ſunt, ex quibus iudi-
cari poteſt, an ægroti conualeſcent,
eſt, an peccatores reſurgent, an verò
erna morte morientur.

Primum ſignũ eſt robur infirmi. Si
im peccator adeò robuſtus maneat,
non ceſſet à bono opere, ſignum eſt
turæ ſanitatis: ſi autem adeò æger ſit,
nihil bene operari velit, ſignum eſt
ortis. Diſponunt enim bona opera
gratiam Dei acquirendã, ad minuen-
m pœnam, & diaboli poteſtatem con-
ẽdam. Vnde Angelus ad Cornelium
nondum

Act.10. nondum baptizatum : *Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.*

Secundum signum est leuitas infirmi facilè se mouentis. Si enim peccator facilè compungatur in corde, signum est sanitatis : sin autem duritiem sentiat cordis, signum est mortis. Ita Dauid auditis sermonibus Nathan, statim dixit
2. Reg. 12. ad eum: *Peccaui Domino.*

Tertium signum est dispositio corporis sano similis. Si enim peccator in exterioribus moribus imitetur bonos & sanctos, vt in locutione honesta, in victu sobrio, in vestitu humili, signum est futuræ sanitatis : sin autem, signum mor-
Matt.26. tis. Ita licet *discipuli omnes relicto eo fugerint: Petrus* tamen *sequebatur eum à longe, vsque in atrium Principis Sacerdotum.*

Quartum signum est appetitus facilis, & sanitas mentis. Si enim peccator libenter verbũ Dei audiat, & sanæ mentis consilia, signum est sanitatis: sin autem, signum mortis. Ita cùm Petrus ne-
Ibid. gasset Dominum, *continuò gallus cantauit. Et recordatus est Petrus verbi Iesu, quod dixerat: Priusquam gallus cantet, ter me negabis.*

Quintum signum est suauitas somni tempore congruo. Si enim peccator in nocte dormiat, id est, in aduersitate

mentem

mentem tranquillam habeat, & in ea Deum somniat, signum est sanitatis: si autem in die, id est, in prosperitate dormiat, hic somnus quanto magis placet, tanto magis infirmo nocet. Ita Nabuchodonosor cùm ab hominibus eiectus esset, & inter feras habitaret, ait: *Ego Na-* Dan. 4.
buchodonosor oculos meos ad cælum leuaui, & sensus meus redditus est mihi: & Altißimo benedixi, & viuentem in sempiternum laudaui, & glorificaui: quia potestas eius potestas sempiterna, & regnum eius in generatione, & generatione.

Sextum signum est anhelitus suauis. Nam si peccator monitorem libenter audiat, signum est sanitatis: sin autem angustia spiritus laboret, & increpantem fugiat, signum mortis. *Non amat pe-* Prou. 15.
stilens corripientem. Ita *cùm audisset rex Iero-* 3. Reg.
boam sermonem hominis Dei, quem inclamauerat 13.
contra altare in Bethel, extendit manum suam de altari, dicens: Apprehendite eum. Quòd si increpantem audiuisset, forsitan à peccato suo facilè conualuisset.

Septimum signum est æqualitas pulsus in arteria cordis, vt non vehemens sit modò, modò debilis. Ita si peccator æqualem ex affectu cordis ducat vitam, & voluntatem seruet bonam, signum est sanitatis: sin autem voluntas eius varietur in contrarium, signum mortis.

Digitized by Google

Exod. 8. Sicut *vocauit Pharao Moysen & Aaron, & dixit eis: Orate Dominum, vt auferat ranas à me, & à populo meo: & dimittam populum, vt sacrificet*
Ibid. *Domino*. Ecce pulsus leuis. *Videns autē Pharao, quòd data esset requies, ingrauauit cor suum, & non audiuit eos, sicut præceperat Dominus*. Ecce vehemens pulsus.

Octauum signum est efficax virtus in loco decoctionis, nimirum stomachi, hepatis, & venarum. Nam si peccator verbum Dei excoquat in stomacho memoriæ per recordationem peccatorum, & in calore hepatis per Christi dilectionem, atque in membris ceteris per virtuosam operationem, signum est futuræ
Luc. 10. sanitatis. Ita *Samaritanus appropians alligauit vulnera eius*, qui semiuiuus relictus erat, *infundens oleum & vinum: & imponens illum in iumentum suum duxit in stabulum, & curam eius egit*.

Nonum signum est sudor purgans. Sicut enim in infirmo aperiuntur pori carnis, vt per sudorē fiat purgatio morbi: sic per confessionem peccati laudabilis animæ purgatio fit. Ita filius prodi-
Luc. 15. gus sudauit, quando dixit: *Pater, peccaui in cælum, & coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus*. Ista ergo signa omnes habere studeamus, vt ab infirmitatibus nostris conualescamus.

IN

IN FESTO SANCTORVM SIMONIS ET IVDÆ.

Exordium:

OLim laudati fuerunt fratres, Amphinomus & Anapus, quòd patrem & matrem humeris per medios Ætnæ ignes portauerint; licet neutri pro ſpiritu parentum expirare propoſitũ fuerit. Ita Valerius Max. *l.* 5. *c.* 4.

At Simon Chananæus, qui & Zelotes; & Thaddæus, qui & Iudas Iacobi appellatur in Euangelio, vnius ex canonicis epiſtolis ſcriptor, magis laudandi ſunt. Nam hic Meſopotamiã, ille Ægyptum Euangelica prædicatione peragrauit. Poſtea in Perſidem conuenientes, cùm innumerabiles filios Ieſu Chriſto peperiſſent, fidemque in vaſtiſsimis illis regionibus, & efferatis gentibus diſſeminaſſent; doctrina, & miraculis, ac denique glorioſo Martyrio, ſimul ſanctiſſimum Ieſu Chriſti nomen illuſtrarunt.

Euangelium:

Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem. Si mundus vos odit, ſcitote, quia me priorem vobis odio habuit. Ioan. 15.

Thema:

Ibid. *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.*

Vt intelligi posſit, quænam ſint ex charitate diligenda, & quo modo, duo nobis fundamenta ponenda ſunt.

Primum eſt: Dupliciter aliquid poteſt ex charitate diligi. Vno modo, tanquam id, quod ſecundùm ſe diligitur; id eſt, tanquam id, cui per charitatem volumus bonum: ſicut diligimus amicum.
1. Reg. Ita *Ionathas filius Saul diligebat Dauid valdè.*
19. Altero modo tanquam id, quod per charitatem volumus illi rei, quam ſecundùm ſe diligimus: ſicut diligimus id bonum, quod volumus amico, vt ſanita-
Ibid. tem & gratiam, &c. Ita *indicauit Ionathas Dauid, dicens: Quærit Saul pater meus occidere te: quapropter obſerua te, quæſo, mane, & manebis clam, & abſconderis.*

Vt priori modo aliquid per charitatem diligatur, duo neceſſaria ſunt. Vnum, vt aliquo modo in eo reluceat bonum ipſum diuinum, quod eſt obiectum ipſum formale charitatis.

Alterum, vt etiam ſit capax ſupernaturalis beatitudinis, in cuius videlicet communicatione dilectio charitatis fundatur.

Vt autem poſteriori modo aliquid diligatur

ligatur per charitatem, ſatis erit illud habere aliquem ordinem ad id, quod priori modo per charitatem diligitur ſecundùm ſe, ita nimirum, vt ad id aliquo modo pertineat, ſpectando videlicet ad eius dignitatem, vel vtilitatẽ, &c.

Ex hoc fundamento ſeptem ſequuntur dogmata. Primum eſt, præcipuum obiectum charitatis eſſe ipſum Deum. Et ratio eſt ex illo fundamento perſpicua: ſiquidem in eo relucet diuina bonitas, non quouis modo, ſed per eſſentiam: & eſt quoque per eſſentiam in eo capacitas ad illam beatitudinem, quæ conſiſtit in fruitione ipſius, in qua etiam nos noſtro modo cum Deo communicamus. Ita Ioſue iam *perſenilis ætatis vocauit omnem Iſraelem, maioreſque natu, & Principes, & Duces, & Magiſtros, dixitque ad eos: Hoc tantùm diligentiſsimè præcauete, vt diligatis Dominum Deum veſtrum.* Ioſu. 23.

Secundum eſt, nos ipſos quoque eſſe obiectum à nobis ex charitate diligendum. Nam & in nobis relucet diuina illa bonitas, tanquam in ſui imagine, & ſumus capaces beatitudinis. Quanquam non diligimus ipſi nos amore charitatis, vt eſt amor amicitiæ, ſed vt eſt abſolutè dilectio charitatis: ſiquidem amicitia non eſt propriè, niſi ad alterum. Ita

Leuit. 19 præcipit Dominus: *Diliges amicum tuum, sicut teipsum. ego Dominus.*

Tertium est, proximos omnes esse etiam obiecta ex charitate diligenda, quia scilicet capaces sunt beatitudinis.

Gen. 25. Ita *Isaac amabat Esau, eò quòd de venationibus illius vesceretur: & Rebecca diligebat Iacob.* Quod tamen intelligi debet, si spectemus naturam hominis; non autē si spectemus culpam. Sic enim peccator, vt peccator est, odio potiùs haberi debet, etiamsi esset pater aut mater, iuxta illud:

Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.*

Quartum est, Angelos quoque bonos numerandos esse inter obiecta, quæ sunt ex charitate diligenda. Illi enim proximi nostri etiam sunt, quia multa & magna ab eis accipimus beneficia. Proximus enim est is, de quo aut bene meremur, aut qui de nobis bene meretur: sic-

Luc. 10. ut Samaritanus ille, qui *misericordia motus alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum. Quis horum trium*, inquit Christus, *videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones?* Patet etiam ratione. Nam & Angeli sunt capaces eiusdē beatitudinis, cuius nos.

Matt. 22. *Erunt, sicut Angeli Dei.* Item: *Et mensus est*

Apoc. 21 *murum*

murum eius centum quadraginta quatuor cubitorum, mensura hominis, quæ est Angeli. Denique in eis etiam relucet, tanquam in imagine diuina bonitas, & quidem perfectiùs, quàm in homine.

Quintum est, Dæmones non esse ex charitate diligendos. Nam dupliciter cōsiderari possunt. Primò, vt dæmones: quo pacto considerantur, vt sunt deprauati per peccatum. Et sic satis constat, eos nullo modo debere diligi ex charitate. Secundò, vt retinent nihilominus naturam, secundùm se bonam, vtpote à Deo conditam. Et ne ita quidem debent ex charitate diligi secundùm se, cùm non sint ampliùs capaces beatitudinis, sed ex illius spe prorsus exciderint ob naturam, & conditionem status damnationis, in quo sunt. *Et ait Dominus* Gen. 3.
Deus ad serpentem: Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ. Possunt tamen secundùm naturam diligi, vt res, quas ad Dei gloriam in iustitia relucentem esse, & conseruari velle debemus; atque adeò tanquam res quasdam amici, puta ipsius Dei. Idem dicendum est de aliis damnatis.

Sextum est, quamcunque etiam rem aliam, quæ vllo modo pertinere possit ad Deum, vel proximum, diligendam

esse ex charitate, tanquam rem quidem amici, puta Dei, vel proximi, ac proinde
1. Reg 9. etiam res irrationales. Ita cùm *periissent asinæ Cis patris Saul, dixit Cis ad Saul filium suum: Tolle tecum unum de pueris, & consurgens vade, & quære asinas.*

Item gratiam ipsam, & charitatem, quam nimirum debemus velle & nobis, & proximis.

Item corpus proprium, & proximi. Quanquam hoc quidem aliqua ratione potest, & debet secundùm se etiam ex charitate diligi: idque duplici titulo. Primò, quia inadæquatè quidem est de ratione hominis, tanquam eius pars. Secundò, quia est aliquo modo capax beatitudinis secundùm illas gloriæ dotes, quæ ex beatitudine animæ ad ipsum redundabunt.

Septimum est, non malè ab Augustino *l. 1. de doctrina Christi c. 23. & 26.* omnia, quæ ex charitate sunt diligenda, fuisse comprehensa quatuor generibus obiectorum. Primum est, quod est supra nos, scilicet Deus. Secũdum nos ipsi sumus. Tertium iuxta nos est, scilicet proximi: quo nomine etiam Angeli intelligendi sunt. Quartum infra nos est, scilicet corpus proprium: & eadem ratione aliæ res quantumuis irrationales, quæ possint,

ſint,& debeant expeti,tanquam res pertinentes ad dignitatem, vel vtilitatem amicorum.

Alterum fundamentum eſt: Quæ res debent per charitatem diligi ſecundum ſe, ſcilicet vt diligitur amicus, dupliciter debent diligi.

Primò, quatenus non licet eas contrario actu proſequi, ſcilicet odio.

Secundò, quatenus oportet etiam pro loco,& tempore actu charitatis eas proſequi.

Cùm autem dicimus, nunquam licere velle malum illi rei, quæ eſt ex charitate diligenda; & oportere aliquando ei actu velle bonum; non de quouis malo & bono id intelligendum eſt: ſed de malo & bono ſimpliciter, quod ſcilicet conſideratis omnibus cenſeri poſſit ſecundum rectæ rationis regulam eſſe bonum aut malum. Nam ſi quis aut ſibi, aut proximo velit aliquod bonũ, quod tantummodo ſecundum quid bonum ſit, vtputa ſecundùm ſenſum, is minimè verè aut ſe, aut proximum amat, ſed potiùs odit, ſi id iuxta regulam rectæ rationis ſit aut ſibi, aut proximo ſimpliciter malum. Cõtra verò, ſi quis velit aliquid ſibi, aut proximo, quod tantummodo ſecundùm quid ſit malum quoddam, bo-

num autem simpliciter secundùm rectam rationem; is non verè, ac simpliciter propterea odit seipsum, vel proxi-
Ioan. 12. mum, sed potiùs diligit; iuxta illud: *Qui odit animam suam in hoc mundo* (scilicet secundùm quid) *in vitam æternam custodit eam.* vtique eam diligendo verè.

Atque hinc est, quòd peccatores, cùm sibi ea volunt, quæ sunt bona secundùm quid, non autẽ simpliciter, minimè seipsos verè diligunt, sed potiùs oderunt,
Psal. 10. iuxta illud: *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Id quod puto non modò esse verum, si spectemus solam hominis animam, sed etiam si spectemus hominis corpus, quatenus est humanum. Etenim corpori humano, vt humanum est, non est simpliciter bonum, nisi quod bonum est secundùm rectam etiam rationem, à qua regi debẽt appetitus corporis. Item quoniam non potest censeri bonũ corporis simpliciter id, quod præparat corpus ad sempiternum illud incendium, quo puniẽtur peccata, quibus quis vsurpat bona sensibilia contra regulam rectæ rationis, si diuinâ quidem gratiâ destitutus ex hac vita discedat.

Ex hoc fundamento sequuntur quædam, quæ pertinent ad modum diligendi ea, quæ sunt ex charitate diligenda.

Primò

Primò enim intelligi poteſt ex ea doctrina, quatenus liceat ob vtilitatẽ ſpiritualem inferre detrimentum aliquod proprio corpori ſine peccato contra charitatem. Pro regula enim ad hoc diiudicandũ ſtatui debet illud detrimentum licitè poſſe ob eum finem corpori inferri, quod omnibus conſideratis iudicetur non eſſe malum ſimpliciter ipſi homini, etiam ſecundùm corpus, ſed potiùs bonum ſimpliciter. Si quod autem detrimentum ſit eiuſmodi, quod iudicio ſapientis conſideratis omnibus cenſeatur eſſe ſimpliciter malum homini, non licebit illud corpori inferre vllius ſpiritualis vtilitatis prætextu.

Quocirca minimè licebit ob vtilitatem ſpiritualem orbare ſeipſum aliquo membro, & multo minùs occidere.

Probatur. nam iudicio ſapientum tale detrimentum corporis eſt ſimpliciter malum homini, & contra præceptum de conſeruanda vita, & incolumitate propria, quod non poteſt violari charitate ſalua.

Deinde idipſum patet ex communi ſententia Patrum, qui propterea aſſerunt non propriè, ſed metaphoricè eſſe intelligendum illud: *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & proiice abs te.* Et illud: Matt. 18.

Sunt

Matt. 19. *Sunt Eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum cælorum. Qui potest capere, capiat.*

Atque eadem ratione esset etiam illicitum aliis modis ita corpus affligere, vt ex ea re iudicio eorum, qui de hoc iudicare possunt, secutura certa mors videretur, consideratis omnibus circumstantiis.

Dico autem, certò: nam si ita incertum esset, vt non debuerit aliquis abstinendo à tali genere exercitationis præcauere mortis euentum, non esset talis iudicandus peccasse contra charitatem, etiamsi fortè contingat mortem sequi ex tali genere exercitationis. Per quem modum possunt, & debent à peccato excusari multi pij homines, & religiosi, quos interdum mortem immaturam oppetere accidit ob corporis macerationem.

Si autem detrimentum non admodum graue sit, & conducat ad subiugandum rationi corpus, non est vllum dubium, quin salua charitate possit tale detrimentum corpori inferri, atque etiam iure optimo inferatur.

1. Cor. 9. Probatur primò ex Scriptura: *Castigo*
Colos. 3. *corpus meum, & in seruitutem redigo.* Et: *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram.*

Secundò probatur exemplo Sanctorum,

rum, quibus omnibus in more fuit pium hoc, & ſalutare genus exercitationis.

Tertiò probatur ex inſtituto Eccleſiæ, quæ ob eiuſmodi ſpiritualem finem rectiſſimè ſancit leges ieiuniorum, quibus nonnullum detrimentum corporibus inferatur, vt ſpiritus illud meliùs poſſit regere.

Vltimò probatur manifeſta ratione. Nam licet inferre corpori detrimētum aliquod minoris momenti propter ſalutem, & vtilitatem ipſius corporis maiorem, vt videmus ex præſcripto medicorum fieri. Igitur etiam id licebit ob ſpiritualem vtilitatem, quæ longè anteferri debet vtilitati corporis.

Ex doctrina ſecundi fundamenti poteſt intelligi ſecūdò, quomodo Iudices, & alij iuſtitiæ adminiſtri non peccent contra charitatem erga proximū, cùm à malefactoribus exigunt meritas pœnas, atque adeò etiam illos morte mulctant, quando oportet. Nam malum illud pœnæ, quod ea ratione inferunt malefactoribus, ſimpliciter quidē bonum quoddam eſt, nimirum iuſtitiæ: & ſub ea ratione cadit in iudicium, & aliorum iuſtitiæ miniſtrorum voluntatem: tum quia ita conſeruatur commune Reip. bonum:

bonum: tum etiam quia per illud ipsi malefactores corriguntur, & ad meliorem mentem reuocantur, vel iis sanè adimitur facultas præterea delinquēdi, quod ipsum non exiguum bonum illo-
Iosu 7. rum est. Ita *tulit Iosue Achan filium Zare, argentumque, & pallium, & auream regulam, filios quoque, & filias eius, boues, & asinos, & oues, ipsumque tabernaculum, & cunctam supellectilem: duxeruntque eos ad vallem Achor: vbi dixit Iosue: Quia turbasti nos, exturbet te Dominus in die hac. Lapidauitque eum omnis Israel: & cuncta, quæ illius erant, igne consumpta sunt.*

Morale.

Ioan. 15. *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.*

DE charitate proximi tria nobis docenda sunt.

Primum: Quare proximum diligere debeamus?

Ob tres nimirum rationes. Prima est, quia omnes fratres & sorores sumus ex
Gen. 13. vno patre matre, Adam & Eua: *Ne, quæso, sit iurgium inter me & te, & inter pastores meos, & pastores tuos: fratres enim sumus.* Eundem etiam spirituale habemus patrē Deum;
Ephes. 4. & matrem, Ecclesiam: *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma.*

Secunda

Secunda ratio eſt, quia *omne animal diligit ſibi ſimile.* Quod ſi vrſus, leo, lupus, ſerpens, ferocia alioqui animantia, ſui ſimilibus non noceant: quanto magis decet hominem, vt proximum ſuum diligat? Eccli. 13.

Tertia ratio eſt, quia eſt præceptum Domini: *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.* Ioan. 15. Aut enim proximus tuus bonus eſt, aut malus. Si bonus; ergo diligendus eſt, cùm ſit Chriſto proximus. *Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.* Matt. 12. Si malus eſt; ergo plus mereris eum diligendo, quando nocet, quàm quando fauet: *Diligite inimicos veſtros: benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos, vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cælis eſt.* Matth. 5.

Secundum eſt: Quomodo proximum diligemus? Nimirum tanquam inuicem membra.

Prima membrorũ conditio eſt, quòd dignius non contemnat indignius: ita etiam decet nos. *Nunquid non Deus vnus creauit nos? Quare ergo deſpicit vnuſquiſque noſtrum fratrem ſuum?* Malac. 2. Et: *Formauit Deus hominem de limo terræ.* Gen. 2. Cùm ergo omnes æquè boni ſint, vnus alterum non debet contemnere: nam qui in oculis hominum apparent minimi, ſæpe in oculis Dei

maximi

bonum: tum etiam quia per illud ipsi malefactores corriguntur, & ad meliorem mentem reuocantur, vel iis sanè adimitur facultas prætereà delinquẽdi, quod ipsum non exiguum bonum illo-
Iosu 7. rum est. Ita *tulit Iosue Achan filium Zare, argentumque, & pallium, & auream regulam, filios quoque, & filias eius, boues, & asinos, & oues, ipsumque tabernaculum, & cunctam supellectilem: duxeruntque eos ad vallem Achor: vbi dixit Iosue: Quia turbasti nos, exturbet te Dominus in die hac. Lapidauitque eum omnis Israel: & cuncta, quæ illius erant, igne consumpta sunt.*

Morale.

Ioan. 15. *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.*

DE charitate proximi tria nobis docenda sunt.

Primum: Quare proximum diligere debeamus?

Ob tres nimirum rationes. Prima est, quia omnes fratres & sorores sumu[s] ex
Gen. 13. vno patre matre, Adam & Eua: *Ne, quæso, sit iurgium inter me & te, & inter pastores meos, & pastores tuos: fratres enim sumus.* Eundem etiam spiritualẽ habemus patrẽ Deum;
Ephes. 4. & matrem, Ecclesiam: *Vnus Dominus vna fides, vnum baptisma.*

Secunda

Secunda ratio eſt, quia *omne animal diligit ſibi ſimile.* Quod ſi vrſus, leo, lupus, ſerpens, ferocia alioqui animantia, ſui ſimilibus non noceant: quanto magis decet hominem, vt proximum ſuum diligat? Eccli. 13.

Tertia ratio eſt, quia eſt præceptum Domini: *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.* Ioan. 15. Aut enim proximus tuus bonus eſt, aut malus. Si bonus; ergo diligendus eſt, cùm ſit Chriſto proximus. *Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.* Matt. 12. Si malus eſt; ergo plus mereris eum diligendo, quando nocet, quàm quando fauet: *Diligite inimicos veſtros: benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos, vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cælis eſt.* Matth. 5.

Secundum eſt: Quomodo proximum diligemus? Nimirum tanquam inuicem membra.

Prima membrorũ conditio eſt, quòd dignius non contemnat indignius: ita etiam decet nos. *Nunquid non Deus vnus creauit nos? Quare ergo deſpicit vnuſquiſque noſtrum fratrem ſuum?* Malac. 2. Et: *Formauit Deus hominem de limo terræ.* Gen. 2. Cùm ergo omnes æquè boni ſint, vnus alterum non debet contemnere: nam qui in oculis hominum apparent minimi, ſæpe in oculis Dei maximi

1. Cor. 12. maximi sunt. *Quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem esse abundantiorem circumdamus.*

Secunda membrorum conditio est, quòd vnum membrum alteri non inuideat, sed cõgaudet, & compatitur. *Si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: siue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra.* Ita vnus alteri inuidere non debet. *Qui non diligit fratrem suum, manet in morte.* Nam nunquam in terra tantam quis accepit ab aliquo lætitiam, quantam in cælo ab vnoquoque habebit. *Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum nostrum Iesum Christum estis in aduentu eius? Vos enim estis gloria nostra, & gaudium.*

Ibid.

1. Ioan. 3

1. Thes. 2

Tertia membrorũ conditio est, quòd vnum seruit alteri. Sic & homines decet. *Tobias quotidie pergebat per omnem cognationem suam, & consolabatur eos, diuidebatque vnicuique, prout poterat, de facultatibus suis: esurientes alebat, nudisq; vestimenta præbebat, & mortuis, atque occisis sepulturam solicitus exhibebat.* Ita in arboribus videmus radices humorem suum communicare ramis: & astra virtutem suam rebus inferioribus.

Tob. 1.

Quarta conditio est, quòd quando vnum membrum ab alio læditur, non se

vindicat

vindicat de eo. Ita decet homines. *Nulli* Rom. 12
malum pro malo reddentes. Nam Deus dicit:
Mea est vltio, & ego retribuam. Ita cùm pri- Deut. 32.
mus Machabæorum multa pateretur,
ceteri vnà cum matre inuicem se hortabantur 2. Mach.
mori fortiter, dicentes: Dominus Deus aspiciet ve- 7.
ritatem, & consolabitur in nobis.

Quinta conditio est, quòd vnū membrum sibi adscribit, quod alteri fit, siue bonum, siue malum. Ita & inter homines decet. Nam Dominus Saulo dixit, qui persequebatur eius discipulos: *Saule,* Act 9. *Saule, quid me persequeris?* Ideo & dicet in iudicio: *Quamdiu fecistis vni de his fratribus* Matt. 25. *meis minimis, mihi fecistis.*

Tertium est: Quæ signa sint dilectionis proximi?

Primum signum dilectionis est, si ex animo bonum proximo optemus, gaudentes in felicitate eius. Ita *audierunt vici-* Luc. 1. *ni, & cognati Elisabeth, quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei.*

Secundum signum est, si ex animo condoleamus proximorum aduersitatibus. Ita *surrexit Ionathas à mensa in ira furo-* 1. Reg. *ris, & non comedit in die calendarum secunda pa-* 20. *nem. Contristatus est enim super Dauid, eò quòd confudisset eum pater suus.* De his duobus dicit Apostolus, quòd oporteat *gaudere* Rom. 12

Digitized by Google

cum gaudentibus, & flere cum flentibus.

Tertium signum est, si naturalem Dei legem erga proximum obseruemus,
Tob. 4. quæ in duobus consistit. Vnum est: *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide, ne tu aliquando alteri*
Matth. 7. *facias.* Alterum est: *Omnia, quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis.*

IN FESTO OMNIVM SANCTORVM.

Exordium:

1. Reg. 4. *Misit populus in Silo, & tulerunt inde arcam fœderis Domini exercituum sedentis super Cherubim. Cumque venisset arca fœderis Domini in castra, vociferatus est omnis Israel clamore grandi, & personuit terra.*

Moraliter:

Arca fœderis designat Christum Dominũ, qui fœdus composuit salutis nostræ inter Deum Patrem, & humanum genus: hic, cùm ascendisset in cælum cum Sanctis suis, & electis, omnis Angelorum & electorum cœtus vociferatus

est

est præ gaudio, & personuit terra cælestis clamore laudantium, iuxta illud: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante thronum, & in conspectu Agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum: & clamabant voce magna dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & Agno.* Apoc. 7.

Euangelium:

Videns Iesus turbas ascendit in montem: & cùm sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius. Matth. 5.

Thema:

Ipsorum est regnum cælorum. Ibid.

Veterum, & recentium hæreticorum opinio fuit, animas omnes, quantumuis sanctorum hominum, vsque ad vltimi iudicij diem seruari in quibusdam abditis receptaculis, vbi nec Deum videant, nec beatæ dici possint, nisi in spe.

Sed refutatur ille error ex Scriptura.

Primum testimonium est: *Facile est coram Deo in die obitus retribuere vnicuique secundùm vias suas.* Eccli. 11.

Dices: Non ait Scriptura, in die obitus reddi vnicuique secundùm opera, sed posse reddi, si Deus vellet. At certè illud, *facile est*, nō significat, posset Deus, si vellet: sed reddit Deus, & facilè reddit vnicuique secundùm opera sua in

die obitus: alioqui enim, si Deus posset reddere secundùm opera,& non redderet, frustra nos hoc argumento hortaretur Sapiens ad benefaciendum. Præterea, cùm dicat ibidē Spiritus sanctus: *In fine hominis denudatio operum eius*, indicat etiam in fine hominis reddi vnicuique secundùm opera: nam ad hoc fit iudicium illud, & denudatio operum, vt sequatur remuneratio.

Dices rursum: Quando hæc scripta sunt, non dabatur remuneratio essentialis in die obitus, sed tantùm requies in sinu Abrahæ. Igitur per ista verba solùm deducitur reddi in die obitus iustis certam spem beatitudinis futuræ, & requiem in sinu Abrahæ. Resp. Ecclesiasticum, cùm dicit, *in die obitus* reddi remunerationem, intellexisse, reddi remunerationem, quæ pro temporum diuersitate haberi poterat. Et quia tunc cælum nondum erat reseratum, nunc autem à Christo reseratum est, ex illius sententia sequitur, in die obitus, & tunc requiem dari solitam iustis,& nunc veram felicitatem.

Num.35 Hinc nimirum Dominus iubet, vt post mortem Sacerdotis magni omnes exules reuertantur in patriā: hæc enim est figura rerum nostrarum. Nam nos exules

exules sumus: patria, paradisus: Sacerdos magnus, Christus, post cuius mortem iam patet aditus Adæ filiis in cælum.

Secundũ testimonium est, & quidem longè clarius: *Scimus, quia si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, æternam in cælis.* Aliqui per *terrestrẽ domum* intelligunt mundum hunc sensibilem, quasi dicat Apostolus: Si mundus hic peribit, non deerit nobis melior post resurrectionẽ. Sed hoc falsum est: nam communis Græcorum & Latinorũ opinio pro domo hac terrestri accipit corpus hoc mortale, seu vitam præsentem corporalem. Et ratio est, quia in fine capitis superioris dixit Apostolus: *Si exterior homo noster corrumpitur, interior renouatur de die in diem.* Itaque quod hîc dicit terrestrem domum, ibi dixit hominem exteriorem. Præterea infrà clariùs dicit: *Dum sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino.* Vbi apertè vocat corpus, quod anteà vocauerat exteriorem hominem, domum terrestrem, habitaculum, &c.

2. Cor. 5.

2. Cor. 4.

2 Cor. 5.

Per *domum æternam* & cælestem, quam opponit Apostolus domui terrestri, intelligunt Patres, vel corpus immortale, vt Chrysostomus, Theophyla-

phylactus, Theodoretus, Ambrosius vet vitam æternam, id est, visionem Dei. E sine dubio verior est posterior expositio, quæ est Photij apud Oecumenium, Anselmi, & D. Thomæ in hunc locum: nam inprimis Apostolus ait de præsenti: *Si terrestris domus nostra dissoluitur, æternam habemus in cælis.* Debuisset enim dicere, si de corpore glorioso loqueretur; Habebimus; non, Habemus: nam corpus immortale non habemus nunc in cælo.

Ibid.

Deinde; Apostolus, cùm dicit: Si hæc domus dissoluitur, habemus aliam, vult dicere; Non est, quòd timeamus nobis domum defuturam vnquã: nam si hinc pellimur, habemus aliam. At si per domum cæleste intelligit corpus immortale, non est verum, nobis vnquam defuturam domũ: deerit enim à die mortis, vsque ad diem resurrectionis.

Tertiò: Idipsum vocat hunc domum cæleste, quod paulò antè in fine capitis 4. vocauerat, *æternum gloriæ pondus*: nam postquam dixerat: *Id enim quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*; subiungit explicans: *Si enim terrestris domus, &c.* At per illud: *Æternum gloriæ pondus*, omnes intelligunt ipsam essentialem beatitudinem.

2. Cor. 4.

Quartò:

Quartò: Nisi Apostolus hic per domum cælestem intelligeret beatitudinem, non bene concluderet paulò inferiùs: *Audentes igitur, & scientes, quia dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino, audemus, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominũ.* 2. Cor. 5. Nec enim sequitur, si hoc mortale corpus corrumpitur, habebimus aliud immortale post resurrectionem: ergo bonũ est mori, & peregrinari à corpore. Imò contrarium sequitur, nimirũ non esse bonum mori vsque ad resurrectionis diem, quia etsi melius sit corpus immortale, quàm mortale; tamen melius est corpus mortale, quàm nullum. At, si per domum cælestem intelligamus beatitudinem, Apostoli argumentatio optima est, nimirum ista: Si vita hæc mortalis perit, habemus statim aliam longè meliorem in cælo: ergo bonum est citò mori in mundo, vt citò viuamus in cælo.

Porrò Beatitudo optimè domus dicitur, quia est tam magna, vt eam anima non capiat, sed potiùs anima in illam intret, quàm illa in animam. Hinc dicitur; *Maior est Deus corde nostro.* 1. Ioan. 3 Et illud: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*, omnes intelligunt de variis gradibus beatitudinis. Ioan. 14. De hac domo dicitur: *In-* Matt. 25.

 tra

tra in gaudium Domini tui.

Et hanc domum eleganter Apostolus opponit vitę corporali, siue ipsi corpori, propter tria: primò, enim corpus ipsum vocat domum terrestrem, quia ex terra constat: vitã beatã vocat domum cæleſtẽ, quia in cælo inuenitur: ibi enim est sedes Dei, & ibi semper videtur, tanquam Rex in decore suo. Secundò, corpus dicit esse domum, quæ dissoluitur, quia quotidie deficit magis ac magis: illam autem vocat æternam, quia semper in eodem statu permanet. Tertiò, illam vocat non manufactam, insinuans istam esse manu factam, quia nimirum corpus habemus operâ hominum, qui illud generarũt, & cibo ac potu alunt, & sustentant: at illa domus cælestis ab hominum opere non pendet, sed à solo Deo manifestante seipsum nobis.

Tertium testimonium est paulò in-
2.Cor.5. frà: *Qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati, eò quòd nolumus expoliari, sed superuestiri. Audentes igitur, & scientes, quia, dum sumus in corpore, peregrinamur à Deo: per fidem enim ambulamus, & non per speciẽ: audemus, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum.* Hìc Apostolus docet, duo desideria esse in nobis: vnum naturæ ad videndum corporaliter; alte-

rum

rum gratiæ ad videndum Deum: & quidem homines pios velle quidẽ vtrumque, si posset implere simul; sed cùm non possint, anteponere desideriũ gratiæ desiderio naturæ,& proinde appetere mortẽ corporis, vt possint cum Deo viuere: homines impios è contrario omnia deferre ad vitam corporis,& desiderium naturæ. Ex quibus deducitur euidens argumentum pro sententia nostra: nam, si nõ possemus videre Deum, nisi post resurrectionem, non diceret Paulus, se optare peregrinari à corpore, vt non peregrinetur à Domino: his enim verbis ostendit esse aliquem statum animæ, in qua peregrinetur à corpore,& non à Domino. At talis status non esset vnquam,nisi ante resurrectionem videretur Deus: nam in hac vita peregrinamur à Domino, sed nõ à corpore: in alia vita post resurrectionem nõ peregrinabimur nec à Domino, nec à corpore: ante resurrectionem autem oporteret necessariò peregrinari à Domino, & à corpore: quare, vt detur status,in quo peregrinemur à corpore,sed non à Domino,de quo Paulus loquitur, necesse est, vt ante resurrectionem spiritus iustorum corpore soluti Deum videant.

Neque etiam dici poteſt, Paulum loqui de quadam beatitudine imperfecta, quæ conſiſtit in viſione humanitatis Chriſti, & quòd peregrinari à Domino, ſit peregrinari à præſentia humanitatis Chriſti. Siquidem S. Apoſtolus ait: *Dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem.* Ex quo ſequitur è contrario, vt non peregrinari à Domino, ſit non ambulare per fidem, ſed facie ad faciem videre ſpeciem diuinæ pulchritudinis. Idem enim Apoſtolus, quod hîc dicit: *Ambulamus per*
1. Cor. 13. *fidem, non per ſpeciem*, dicit alibi: *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* At qui ſolam videt Chriſti humanitatem, adhuc habet fidem, & peregrinus eſt, & viator, vt omnes fatentur.

Luc. 23. Quartum teſtimonium eſt: *Hodie mecum eris in paradiſo.*

Nota, *paradiſum* dupliciter accipi in Scriptura: Vno modo pro horto quodam deliciarũ corporalium, in quo primus homo conſtitutus fuit, antequam peccaret, de quo loquitur Moyſes *Gen. 2. & 3.* Altero modo pro gloria beatorum,
2. Cor. 12. cuius prior paradiſus figura fuit, de quo Paulus, cùm ſe dicit raptũ fuiſſe in paradiſum: explicãs enim quid ſit paradiſus, dicit ſe raptum ſupra tertium cælum.

Euthy-

Euthymius in hunc locum existimat (nimirum vt confirmet errorem suum) hic Dominũ loqui de paradiso terrestri; & ideò etiam scribit, Dominum latroni non respondisse; Hodie mecum eris in regno meo, sed *In paradiso*, vt ostenderet aliud esse regnũ, aliud Paradisũ. Et quia poterat aliquis obiicere, Christũ dixisse, *Mecum eris in paradiso*; & tamen Christus non est in paradiso terrestri, sed cælesti: respondet Euthymius, Christum esse vbique, vt Deus est, & proinde esse cum latrone, aliisque Sanctis in paradiso terrestri, & simul cum Angelis in paradiso cælesti.

Hæc expositio sine dubio debet reiici. Primò, quia paradisus terrestris est locus deliciarum corporibus, non animabus: quid enim prodest animabus abundare pomis, herbis, aquis, ceterisque rebus terreni illius Paradisi? Christus autem promittens latroni paradisum, promisit hortum deliciarum ipsi conuenientem, id est, spiritualem.

Secundò, voces Testamenti noui, cùm ambiguæ sunt, potiùs accipi debent, vt sumuntur in aliis locis Testamenti noui, quàm vt sumuntur in Testamento veteri: sed vox ista *Paradisus* in Testamento nouo accipitur pro paradiso spirituali. Ibid.

rituali. Igitur & hoc loco accipi debet pro paradiso spirituali.

Tertiò, Christus promisit latroni
Luc. 23. consortium suum, cùm ait: *Mecum eris in paradiso*. Christus autem non terrestrem, sed cælestem paradisum introiuit. Nec valet responsio Euthymij: nam eo modo, quo Christus est vbique, erat cum latrone etiam in hoc mundo, cùm adhuc latrocinia exerceret, & nihil ei Christus noui promisisset.

Adde quartò, non videri improbabile quibusdam, paradisum terre-
Eccli. 44. strem periisse aquis diluuij. Neque obstat, quòd dicatur Enoch translatus in paradisum: nam Enoch translatus fuit ante diluuium, ac proinde potuit transferri in paradisum; quo postea destructo, aliò à Deo translatus fuit.

Porro Theophylactus nomine aliorum refert, & refellit duas alias expositiones.

Prior quorundam est, qui dicebant, latroni promissum fuisse paradisum cælestem, sed dandum post resurrectionem: dixisse autem Christum; *hodie eris*, propter certitudinem rei futuræ: quomodo Prophetæ sæpe exprimunt

primunt res futuras per tempus præsens, aut præteritum; vt cùm Dominus dicit: *Qui non credit, iam iudicatus est.* Ioan. 3.

Sed refutatur primò, quia non oportet recurrere ad figuras, & relinquere propriam verborum significationem, nisi quando alioqui absurditas aliqua sequeretur.

Secundò, quia ista non sunt verba Prophetica, vt oportuerit ea velari obscuritate; sed continent simplicem promissionem, & proinde simpliciter intelligenda sunt. Neque enim eo loco: *Qui non crediderit*, &c. accipitur præteritum pro futuro: non enim vult Dominus dicere; certò iudicabitur; sed verè iam iudicatus est, & condemnatus à seipso, cùm nolit eam fidem amplecti, per quam saluus esse posset.

Posterior est, illud, *hodie*, coniungendum cum, *dico*, non cum, *eris*, hoc modo: *Amen dico tibi hodie, mecum eris in Paradiso*. Luc. 23. Sed illa est ridicula. Quorsum enim diceret Dominus: Amen dico tibi hodie? Nonne videbat latro Dominum loqui illa die? Deinde, quis non videat, per illud aduerbium, *hodie*,

Digitized by Google

hodie, responderi ad illud aduerbium, *quando*, quod latro posuerat. Latro dixerat: *Memento mei, quando veneris in regnū tuum.* Dominus respondit; Hodie erit illud quando, proinde hodie mecum eris in regno, & paradiso meo. Vera ergo expositio est Theophylacti, Ambrosij, Bedæ, & aliorum, qui per Paradisum intelligunt regnum cælorum. Ne fortè enim latro per regnum intelligeret aliquid humanum, Christus declarauit regnum suum esse paradisum, id est, summam & perpetuam felicitatem.

Ephes. 4. Quintum testimonium est: *Christus ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem.* Quo in loco per vocem, *altum*, non potest intelligi, nisi summum cælum. Etsi enim quidam intelligant crucē, tamen Paulus se exponit paulò infrà, cùm ait: *Qui descendit, ipse est, qui ascendit super omnes cælos.*

Nomine autem captiuitatis, quā ipse duxit secum in cælum, quid potest intelligi, nisi multitudo sanctarum animarum, quas è limbo ad cælum euexit, vt Ambrosius exponit?

Dices: Non sequitur: Sancti sunt in cælo: ergo vident Deum.

Resp. rectè sequi: nam per cælum intelligimus sedem, & quasi aulam regiam

Dei,

Digitized by Google

Dei, vbi Deus ſemper videtur. Dicitur enim: *Cælum mihi ſedes eſt.* Et: *Nolite iurare per cælum, quia thronus eſt Dei.* Et: *Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem Patris mei.* Et in oratione Dominica ſemper dicimus: *Pater noſter, qui es in cælis.* Tametſi enim Deus vbique ſit, tamen propriè in cælo eſſe dicitur, quia per ſui manifeſtationem illic ſe præſentem oſtendit, & cernitur ab iis, qui digni ſunt illâ cæleſti ſede. Vnde eleganter Cyrillus *catecheſi 9.* dicit, cælum eſſe velum Deitatis, quo nobis videlicet, qui ſumus extra velum, abſconditur Deus. Imò D. Paulus comparat ingreſſum Chriſti in Sanctuarium cæleſte cum ingreſſu Sacerdotis intra velum in ſancta Sanctorum, indicans idem eſſe cælum reſpectu diuinæ eſſentiæ, quod erat velum reſpectu arcæ Teſtamenti. Et certè animabus Sanctorum, ſi non videant Deum, parum videtur referre, vtrum in cælo materiali, vel in terra, vel in alio loco ſint.

Isa. 66. Matth 5. Matt 18. Matth. 6. Heb. 9.

Sextum teſtimonium eſt: *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* At, ſi animæ ſeruantur in aliquo loco extra cælum, fruſtra hoc deſiderabat Paulus, nam Chriſtus in cælo eſt. Philip. 1.

Septimum eſt: *Hoc ſignificante Spiritu ſancto, nondum propalatam eſſe Sanctorum viam,* Heb. 9.

adhuc

adhuc priore tabernaculo habente statum. Quod exponunt Primasius, Anselmus, Theophylactus, Oecumenius in hunc modum, quòd in sancta Sanctorũ non possent ingredi Sacerdotes, nec populus, significabat toto tempore Testamenti veteris non fuisse apertam viam ad cælum; & ideò etiam iustissimos quosque ad inferos descendisse, quia non poterant simul figura, & figuratum vigere. At posteaquam Christus perrupit velum tabernaculi, & figuræ cessauerunt, iam propalata est viaSanctorum ad Sanctuarium cæleste.

Heb. 12. Octauum est: *Non accessistis ad montem Sion, &c. sed ad Sion montem, & Ierusalem cælestem, & multorũ millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cælis, & spiritus iustorum perfectorum.* Hîc (vt rectè Anselmus exponit) describitur Ecclesia triumphans, & in ea dicuntur esse, tanquam ciues, primùm Angeli, deinde animæ primitiuorum, id est, eorum, qui primi crediderant, & iam mortui fuerant, vt Iacobi Apostoli, Stephani, & aliorum, qui dicuntur conscripti in cælis, qui sunt adscripti, & cooptati cum Angelis in ordinem ciuium cælestium; quomodo Romæ dicebantur Senatores, Patres conscripti. Nisi fortè

magis

Digitized by Google

magis placeat per Ecclesiam primitiuorum in cælis conscriptorum intelligi animas Patriarcharum & Prophetarum cum Christo regnantium: per spiritus autem perfectorum animas Apostolorum, & Martyrum. Semper tamen eadem est sententia, iam nunc spiritus sanctorum hominũ beatos esse ea beatitudine, qua sancti Angeli soli antea fruebantur.

Nonum est: *Ecce video cælos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei.* Cur hoc vidit Stephanus, nisi vt intelligeret, sibi cælum patere, & se statim à Domino recipiendum in illam gloriam? Id enim ille intelligens, exclamauit: *Domine Iesu, suscipe spiritum meum.* Act. 7.

Decimum est: vbi dantur Martyribus singulæ stolæ albæ, quæ gloriam animæ significant: nam alteram stolam, id est, gloriam corporis, post resurrectionem habebunt; vt exponunt Gregorius *in 4. Psal. pœnitent.* Beda, Haymo, & Anselmus in hunc locum: nec non B. Augustinus *serm. 4. de festo Innocent.* Apoc. 6.

Vndecimum est, vbi de istis dicitur: *Hi, qui amicti sunt stolis albis, sunt ante thronum Dei, & seruiunt die ac nocte in templo eius.* Ex quo habemus, illos esse verè in cælo, & videre Deum. Quid enim significat, esse Apoc. 7.

ante thronum Dei, nisi habere Deum in conspectu, eumque cernere.

Morale.

Matth. 5. *Videns Iesus turbas ascendit in montem.*

TVrbas Deus vidit diuersis temporibus oculis suæ bonitatis.

Prima fuit turba Angelorum, quam vidit in initio temporis, eos in beatitu-
Gen 1. dine confirmando. *Vidit Deus lucem, quòd esset bona*, id est, Angelicam naturam, dicit Augustinus.

Secunda Patriarcharum, quam vidit
Ose. 9. eos fide illustrando. *In cacumine eius vidit patres eorum*, id est, in sublimitate sanctitatis.

Tertia turba Prophetarum, quam vi-
Ierem. 1. dit prophetali radio illuminando. *Priusquam te formarem in vtero, noui te.*

Quarta turba est Apostolorum, quam vidit eos ad officium prædicationis mit-
Matth. 4. tendo. *Vidit duos fratres, & ait illis: Venite post me, faciam vos piscatores hominum.*

Quinta turba est Martyrum, quam
Psal. 33. vidit in passione eos consolando. *Oculi Domini super iustos.*

Sexta turba est Confessorum, quam vidit eos luce scientiæ affulgendo.

Oculi

Digitized by Google

Oculi Domini super timentes eum. Psal. 32.

Septima turba est Virginum, quam vidit inseparabiliter sibi copulando. Sunt item, *qui cum mulieribus non sunt coinquinati. Hi sequuntur agnum, quocunque ierit.* Apoc. 14 Istis septem turbis septem conueniunt beatitudines.

Prima conuenit Angelis, qui pauperes extiterant superbia, qua diues, & plenus fuit lucifer cum sibi adhærentibus.

Secunda Patriarchis, qui mites fuerunt; quia tot minis lacessiti mansuetudinem seruabant; & ideò data est illis terra promissionis.

Tertia Prophetis, qui propter mala, quæ videbant, fletibus vacabant.

Quarta Apostolis, qui tantam habuerunt famem iustitiæ, quòd eam per totum mundum, vt satiari possent, quærebant.

Quinta Martyribus, qui ita fuerunt pleni misericordia, vt eam suis persecutoribus impenderent.

Sexta Virginibus, qui munditiam corpore, & mente seruabant.

Septima Confessoribus, qui, vt pacificè possent viuere, ab omni se segregabant inquietudine.

Octaua conuenit omnibus Sanctis, qui multam in hac vita persecutionem

passi sunt propter iustitiam, ideò nunc
Matth. 5. *ipsorum est regnum cælorum*. Quòd si illi iam in cælis gaudeant, nobis etiam gaudendum est in terris. Sicut enim *si quid patitur*
2. Cor. 12. *vnum membrum, compatiuntur omnia membra: ita si gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra*.

Gaudeamus igitur in Domino, & ala-
Psal. 118. criter *viam mandatorum* Domini curramus, vt cum illis in æterna vita regnemus. Amen.

IN COMMEMORATIONE OMNIVM FIDELIVM DEFVNCTORM.

Exordium:

OLim Thraciæ natio meritò sibi sapientiæ nomen vindicauit: quæ natales hominum flebiliter; exequias cum hilaritate celebrauit, sine vllis doctorum præceptis; verùm conditionis

nostræ

nostræ habitum præuidit. Quare si naturalis omnium animalium dulcedo vitæ remoueatur, quæ multa facere, & pati turpiter cogit, aliquanto felicior eius finis reperietur.

Nobis etiam in morte amicorum gaudendum esset, eò quòd miseriis huius vitæ erepti sint, nisi iustis post vitam Purgatorij detinerentur pœnis, pro quibus proinde nobis satisfaciendum est.

Euangelium:

Amen amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei: & qui audierint, viuent. Ioan. 5.

Thema:

Omnes, qui in monumentis sunt. Ibid.

Quorum corpora sunt in monumentis, eorũ animæ frequenter sunt in Purgatorio: ideò nunc Purgatorium esse, ex veteri tantùm Testamẽto probabimus. Nam licet fortasse hoc Purgatorij nomen in Scriptura sacra non inueniatur, id parum refert, si ostenderimus rem illo nomine intentam inueniri. Sæpe enim Ecclesia, vel propter hæreses insurgentes, vel vt doctrina fidei clariùs, & breuiùs declaretur, noua, & simplicia nomina imponit, quibus fidei mysteria

breuiter complectatur: vt constat ex materia de Trinitate, Incarnatione, Eucharistia, & aliis. Res ergo hoc loco intenta est, sæpe contingere, vt iustorum animæ, quando à corporibus separantur, non plenè & perfectè pro peccatis suis satisfecerint: ideoque post separationem à corporibus interdum aliquas pœnas luant, donec plenè satisfaciant, satísue patiantur, ita vt ab omni culpa, omniq́ue reatu pœnæ immunes fiant. Hanc ergo animarum castigationem temporariam Purgationem vocamus: & quia necesse est illam in aliquo loco fieri, locum illum appellamus Purgatorium.

Itaque ad probandum Purgatorium celebre est illud testimonium: *Sancta, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* (2. Machab. 12.)

Ex quibus verbis apertè colligitur, aliquos defunctos posse à peccatis solui: quod verum esse non potest de his, qui in peccato mortali decedunt. Ergo est necesse de iustis intelligi. Quod satis apertè ibi explicatur: *Et quia considerabat, quòd hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam.* (Ibid.) Et de iisdem subditur, optimum & religiosum consilium esse pro eis *exorare, vt à peccatis soluantur.*

soluantur. Supponuntur ergo eiusmodi defuncti adhuc ligari reatibus peccatorum. Nisi enim ligati essent, solui non possent.

Rursus necesse est vinculum, seu reatum illum temporalem esse. Nam si esset æternus, non possent animæ ab illo solui. Datur ergo post hanc vitam in animabus sanctis reatus pœnæ temporalis. Ergo puniuntur, donec integrè soluant.

Neque enim putandum est semper solui per suffragia, vel orationes viuentium. Nam hoc subsidium est quasi extrinsecum, & accidentarium respectu proprij delicti, quod per se loquendo, & iuxta leges vindicatiuæ iustitiæ soluendum est per propriam pœnam eius, qui deliquit. Sic ergo ex verbis citatis manifeste colligitur Purgatorium, & status quidam medius animarum, quæ nondum beatæ sunt, quia non sunt plenè à peccatis solutæ, & nihil coinquinatum intrare potest ciuitatem sanctam Ierusalem: neque damnatæ, quia adhuc possunt à peccatis solui.

Dices ex illo loco ad summum haberi, Iudam, & Machabæos ita de mortuis cogitasse. Non ergo inde satis colligitur in re ita esse. Nam potuerunt illi ho-

mines pia ignorantia decipi: præsertim, quia illi defuncti, pro quibus orabant, videntur mortui in peccato mortali: quale videtur fuisse donaria idolorum contra legem accipere, pro quo scelere
Ibid. iusto Dei iudicio mortui fuerant. *Inuenerunt autem sub tunicis interfectorum de donariis idolorum, quæ apud Iamniam fuerunt, à quibus lex prohibet Iudæos: omnibus ergo manifestum factum est, ob hanc causam eos corruisse.*

Respondetur non videri dubiū, quin peccatum illud ex genere suo graue fuerit: nam erat contra præceptum gra-
Deut. 7. uissimis verbis latum: *Sculptilia eorum igne combures: non concupisces argentum, & aurum, de quibus facta sunt, neque assumes ex eis tibi quidquam, ne offendas, propterea quia abominatio est Domini Dei tui. Nec inferes quidquam ex idolo in domum tuam, ne fias anathema, sicut & illud est. Quasi spurcitiam detestaberis, & velut inquinamentum, ac sordes abominationi habebis, quia anathema est.* Nihilominus tamen pium etiam fuit pro defunctis illis exorare, & sacrificium offerre: non quia per tales orationes, & sacrificia possent à mortali culpa solui, si in ea fortasse mortui fuerant: sed quia incertum erat, an in tali peccato mortui essent: verisimile namque erat eos saltem in mortis articulo de tali peccato doluisse, & veniam consecutos

ſecutos fuiſſe: præſertim cum pro fide & religione pugnarent, vitaſque ſuas prodigerent. Propterea enim ibi dicitur Iudam conſideraſſe eos, *qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam habere repoſitam gratiam.* 2. Machab. 12.

Fortaſſe etiam aliqui eorum poterant à culpa graui excuſari, vel propter ignorantiam, vel propter leuem materiam, etſi ob exemplum, & ſocietatem aliorum ſimul interfecti fuerint.

Denique eo modo nunc Eccleſia orat pro omnibus in aliquo bello defunctis, & nos oramus pro mortuis, vel interfectis, etiamſi ſciamus parum antea mortaliter peccaſſe: quia ignoramus, an Deus illis contulerit ſpiritum compunctionis, & hoc ipſum illis optamus. Sic ergo ſancta, & prudens fuit Machabæorum cogitatio.

Nec dubitari poteſt, quin veritati innixa fuerit: tum quia exiſtimatio illa non fuit vnus, vel alterius indocti, & priuati hominis; ſed totius illius populi, in quo erant ſanctiſſimi viri, & in vera fide ſatis inſtructi: tum etiam, quia ſacra Scriptura ita refert factum illud, vt maximè laudet, & nobis imitandum proponat: tum denique, quia veram, & propriam rationem illius facti eadem Scri-

Ibid. ptura profert, dicens: *Benè & religiosè de resurrectione cogitans. Nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis.*

Vbi altera difficultas occurrit: cur hoc fundet in resurrectione, & non potiùs in immortalitate animæ, cùm hæc sufficiat, etiamsi anima non esset iterum corpori vnienda?

Dico breuiter in diuina Scriptura, maximè in ordine ad præsentem causam, hæc reputari pro eodem: quia resurrectio supponit animæ immortalitatem, & hæc infert resurrectionem, si vera & recta fides de diuina prouidentia, & iustitia in præmiandis, & puniendis hominũ operibus habeatur. Nam si Deus post hanc vitam præmia, & pœnas pro operibus confert, necesse est, vt non solùm in animabus, sed etiam in corporibus illam seruet prouidentiam.

Huiusmodi ergo fides comprehenditur in isto loco sub illa bona, & religiosa cogitatione de resurrectione. Eandem supponit Paulus, cùm ait: *Quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? Manducemus, & bibamus, cras enim moriemur.* Ac si diceret, si mortui non resurgunt, nulla pœna, vel gloria superest post hanc vitam pro eorum operibus, quia vtrumque ad Dei

1. Cor. 15.

proui-

prouidentiam æquè pertinet, & vtrumque in diuinis promissionibus, & comminationibus continetur: quia non animabus, sed hominibus præmia, & pœnæ promittuntur; & ideò sublata resurrectione, cetera auferri necesse est.

Potest & veritas hæc de Purgatorio ex aliis etiam locis Testamenti veteris demonstrari, in quibus suffragia mortuis vtilia esse significantur. Cùm enim animæ beatæ illis non indigeant; animabus verò damnatis vtilia esse non possint, manifestè supponunt illa testimonia locum alium animarum, qui non est nisi Purgatorium. Idem quoque dicendum erat tempore legis veteris de animabus existentibus in sinu Abrahæ: sola enim Christi morte iuuari poterant.

Solet ergo ad hanc veritatem confirmandam induci illud, quod refertur de Iudæis, qui ieiunarunt septem diebus pro Saul & aliis, qui cum eo mortui fuerant. *Tulerunt ossa eorum, & sepelierunt in nemore Iabes, & ieiunarunt septem diebus*. Quod ieiunium fuisse pro mortuis, vt ad requiem peruenire valerent, exponit Beda *l.4. in Samuelem, c. vlt.* & putat esse expositionem litteralem.

1. Reg. vlt.

Simile est, quod refertur, Dauid, &

qui

qui cum eo erant, ieiunasse vsque ad
2.Reg.1. vesperam super Saul, & Ionathan: *Et ieiunauerunt vsque ad vesperam super Saul, & super Ionathan filium eius, & super populum Domini, & super domum Israel, eò quòd corruissent gladio.*
2.Reg.3. Et post mortem Abner *dixit David ad Ioab, & ad omnem populū, qui erat cum eo: Scindite vestimenta vestra, & accingimini saccis, & plangite ante exequias Abner.* Et paulò pòst: *Iurauit David dicens: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si ante occasum solis gustauero panem, vel aliud quidquam,*

Sed hæc testimonia eneruari possunt: quia illa ieiunia non videntur fuisse in suffragium defunctorum, sed in ostensionem
2.Reg.1. tristitiæ & doloris, *eò quòd corruissent gladio.* Sicut enim flebant & lamentabantur super mortuos, ita etiam ieiunabant.

Nihilominus probabilia sunt illa testimonia: quia verisimile est etiam facta esse illa ieiunia, & afflictiones viuētium,
2. Reg. 12. vt prodessent defunctis: nam cùm David fleuisset, & ieiunasset pro impetranda vita filij sui infantis, postquam mortuum illum esse intellexit, non ampliùs luxit, seu ieiunauit. Et rationem ipse reddit: *Propter infantem, dum adhuc viueret, ieiunaui & fleui: dicebam enim: Quis scit, si fortè donet eum mihi Dominus, & viuat infans? Nunc*

Digitized by Google

autem quia mortuus est, quare ieiunem? Nunquid potero reuocare eum amplius? Ego vadam magis ad eum: ille verò non reuertetur ad me. Ergo cùm pro aliis adultis Dauid ieiunauit, luxit, &c. verisimile est considerasse ipsum, potuisse ex illis afflictionibus vtilitatem aliquam in mortuos redundare: nam pro puero mortuo non ieiunauit, quia nec reuocandus erat ad vitam, nec in aliquo peccare potuerat, pro cuius remissione ieiunium illud ipsi prodesse posset.

Fortius itaque argumentum sumitur ex verbis Tobiæ: *Panem tuum, & vinum tuum super sepulturam iusti constitue.* Tob. 4. Hoc enim consilium non potuit in alio sensu esse sanctum & honestum, nisi quatenus panis & vinum in sacrificium & oblationem Deo offertur pro mortuis, aut in eleemosynam pauperum, vel sustentationem sacerdotum datur propter eundem finem, vt expendit Turrianus *l.4. pro epist. Pont. cap.*14. Adiungit & illud: *Mortuo non prohibeas gratiam*, id est, beneficentiam, & subsidium. Eccli 7.

Præterea purgatorium ignem colligit S. Augustinus *l.20. de ciuit. c.*25. ex illo: *Sedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Leui.* Malac. 3. adiungens illud: *Lauabit Dominus sordes filiorum, & filiarum Sion, & sanguinem* Isa. 4.

guinem circumdabit de medio eorum in spiritu iudicij, & spiritu combustionis. Et l. 50. homil. in
Dan. 7. 16. adiungit illud: *Et fluuius igneus currebat ante eum*. Sed hæc loca alios habent litterales sensus. Solent & alia minùs efficacia loca adduci ex 1. Reg. 2. Psal. 29. 65. & aliis.

Morale.

Ioan. 5. *Mortui audient vocem filij Dei.*

DEbemus animas in purgatorio existentes iuuare ob tres causas.

Primò, propter grauitatem pœnæ, in qua existunt. Nemo enim in hac vita tantam pœnam vnquam passus est, aut pati potest, quantam ipsæ sustinēt. Vnde
Luc. 16. diues epulo clamans dixit: *Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma*. Idem enim ignis est Purgatorij, & inferni. Dixit Gedeon lassus ex itinere ad viros So-
Iud. 8. coth: *Date, obsecro, panes populo, qui mecum est, quia valdè defecerunt: vt possimus persequi Zebee & Salmana reges Madian. Responderunt Principes Socoth: Forsitan palmæ manuum Zebee & Salmana in manu tua sunt, & idcirco postulas, vt demus exercitui tuo panes*. Itaque cùm cepisset

ſet Zebee & Salmana, *tulit Gedeon ſeniores ciuitatis, & ſpinas deſerti, ac tribulos, & contriuit cum eis, ac comminuit viros Socoth.* Ita etiam nobis metuendum erit, ſi dēnegemus animabus in tanta neceſſitate auxilium, ne diuinum non euadamus ſupplicium.

Secundò, quia credibile eſt nos aliquando eodem etiam futuros loco, & ſcriptum eſt: *Qui obturat aures ſuas ad vocem pauperis, clamabit, & non exaudietur.* Et: *Eadem menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis.* Item: *Iudicium ſine miſericordia illi, qui non fecit miſericordiam.* Ita cùm comprehēderetur Adonibezec *caſis ſummitatibus manuum eius ac pedum, dixit: Septuaginta reges amputatis manuum ac pedum ſummitatibus colligebant ſub menſa mea ciborum reliquias: ſicut feci, ita reddidit mihi Deus.* Prou. Luc 6. Iac. 2. Iud 1.

Tertiò, propter vtilitatem noſtram.

Prima vtilitas eſt, quod ſuffragia pro animabus defunctorum redūdat in nos. *Oratio tua in ſinu tuo conuertetur.* Ipſæ enim de ſalute ſua certę ſunt, & quando erunt in patria, nobis rependere poterunt. Ita Dauid morti vicinus præcepit Salomoni: *Filiis Bercellai reddes gratiam, eruntq́ue comedentes in menſa tua: occurrerūt enim mihi, quando fugiebam à facie Abſalom fratris tui.* At de Semei dixit: *Tu noli pati eum eſſe innoxium.* 3. Reg. 2.

Secunda vtilitas eſt, quod ſuffragia

pro

pro defunctis etiam nobis merentur. Auferunt enim ipsis pœnam, & nobis merentur vitam æternam. Ita cùm Io-
Gen. 41. seph suggessisset Pharaoni, *vt quintam partem fructuum per septem annos fertilitatis congregaret in horrea, & præpararet futura septem annorum fami, quæ oppressura erat Ægyptum:* ipse terram illam ab egestate liberauit, & sibi multa promeruit: nam *tulit Rex annulum de manu sua, & dedit eum in manu eius, vestiuitque eum stola byssina, & collo torquem auream circumposuit.*

Tertia vtilitas est, vt etiam post mor-
Matth. 5. tem misericordiam consequamur. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam conse-*
Psal. 40. *quentur.* Et Dauid: *Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala liberabit eum*
Tob. 4. *Dominus.* Et Tobias: *Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.*

Iuuemus ergo animas in Purgatorio
Iob 19. clamantes: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.*

IN

IN FESTO S. MARTINI.

Exordium:

OLim apud Romanos nota fuit Scipionis Æmiliani, aut in curia, aut in concione grauitas. Qui cùm haberet consortem censuræ Mumium, vt nobilem, ita eneruis vitæ, pro rostris dixit, se ex maiestate Reip. omnia gesturum, si sibi ciues vel dedissent collegam, vel non dedissent.

Ita dixerunt discipuli ad S. Martinum: *Cur nos, pater, deseris? aut cui nos desolatos relinquis?* Inuadent enim gregem tuum lupi rapaces. Quorum voce commotus Martinus, ita Deum orabat: *Domine, si adhuc populo tuo sim necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua.*

Euangelium:

Dixit Iesus discipulis suis: Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, vt qui ingrediuntur, lumen videant. Luc. 11.

Thema:

Idem.

Vt ſciamus, qualem oporteat eſſe, qui ad Epiſcopatum promouendus ſit, duo notanda ſunt.

Primum, non eſſe neceſſe, vt qui ad Epiſcopatũ promouendus eſt, ceteris ſit melior abſolutè ſecundùm charitatem: oportere tamen, & ſufficere, vt omnibus penſatis melior ſit, & vtilior communitati; alioqui committeretur graue peccatum acceptionis perſonarum. Quod patet ex fine officij Epiſcopalis, qui eſt, vt communitati conſulatur.

Alterum eſt, vt quis licitè ſuſcipiat Epiſcopatum, non eſſe neceſſe, vt exiſtimet ſe ceteris meliorem: ſufficit enim, vt nihil in ſe aduertat impediens, quò minùs rectè fungatur eo officio.

Illud autem hoc loco magis in ſpecie explicandum eſt, quibuſnam partibus dignitas in Epiſcopo requiſita cõtineatur. Ac de proprietatibus illi neceſſariis

1.Tim.3. tractat Apoſtolus: *Oportet Epiſcopũ irreprehenſibilẽ eſſe, vnius vxoris virum* (id eſt, non bi-
Tit.1. gamum) *ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem, non vinolentum, non percuſſorem, ſed modeſtum, non litigioſum, non cupidum, ſed ſuæ domui benè præpoſitum, filios habentem ſubditos cum omni caſtitate.*

Primò, quidem conſtat oportere eum, qui eligendus eſt, im munẽ eſſe ab omni

iuris

iuris impedimento: ſcilicet ne ſit irregularis, ne bigamus, nec quidquam eorum habeat, quæ recenſentur *diſt.* 51. *can. Qui in aliquo.*

Porrò aliæ partes, quas communiter ſancti Patres, & Scripturæ requirunt in Epiſcopo, ad quatuor virtutes, quibus oportet Epiſcopum eſſe ornatum, reuocare poſſumus.

Prima eſt vitæ integritas, quæ charitate, & aliis virtutibus cōtinetur. Quàm hæc Epiſcopo ſit neceſſaria, poteſt intelligi ex ſex capitibus.

Primò ex eo, quòd Chriſtus Dominus commiſſurus Petro curam paſtoralem, ter priùs illum de charitate examinauit. Ioan. vlt.

Secundò ex eo, quòd in omni genere virtutum debeat ſe ouibus ducem, ac magiſtrum præbere verbo, & exemplo: iuxta illud: *Ante eas vadit.* Hoc Epiſcopi efficere commodè non poſſunt, niſi ea virtutis forma prediti ſint, quam in aliis ingenerare debēt. Quod quidem D. Petrus ſatis intellexiſſe videtur, volens vt Eccleſiæ Paſtores ſint *facti forma gregis ex animo.* Ioan. 10. 1. Pet. 5.

Tertiò ex eo, quòd Epiſcopus conſtituitur quidam mediator poſt Chriſtum, inter Deum & populum: iuxta illud:

Heb. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum.* Propter quod necesse est, vt sæpe suis orationibus, ac meritis reddat Deo populum placatum.

Quartò ex eo, quòd exigente necessitate debet *animam ponere pro ouibus:* quod fine charitate fieri nō poterit, vt decet. (Ioan. 10.)

Quintò ex eo, quòd si rectè officio suo functurus sit, multa oporteat eum pati ab improbis, & sceleratis hominibus, quos interdum necesse est seueriùs corrigere. Hoc autem non faciet sine magna virtute. Huc spectat illud Apostoli: *Maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus.* Et illud Christi: *Ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos.* (1. Cor 4. Matt. 10.)

Sextò ex eo, quòd oporteat Episcopum omnium necessitatibus inseruire, omnes tolerare, iuxta illud Apostoli: *Cùm liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci.* Et illud: *Non nosmetipsos prædicamus, sed Iesum Christum Dominum nostrum: nos autem seruos vestros per Iesum.* Ad hoc autem nemo non videt necessariam esse maximam virtutem. Denique innumeræ obligationes sunt Episcopi, ad quas explendas vitæ integritas maximopere requiritur. (1. Cor. 9. 2. Cor. 4.)

Secunda virtus Episcopo necessaria est

est scientia earum rerum, quæ ad religionem pertinent. Quod satis ex eo intelligitur: *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius.* Malac. 2.

In Concilio autem Trident. *sess. 22. c. 2. de Reformat.* requiritur, vt qui eligendus sit in Episcopum, sit in Iure Canonico, vel Theologia magister, aut Doctor, aut Licentiatus: aut saltē habeat publicum testimonium alicuius Academiæ, quòd in alterutra harum scientiarum tantum profecerit, vt possit alios docere. Sin regularis fuerit, à suis Prælatis.

Vbi notandum illam partem Iuris Canonici, quæ ad forum contentiosum pertinet, nō esse Episcopo necessariam. Nam, vt ait D. Petrus apud Clementem *epist.* 1. Episcopum esse oportet curis mundialibus immunem. Et si quæ lites componendæ sint, id per Diaconos faciendum est, aut alios ministros. Sed & Apostolus ait lites committendas contemptibilibus Ecclesiæ. 1. Cor. 6. Solùm igitur requirunt in Episcopo Concilia, & Patres cognitionem eorum, quę pertinent ad mysteria fidei nostræ, ac religionis commodè explicanda, & populum informandum moribus, & ad hæreticos refutandos.

Sed quæret aliquis: Vtra scientia sit

Episcopo vtilior, Iuris Canonici, an Theologiæ?

Respondeo absolutè, vbique esse vtiliorem Theologiam. Ratio est, quia maximè pertinet ad Episcopum de mysteriis fidei disserere, & moribus, refellere hæreticos, & populum instruere, iuxta
Matt. 28. illud: *Prædicate Euangelium omni creaturæ, docentes eos seruare omnia, quæcunque præcepi vobis.* Quod docet præcipuè Theologia.

Accedit, quòd partem Iuris Canonici Episcopo necessariam, quæ videlicet sacris Canonibus circa Religionem, & Ecclesiasticum ordinem continetur, faciliùs potest Theologus cognoscere, quàm possit Iuris peritus percipere disputationes Theologicas.

Denique quando Episcopus ordinatur, non interrogatur, an sciat Ius Canonicum, sed an vtrumque Testamentum?

Tertia virtus Episcopo necessaria est magnitudo, & constantia animi in rebus gerendis. Quàm hæc sit necessaria, ex eo patet, quòd oporteat Episcopum Tyrannis & Hæreticis resistere: item castigare improbos, quantumlibet poten-
Eccli. 7. 3 **tes. *Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimescas faciem***
Ierem. 1. ***potentis.* Et: *Ne formides à facie eorum.* Item:**

Ecce

Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum. Ezech. 3.
Hinc Apostolus: *Argue, obsecra, increpa,* &c. Tit. 3.
Sed hæc seueritas mansuetudine mitiganda est, vt monet Concilium Tridentinum *sess. 13. c. 1. de Reformat.*

Quarta virtus Episcopo necessaria est prudentia: de qua non multa dicimus, cùm cõstet, illam ad Episcopi officium, si ad vllũ aliud, maximè requiri, quandoquidem *ars artium est regimen animarum,* vt ait D. Gregorius *initio Pastoralis.* Vnde Dominus ad Moysen de Aarone: *Loquere ad eum, & pone verba mea in ore eius, & ego ero in ore tuo, & in ore illius, & ostendam vobis, quid agere debeatis.* Vnde Hiram Rex Tyri ad Salomonem: *Benedictus Dominus Deus Israel, qui dedit Dauid Regi filium sapientem, & eruditum, & sensatum, atque prudentem, vt ædificaret domum Domino, & palatium sibi.* Exod. 4. 2. Par. 2.

Morale.

Vt qui ingrediuntur, lumen videant. Luc. 11.

NVlla virtus lucere potest sine patientia. Hæc autem omnibus, sed Superioribus, & Prælatis maximè necessaria est: idque propter tria.

Primò, propter multiplices curas, &

Digitized by Google

labores diuersimodè emergentes. Non enim de spiritualibus tantùm, sed etiam de corporalibus debent esse solliciti.
Gal 2. Vnde Apostolus: *Iacobus, & Cephas, & Ioannes dextras dederunt mihi, & Barnabæ societatis: vt nos in gentes, ipsi autem in circumcisione: tantùm vt pauperum memores essemus: quod etiam so-*
Mar 6. & 8. *licitus fui hoc ipsum facere.* Dominus quoque turbas, quas verbo salutis pauit, etiam pane corporali in deserto aluit. Vnde Moyses mitissimus, & summa Deo familiaritate coniunctus onus regendi in plures distribuit, nec solus sustinere va-
Deut. 1. luit. *Non valeo,* ait, *solus negotia vestra sustinere, & pondus, ac iurgia. Date ex vobis viros sapientes, & gnaros, & quorum conuersatio sit probata in tribubus vestris, vt ponam eos vobis principes.*

Secundò, est patientia necessaria propter tardum profectum eorum, in qui-
Psal. 118. bus continuè fatigantur. *Tabescere me fecit zelus meus: quia obliti sunt verba tua inimici*
Psal. 68. *mei.* Et: *Zelus domus tuæ comedit me.*

Tertiò, propter ingratitudinem illorum, pro quibus tanta sollicitudine laborant: dum enim subditi Superioribus suis detrahunt, & accusant: dum frequentes de illis querelas spargunt; dum etiam in faciem interdum eis resistunt; an non patientiam eorum probant?

Vnde

Vnde Apostolus: *Quid eligam, ignoro. Coar-* Philip. 1.
ctor autem è duobus: desiderium habens dissolui, &
esse cum Christo, multò magis meliùs.

Talibus obuenientibus malis triplici se studeant Superiores scuto opponere.

Primum est, vt modestè, maturè, & benignè ad singula respondeant, & impetum feruoris reprimant, ne in voce, vultu, aut moribus impatientiam ostendant. Tunc enim magis proficient, & tandem deuincent, quos impetu suo magis prouocarent. Ita cùm Gedeon modestè respondisset *viris Ephraim fortiter* Iud. 8.
iurgantibus, & propè vim inferentibus, requieuit spiritus eorum, quo tumebant contra eum. Nam teste Sapiente: *Responsio mollis frangit iram:* Prou. 15.
sermo durus suscitat furorem. Vix enim irâ ira sedatur: & furor vix furore mitigatur. Impatientia verò multa Prælatorum impedit bona, & adfert mala.

Primò, alios scandalizat. *Qui impatiens* Prou. 14.
est, exaltat stultitiam suam: scilicet aliis pandendo.

Secundò, reddit eos subditis contem- Prou. 12.
ptibiles. *Qui vanus & excors est, patebit contemptui.*

Tertiò, facit eos exosos. *Terribilis est in* Eccli. 9.
ciuitate sua homo linguosus: & temerarius in verbo suo odibilis erit.

Quartò, prouocat alios ad impatien-

 tiam.

Digitized by Google

Prou. 15. tiam. *Vir iracundus prouocat rixas: qui patiens est, mitigat suscitatas.*

Iob 4. Quintò, subditos auersos facit. *Si cœperimus loqui tibi, forsitan molestè accipies.*

Sextò, replet domum murmure & Prou. 11. rancore. *Qui conturbat domum suam, possidebit ventos,* scilicet turbationum.

Prou. 18. Septimò, teneros mente fugat. *Spiritum ad irascendum facilem quis poterit sustinere?*

Octauò, nemo iracundis audet loqui 1. Reg. 25. Prælatis. *Ipse est filius Belial, ita vt nemo possit ei loqui.*

Secundum scutum est, vt pacifici sint Prælati, nec de illatis se vindicent iniu-Luc. 6. riis. *Eritis filij Altißimi, quia ipse benignus est super ingratos & malos.*

Tertium est cogitatio maioris meriti. 2. Par. 15. *Vos ergo confortamini, & non dissoluantur manus vestræ: erit enim merces operi vestro.* Manus Prælatorum sunt instantia in agendo, & patientia in sufferendo, quæ si non dissoluantur per desidiam, seu intolerantiam, merces æterna eis cumulatur.

Aduersitates autem Prælatorum pri-Iacob. 3. mò purgant eos à peccatis. *In multis enim* 2. Reg. 7. *offendimus omnes.* Et Deus ait: *Si iniquè aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum.*

Secundò continent eos in humilita-Iob 33. te. *Erudiens eos instruit disciplina, vt auertat hominem*

hominem ab his, quæ facit, & liberet eum de superbia. Vnde Dauid, quando premebatur aduersis humilis fuit, quando autem extollebatur prosperis, incidit in culpam offensionis. *Bonum mihi, quia humiliasti me: vt discam iustificationes tuas.* Psal. 118.

Tertiò, aduersitates Prælatos probāt: *Tanquam aurum in fornace probauit electos Dominus.* Sap. 3. Sæpe etiam spiritualis profectus crescit, dum non sentitur; & roboratur, cùm magis infirmari putatur. *Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo iaciat sementem in terram, & dormiat, & exurgat nocte & die, & semen germinet, & increscat, dum nescit ille.* Mar. 4.

Quartò, meritum augent. Dicit enim Apostolus: *Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem.* 1. Cor. 3. Non dicit, Secundùm suum, vel suorum profectum; sed, *secundùm suum laborem.* Etsi enim pauciores terra fructus proferat, parum refert, cùm mercedem suam agricola non amittat.

IN

IN FESTO S. CATHARINÆ.

Exordium:

OLim apud Romanos Caſſius filium, qui tribunus plebis Agrariam legem primus tulerat, multiſque aliis rebus populariter animos hominũ amore ſui deuinctos tenebat, poſtquam poteſtatem illam depoſuit, adhibito propinquorum & amicorum conſilio, affectati regni crimine domi damnauit: verberibuſque affectum necari iuſſit, ac peculium eius Cereri conſecrauit.

Ita S. Catharina è carcere educta rotam crebris, & acutis præfixam gladiis oratione confregit: poſtea iuſſu Maxentij ſecuri percuſſa eſt.

Euangelium:

Matt. 25. *Dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: Simile eſt regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades ſuas, exierunt obuiam ſponſo & ſponſæ.*

Thema:

Ibid. *Date nobis de oleo veſtro.*

Videndum erit, an meritum ex condigno proſit alteri, ſic vt vnus alteri mereri

mereri possit ex condigno aliquod præmium, præsertim gratiam & vitam æternam?

Dicendum est breuiter non posse.

Ratio est, quia neque Scriptura, neque Ecclesiastica definitio, ex quibus ratio, & vis huius meriti præcipuè colligenda est, neque etiam aliqua firma ratio declarat, hoc esse Dei consilium, vt vni homini meritum etiam alterius ex condigno prosit.

Quinimò vbi de remuneratione meritorum hominis agitur, contrarium significatur potiùs, futurum nempe, vt non reddat Deus vnicuique, nisi iuxta opera sua. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.* 2. Cor. 5. Ideò & tempore captiuitatis Babylonicæ Ieremias peccatores iuuare non poterat, & ad eum dicitur: *Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem, & orationem, & non obsistas mihi: quia non exaudiam te.* Ierem. 7.

Itaque Christo, cui tanquam capiti gratia, quæ aliis quoque prodesset, data est, proprium fuit, vt gratiam aliis, & vitam æternam ex condigno mereretur. *Decebat eum, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare.* Heb. 2.

summare. Quanquam potuisset quidem intelligi, quemadmodum Christus modo quodam suo proprio gratiam, & vitam æternam aliis esset promeritus, etiamsi consilium Dei simul fuisset, vt vnus homo alteri quoque ex condigno mereretur gratiam, & vitam æternam. Sicut iam bene intelligimus, quemadmodum quisque iustus sibiipsi mereatur ex condigno vitam æternam, licet Christus suo quodam præstantiori modo eam ipsam vitam æternã illi sit promeritus: quia scilicet obtinuit Christus ab ęterno Patre, vt redderetur illi, etiam pro meritis propriis.

Ex congruo autem vnus alteri mereri potest primam gratiam, & alia dona.

Matth. 9. Quod probatur primò ex illo: *Videns Iesus fidem illorum, ait paralytico: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.*

Probatur secundò ex luculenta oratione D. Augustini *quæst.* 149. *super Exod.* exemplo Moysis: Moysis, inquit, apud Deum tanquam fidelissimi famuli tantum erat meritum, vt diceret Deus:

Deut. 9. *Dimitte me, vt conteram eum, & deleam nomen eius de sub cælo,* vt eo modo admoneremur, cùm merita nostra nos grauasset, ne diligamur à Deo, releuari nos apud eum illorũ meritis posse, quos Deus diligit.

Nam

Nam cùm ab omnipotente dicitur homini: *Dimitte me, vt conteram eum*; quid aliud dicitur, nisi, Contererem eos, nisi diligerentur abs te?

Probatur tertiò ex recto Ecclesiæ Catholicæ vsu in obsecrando Deo, gratiáque ab eo petēda propter merita etiam Sanctorum.

Probatur quartò ratione. Nam decet, vt si homo voluntatem Dei impleat, Deus vicissim, tanquam amicus, sese hominis voluntati accommodet: atque adeò vt iuxta votum eius alterum exornet gratia.

Porrò hac assertione non tantùm significare volumus, Deum aliquando propter meritum vnius conferre alteri gratiam, quam aliàs esset ille propriis dispositionibus, adiuuante eodem Deo, acquisiturus; sed etiam fieri interdum, vt propter vnius meritum ex congruo, det Deus alteri gratiam, quam alioqui non fuisset consecuturus, quia scilicet non ita vehementibus, & efficacibus auxiliis fuisset à Deo excitatus, sicut excitatur propter meritum ex congruo alterius, sed aliis minoribus, quibus non fuisset fortè responsurus.

Atque hoc modo potest quidem vnus alteri ex congruo mereri gratiam, vel oratione,

Digitized by Google

oratione, quatenus hæc habet vim non tantùm impetrandi, vt petitio quædam est; sed etiam promerendi, vt est bonum opus; vel etiam aliis operibus bonis aliquo modo in eum finem ab vno relatis, vt alter gratiam diuinitus consequatur.

Et habet quidem effectum hoc meritum non semper, sed aliquãdo pro Dei beneplacito. Cùm enim sit tantùm meritum ex congruo, quod non aliqua certa lege, & promissione Dei nititur, impediri potest vel propter aliquam rationem diuinæ prouidentiæ, vel propter impedimentum peccati. Quod impedimentum intelligere debemus esse non hoc ipsum tantummodò, quod est hominem in peccato hærere, (nam vt id amoueatur ab altero, meretur aliquis ex congruo interdum) sed obstinationem aliquam, & resistentiam peculiarem peccatoris, quæ obsistat Deo, qualis fuit in illo populo, de quo dixit Deus

Iere. 15. per Ieremiam: *Si steterit Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum: eiice illos à facie mea, & egrediantur.* Sua enim impœnitentia, & peccatis ille populus obsistebat Deo, ne ipsius misereretur,

Ose. 13. qui alioqui ait: *Perditio tua Israel: tantummodò in me auxilium tuum.*

Mora-

Morale.

Ecce sponsus venit, exite obuiam ei. Matt. 25.

SPonsus ille castus est, & castas requirit sponsas. Vt autem meliùs seruetur castitas, aliquot remedia contra luxuriam in medium adferam.

Primum remedium est vitare inæquales personas. *De vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.* Diabolus etiam, cùm duos carbones coadunauerit, afflat, donec eos incendat. *Halitus eius prunas ardere facit.* Carbo, quando solus relinquitur, extinguitur: quando verò alteri componitur, ex mutuo calore ambo incenduntur. Eccli. 42. Iob 41.

Samson in mandibula Philistæos deiecit
Confregit fores carceris, leonem lacerauit:
Sed vinctus est à Dalila, rasus, & captiuatus, Iud. 16.
Philisthiim fit gaudio, miser exoculatur.

Secundum est vitare societatem, & contubernium luxuriosorum, ne eorum exemplo ad similia trahātur. Nam *qui se iungit fornicariis, erit nequam.* Item; *Amicus* Eccli. 19. Prou. 13.

Gen. 8. *cus stultorum similis efficietur*. Et: *Sensus, & cogitatio humani cordis in malũ prona sunt ab adolescentia sua*. Et ideò faciliùs pertrahitur ad
Psal. 9. peccatum, dum *laudatur peccator in desideriis animæ suæ*. Vnde prouerbium: Coülulare lupis debet, qui commanet illis.

Tertium est corpus non delicatè enu-
Prou. 29. trire. *Qui delicatè à pueritia nutrit seruum suum, postea sentiet eum contumacem*. Vnde
1. Tim. 5. Apostolus: *Vidua, quæ in deliciis est, viuens*
Ezec. 16. *mortua est*. Et Propheta: *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, saturitas panis, & abun-*
1. Cor. 9. *dantia*. Econtra Apostolus: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar*. Nam hostem suum armat, qui carnem suam deliciis fouet. Terra etiam corporis nostri, quæ ex maledictione prima vltro spinas, & tribulos germinat, si fuerit impinguata deliciis, tanta erit spinarum densitas, quòd semen verbi veritatis suffocabitur.

Eccli 33. Quartum est otium fugere. Nam *mul-*
Prou. 13. *tam malitiam docuit otiositas*. Et: *In desideriis est omnis otiosus*. Occupatus enim ab vno dæmone impugnatur: otiosus ab innumeris dæmonibus vastatur. Vnde Poëta:

Otia si tollas, periêre Cupidinis arcus.

Quintum est exteriores sensus ab illicitis reprimere, qui sunt quasi fenestræ

animæ,

animæ, per quas mors peccati intrat. *Audite ergo mulieres verbum Domini, & assumat auris vestra sermonem oris eius, & docete filias vestras lamentum, & vnaquæque proximam suam planctum: quia ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras disperdere paruulos deforis, iuuenes de plateis.* Ita de Eua dicitur: *Vidit mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, & comedit.* *Egressa* etiam *Dina filia Liæ, vt videret mulieres regionis illius,* corrupta est. Et *Dauid vidit mulierem se lauantem ex aduerso super solarium suum: erat autem mulier pulchra valdè:* & ideò eam concupiuit. Vnde Propheta: *Oculus meus deprædatus est animā meam in cunctis filiabus vrbis meæ.* E contra Iob ait: *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.*

Ierem. 9. Gen. 3. Gen. 34. 2. Reg. 11. Thren. 3. Iob 31.

Sextum est interiùs reprimere cogitationes prauas, & affectiones carnales: quia istæ sunt domestici hominis inimici, quorum fraude vrbs mentis inimicis traditur, si non benè caueatur. *Peruersæ enim cogitationes separant à Deo.* Et: *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ: hæc sunt, quæ coinquinant hominem.* Sicut nulla exterior munitio sufficit ad custodiendam ciuitatem, vbi domestici perfidi fuerint: ita nulla custodia externa casti-

Sap. 1. Matt. 15.

Digitized by Google

INDEX CONCIONVM DE SANCTIS.

Deo grata sint, septem requiruntur.

XXXVI. *In Assumptione B. Mariæ Virginis.* De *morte B. Virginis. Morale: Quomodo super omnes Sanctos exaltata sit?*

XXXVII. *In festo S. Bartholomæi Apostoli. Binæ dogmata de institutione Ministrorum Ecclesiæ. Morale: Quare temporalia relinquenda sint?*

XXXVIII. *In* Natiuitate *B. Mariæ Virginis. B. Virginem verè ac propriè esse matrem* Dei.

XXXIX. *In festo S. Matthæi Apostoli.* De *negotiatione per emptionem, & venditionem licitæ, vel illicitæ. Morale:* Deus *hominem multis modis videt.*

XL. *In festo S. Michaelis Archangeli.* Nouem *beneficia nobis præstant Angeli.*

XLI. *In festo S. Lucæ Euangelistæ.* De *numero discipulorum Domini. Morale:* No*uem signa sanitatis spiritualis.*

XLII. *In festo sanctorum Simonis & Iudæ Apostolorum. Quænam sint ex charitate diligenda? Morale: Quare, & quomodo proximus diligendus sit? & quæ signa dilectionis?*

XLIII. *In festo omnium Sanctorum. Animas Sanctorum beatas esse. Morale:* De *variis turbis.*

XLIV. *In* Commemoratione *omnium fidelium defunctorum. Probatur* Purgatorium

FINIS.



APPROBATIO.

Conciones hæ per Venerab. Patrem F. Balduinum Iunium in Euangelia Festorum toto anno occurrentium concinnatæ, quòd præter pietatem, insuper pleraque inter Theologos controuersa discutiant, æuique nostri Nouatores confundant, vtiliter in lucem emittentur. Ita censui hac XIV. Martij 1611.

Laurentius Beyerlinck
S. Theol. Licent. Canonicus
& Censor Antuerpiensis.

Placet imprimantur.

F. Arnoldus ab Ischa Prouinciæ Inferioris Germaniæ Vicarius indignus.

Ex mandato Reuerendi admodum Patris Viceprouincialis Prouinciæ Germaniæ inferioris, has Conciones V. admodum Patris Balduini Iunij prælo posse dari, ego infra scriptus hoc publico testimonio attestor. 13. Nouemb. 1612.

F. Gummarus Petri
Conuentus Antuerpiensis
indignus Commissarius.

ANTVERPIAE.

Typis HENRICI ÆRTSII.

M. DC. XIII.



Digitized by Google

Digitized by Google

IHS

Digitized by Google